5. 4. 517.

5. 4. 517

Digitized by Google

Digitized by Google

DE REBUS
CŒNOBII CREMONENSIS
ORDINIS PRÆDICATORUM,
Deque Illuſtribus, qui ex eo prodiere;
VIRIS
COMMENTARIUS.

AUCTORE

F. PETRO MARIA DOMANESCHIO

S. T. M.

EJUSDEM ORDINIS.



CREMONÆ MDCCLXVII.

Ex Typographia Petri Ricchini.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Die 5. Februarii 1767.
IMPRIMATUR
Fr. Thomas Antonius Ricci
Inquiſitor Generalis
Sancti Officii Cremonæ.

1767. die 9. Februarii
IMPRIMATUR
Foppa Prætor.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

F. JOANNI THOMÆ DE BOXADORS

TOTIUS ORDINIS PRÆDICATORUM

GENERALI MAGISTRO

F. PETRUS MARIA DOMANESCHIUS

EJUSDEM ORDINIS.

VITAM, ET FELICITATEM.

Brevem hunc qualemcumque de rebus Cœnobii noſtri Cremonenſis, deque illuſtribus, qui ex eo prodiere, Viris Commentarium cum Tibi REVERENDISSIME PATER, ea potiſſimum mente obtuliſſem, ut Tuo nomine, & auſpicio munitus ex umbra domeſtica exire, ſeque publico judicio ſubjicere & animoſior poſſet, & tutior; ex humaniſſimis, modeſtiſſimiſque Litteris Tuis ad me datis (1) *commonitum me plane cognovi, adductumque ad Auſpicem mihi alium quem-*

(1) Romæ IV. Kalendas Julias 1766.

cumque quærendum, cui labores hoſce meos inſcriberem. Feci equidem quod juſſiſti. Sed circumſpectis omnibus diligenter & perſonis, & rebus, cui devoveatur denique hic liber, debeaturque potius, quam Tibi, ſi eſt ingenue fatendum, inveni neminem. Immo ſive cauſſas, quæ me ad eum conſcribendum impulerunt, ſive res ipſas, quæ in illo continentur, cum mecum reputavi, jam utrumque abs me ſenſi, non poſtulare modo, ſed flagitare, ac jure quodam ſuo repoſcere, ut eundem in tuam unice fidem committerem, & clientelam. Et ſane, ad primum quod attinet, de Familiæ noſtræ Cremonenſis origine, incremento, diſciplina, ſupellectile, ornatu, deque clariſſimorum, quos illa peperit, Virorum doctrina, virtutibus, honoribus, ac dignitatibus ſcribenti mihi quid aliud obverſari, aut quid in mentem venire aliud poterat, quam ut Majorum noſtrorum gloriæ, ac perennitati quoquo modo conſulerem, noſque reviviſcentibus hocce ſcriptionis genere eorum exemplis & ſollicitarem acrius, & ad imitandum incenderem? Hoc meum porro conſilium fuit, hæc totius operis ratio, & auctoris induſtria. Sed numquid non huc etiam ſpectat ampliſſima illa Tua, ac vere paterna ſollicitudo, qua Ordinem univer-

ſum,

Digitized by Google

ſum, cui, divino aſtante Numine, præfectus es, Sapientiſſime Moderaris? Id privati, publicique, quos habes, de re Ordinis juvanda, exornandaque ſermones, id litteræ ad Provinciarum, & Cœnobiorum Præſides miſſæ, id denique luculentiſſime expreſſa monitis, cohortationibus, imperatis, ac modis omnibus vota, ac deſideria Tua teſtantur: ſcilicet, ne quid à nobis prætermittatur, quod ad eorum, qui nos inſigni cum laude præceſſerunt, virtutes æmulandas, ad eandemque, in quam nos item cooptati ſumus, Societatem illuſtrandam pertinere judicaverimus. Vides igitur, Humaniſſime Pater, quorſum opus hoc, quantulumcumque illud fuerit, ſuſceperim: non tam mea videlicet, quam Tua mihi ſatis perſpecta egregia voluntate.

Sed res etiam, quæ hoc volumine comprehenduntur, in Te unum intueri, Teque tacitis quibuſdam vocibus compellare videntur, atque id vehementer petere, ut Te Judice, Mæcenate, ac Patrono in vulgus edantur, Tuoque in ſinu, ſimul atque prodierint, foveantur. Res porrò hujuſmodi quid aliud ſunt, quam præſtantiſſimi maxime ii Viri, qui ſingulari doctrina, qui morum integritate, qui rerum agendarum peritia, qui multiplici denique virtutum,

offi-

officiorum, & dignitatum genere floruerunt, domumque hanc noſtram, in quam fuerant adſciti, nobilitarunt aeque, ac Ordinem univerſum, & Patriam? Hi vero, ſi cui commendare immortalitatem ſui nominis per ſe poſſent (quod citra ullam virtutis injuriam facerent, modo non ſua, ſed Dei cauſſa id appeterent) ad eum utique virum prae caeteris accederent, quem viderent ſui ſimilem, & cujus cauſſam cognoſcerent ſibi eſſe, eidemque communem: Ecquis autem Te omni earum rerum copia, & inſtructu ſimilior? Ipſi, ipſi, ſi oculos in Te ſuos conjicerent, ſi eximiam animi magnitudinem Tui, ſi ingenium, & omnigenam eruditionem, ſi rectum, atque elegans in re omni judicium, ſi denique morum candorem, probitatem, gravitatemque cum mira quadam facilitate conjunctam perpenderent, an non accuratam, & apertam in Te alii, alii etiam nitidiorem, excellentioremque ſui imaginem invenirent? Non enim omnes Tibi aut generis claritate, qua multos antecellis, aut dignitatis, ad quam evectus es, amplitudine eſſent comparandi. Igitur, ſi id ſibi liceret, ad Te unum veluti ad Patronum confugerent, quod probe intelligerent, in Te quidquid vel mentis acies ad diſcernendum,

vel

Digitized by Google

vel ad decorandum dignitas, vel denique auctoritas ad ſuſtinendum conferre poteſt, quam cumulatiſſime reperiri. Atque hìc a dicendo de Tuis laudibus ſe continerent veriti, ne ſi ultra progrederentur, plus eſſent dicturi, quam modeſtia Tua ſumma pateretur. Habes igitur, REVERENDISSIME PRÆSUL, & res, quas Tibi devoveo, & cauſſas devovendi. Utrumque per ſe ſe mea quidem ſententia honeſtiſſimum. Illud unum foret vehementer optandum, ut ego, qui hæc in publicam hominum lucem proferre conſtitui, ea uſus eſſem dicendi, ſcribendique ratione, quæ digna rebus, digna tanti Mæcenatis nomine videretur. Cum ea tamen ſit animi Tui indoles, ea humanitas, ut magis, quam quodvis munus, voluntatem ames, quocumque modo me geſſerim, animi certe mei erga Te obſervantiſſimi officium Tibi probandum confido. Vale, Teque Ordinis noſtri bono. & ornamento diuturnum, atque incolumem præſta.

Dabam Cremonæ ex noſtro S. Dominici Cœnobio.

Juſſu

JUſſu Reverendiſſimi P. F. Johannis Thomæ de Boxadors Magiſtri Generalis univerſi Ordinis Noſtri diligenter legimus Opus inſcriptum *De Rebus Cœnobii Cremonenſis Ordinis Prædicatorum, deque Illuſtribus, qui ex eo prodiere, Viris Commentarius -- auctore F. Petro Maria Domaneſchio S. T. M. &c.* in eoque nihil nos deprehendiſſe teſtamur, quod ab orthodoxæ Religionis decretis, rectave morum inſtitutione diſcrepet: Quamobrem nihil eſſe arbitramur, quod impediat, quo minus in lucem edatur, præſertim cum eleganter perſcriptum ſit, conferatque ad pernoſcendam Cœnobii noſtri Cremonenſis Hiſtoriam.

Dabamus Romæ in Cœnobii S. M. S. M. nonis Decembr. ann. 1766.

F. Thomas Maria Mamachius S. T. M. & Theologus Caſanatenſis.

F. Ludovicus Favra S. T. M. & Theologus Caſanatenſis.

OPTIMATIBUS

CIVIBUSQUE CREMONENSIBUS.

CRemona, cujus de perveruſto Fratrum Prædicatorum Cœnobio, deque illuſtribus, quos illud peperit, enutrivitque, Viris ſcripturi ſumus, Urbs eſt antiquiſſima. De ejus tamen cum de antiquitate loquor, o Cives, non is ego ſum, cujus, quæ de Hercule Grajo (1), quæ de Crimonio (2), aliiſque hujus generis fabuloſis magis, quam veris Cremonæ conditoribus traduntur, affirmare hoc loco, aut refellere in animo ſit. Nam quodcumque horum efficerem, cum in primis id minime effugerem, quin jam actum agere viderer, tum illud ſuſciperem, quod non partium eſſet, inſtitutique mei. Æquum tamen, incorruptumque, quo teneor, Patriæ ſtudium non patitur, quominus vetuſtiora, quam

 a qui-

(1) *Jacobus Gadius in ſuis Monument. Hiſt. MS. Siccardus Epiſc. Cremonen. ſuo in Chron. Cavitellius in Annalibus Cremon. pag. 1. Aliiq.*

(2) *Franciſcus Sfondratus in ſuis de Raptu Helenæ carmin. lib. 2. Franciſcus Perſicus in Hiſt. MS., quam Franciſcus Ariſius laudat in ſua Cremon. Litterat. tom. 1. pag. 7.*

a quibuſdam ponantur (1), hujus Urbis primordia brevi ſaltem digreſſione conſtituam. Non detrectant hi quidem, quod univerſim probatur, Cremonam, antequam Pub. Cornelio Scipione, & Tib. Sempronio Longo Conſulibus colonia deduceretur, oppidum fuiſſe; ſed tum ſolumodo eſſe Urbem cœpiſſe volunt, cum colonia eſt deducta. (2) Conſul, inquiunt, L. Valerius, qui Pub. Cornelii Scipionis, & Tib. Sempronii Longi Conſula. tum præceſſerat, *reliquum æſtatis*, ſcribente Livio (3) *circa Padum Placentiæ, & Cremonæ exercitum habuit, reſtituitque, quæ in iis oppidis bello diruta fuerant*. Exploratum eſt igitur, concludunt, Placentiam, Cremonamque, priuſquam coloniæ eſſent deductæ, extitiſſe quidem, ſed oppida, non urbes fuiſſe. Quo ſane argumento nil videtur confici poſſe, ut Cremona ante coloniæ in eam deductæ tempus urbis nomine, dignitateque privetur. Nam quid in primis, ſi eandem Civitatem apud principes, aureoſque Scriptores oppidum, & urbem indifferenter legamus? Cum Eleuſipolim Plautus (4) Sæpius urbem vocaſſet, ſubdit denique: *Eleuſipolim Perſæ cepere antiquum oppidum*. Servius vero Sulpitius (5), cum multas inſignes urbes numeraſſet, concludit: *quæ oppida florentiſſima fuerunt*. Sed hujusmodi habemus exempla in Julii Cæſaris commentariis innumera, quorum illud eſt per-

(1) *Cellarius Geograph. antiqu. lib. 2. c. 9. ſect. 1. & Scipio Maffejus Veron. illuſtrat. lib. 1. p. 1. quibus aſſentitur Cl. Franciſcus Antonius Zacharia in Serie Epiſcop. Cremon. pag. 8.*

(2) *Vide Zachariam loc. cit.*

(3) *Titus Livius Decad. 4. lib. 4. c. 9.*

(4) *Plautus in Perſa.*

(5) *Serv. Sulpitius in ſua ad Ciceronem epiſtola.*

periIluſtre. Poſteaquam Cæſar demoſtraſſet (1), Helvetios, inſtigante Orgetorige nobiliſſimo, ac ditiſſimo Principe, adductos, ut de finibus ſuis, quos pro multitudine hominum, & pro gloria belli, atque fortitudinis, anguſtos ſe habere arbitrabantur, cum omnibus copiis exirent, *ubi jam*, inquit (2), *Se ad eam rem paratos eſſe arbitrati ſunt, oppida ſua omnia numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, & reliqua privata ædificia incendunt, frumentum omne, præter quam quod ſecum portaturi erant, comburunt, ut domum reditionis ſpe ſublata, paratiores eſſent ad omnia pericula ſubeunda*. Quis non ſibi perſuaſerit, eorum duodecim oppidorum nomine Civitates totidem indicare Cæſarem voluiſſe, quibus præter privata ædificia vici quadringenti reſponderent? Nullam ne Urbem mœnibus cinctam, incolis frequentem, vetuſtate, nobilitateque Civium illuſtrem habuiſſe Helvetios credendum eſt, quorum fines in longitudinem millia paſſuum ducenta, & quadraginta, in latitudinem centum, & octoginta patebant? (3) Si quas vero habuerunt, numquid oppida tantum, & vicos incenderunt, Civitatibus prorſus intactis? At non fuiſſet omnis eis ſpes redeundi ſublata. Civitates igitur, & oppida incendere perinde apud eos populos fuit. Sed iidem Helvetii, & Rauracos, & Tulingos, & Latobrices finitimos populos vehementer cohortati ſunt, perſuaſeruntque, uti eodem uſi conſilio, oppidis ſuis, vicisque combuſtis una ſecum

A 2 pro-

(1) *Julius Cæſar in ſuis Commentariis lib.* 1. *ſub initium*.
(2) *Ibidem*.
(3) *Julius Cæſar loco laudato*.

Digitized by Google

proficiſcerentur. (1) An his quoque gentibus, quæ longe, lateque diffundebantur, oppida tantum erant, & vici, Civitas nulla? Non ita ſane. Nam ſimilibus præ termiſſis, quæ inde ſequerentur, incommodis, oppida Cæſar ipſe appellat hoc loco (2), quæ paullo ante Civitates vocarat. *His rebus*, inquit, *adducti, & auctoritate Orgetorigis permoti cum proximis Civitatibus pacem, & amicitiam confirmare conſtituerunt*. Quæ Cæſaris, aliorumque illius ætatis Scriptorum verba cum attente Bartholomeus Pitiſcus (3) conſideraſſet, oppida docuit apud Romanos eadem eſſe, quæ Urbes. Stephanus vero Henricus (4) teſtimoniis ejuſmodi non paucis oſtendit, oppidum proprie omnem eſſe Urbem præter Romam, quæ peculiari nomine Urbs vocari cœpta fecit, ut ceteræ Urbes oppida vocarentur. Dufreſnius item (5) Valeſii (6) auctoritate fretus oppidum, atque urbem unam rem eſſe longa Scriptorum ſerie invictè demonſtrat.

Neque vos moveant, Cives, Cornelii Taciti verba ſcribentis (7) *Hic exitus Cremonam habuit. Condita erat Tib. Sempronio, & Pub. Cornelio Conſulibus, ingruente in Italiam Hannibale*. Nam eo loci non de ipſa Cremonæ urbe a fundamentis excitata, ſed de condita Cremonæ colonia, ſive de colonis in eam primum deductis fuiſſe Tacitum locutum, tam manifeſtum eſt, quam quod maxime.

Ac.

(1) *Idem eodem loco.* (2) *Ibidem.*
(3) *Bartholomeus Pitiſcus in Lexico Antiquitat. Roman. verbo Oppidum.*
(4) *Stephanus Henricus Theſaur. Linguæ Latin. tom. 3.*
(5) *Dufreſne in Gloſſar. ad Scriptor. mediæ, & infimæ latinit. Verbo Oppido.*
(6) *Valeſius in Præfat. ad notitiam Galliarum pag. 13.*
(7) *Cornelius Tacitus lib. 3 Hiſtor. pag. mihi 499.*

Ac in primis, præterquamquod tantumdem erat apud Romanos, uti advertit Ughellius (1), aliquam a fundamentis Civitatem extruere, ac in ſemel ædificatam novos colonos, qui eam augerent, communirentque, deducere, id accepit Tacitus a Polybio Græco Romanarum rerum Scriptore. Quid vero Polybius? *Nunciatur*, inquit (2), *jam Iberum tranſiiſſe Hannibalem: delectus habent, & cætera expediunt bello neceſſaria, & prius inſtitutum de coloniis in Galliam deducendis perfecturi, oppida muniunt, & colonos ad ſuas colonias proficiſci jubent. Harum alteram cis Padum condebant, cui nomen fecerunt Placentiæ, alteram trans Padum, quæ dicta eſt Cremona.* Quid quæſo ex his Polybii verbis pro minus ęquis Cremonæ obtrectatoribus? Niſi meus me fallit amor, hæc ipſa eſt Polybii ſententia, cognito videlicet Romanos quam proximo Hannibalis in Italiam adventu, delectus habuiſſe, Galliæ oppida, in quæ colonias deducere conſtituerant, muniiſſe, atque ad ſuas colonias, quarum alteram, *coloniarum*, ſcilicet, *non urbium*, cis Padum, alteram trans Padum condebant, colonos miſiſſe. Non igitur Placentiæ, Cremonæque urbes ædificarunt, ſed jam ædificatas munierunt, in iiſdemque colonias, quæ eas adverſus Hannibalem propugnarent, condiderunt. Ad hæc, ita ne improvidos, imprudenteſque Romanos exiſtimabimus, ut novarum urbium circa Padum ædificium, quod non dierum, aut menſium, ſed annorum eſt opus, eo uſque neglexerint, atque in poſterum diſtulerint, donec Hannibal magnis itineribus in Italiam irrueret,

 eique

(1) *Ferdinandus Ughellus Ital. Sacra pag.* 830. *tom.* 4.

(2) *Polybius lib.* 3. *c.* 40.

eique jam immineret? Ingruente jam, ut loquitur Tacitus, in Italiam Hannibale? Sed Cremonam eque, ac Placentiam deducta a Romanis fuerunt ſex millia colonorum. (1) Numquid majorem horum numerum in inſigniores, amplioreſque urbes unquam miſerunt? Nil igitur Cremonæ, Placentiæque videtur defuiſſe, quod ad dignitatem, amplitudinemque urbium pertineret. Oppidum vero locum fuiſſe apud Romanos mœnibus concluſum, in quem homines multi habitandi cauſſa convenirent, indifferenterque eandem civitatem oppidum, & urbem ab iiſdem vocatam, adeo eſt certum, & conſtans, ut cum inter confabulandum maximam ſe frugum copiam feciſſe, ſignificare vellent, *oppidò* adverbio uterentur, quaſi dicerent, ſe tantam eo anno cepiſſe, quanta vel oppido ſatis eſſet. (2) Quæ quidem exaggerationis formula inanis eſſet, ne dicam, perridicula, ſi non urbi alendæ, ſed obſcuro, exiguoque loco ſuſtentando aptaretur. Quod denique harum coloniarum alteri *Placentiæ, Cremonæ* alteri nomen fecerint, nihil eſt. Non enim nominum rebus inditorum, ſed rerum ipſarum vetuſtatem inquirimus. Oppidum vero illud, cui Cremonæ nomen impoſitum, quodque idem fuiſſe, ac urbem haud inveriſimiliter demonſtravimus, ſi curioſius abs me quæſieritis, a quibus fuerit conditum, dicam, quod adverſariis in hoc minimè contradicentibus (3) ſen-

(1) *Titus Liv., & Cornelius Tacit. loc. cit. aliiq. qui in hanc rem ſcripſerunt.*
(2) *Ambroſius Calepinus cum additamentis, Paulli Manutii Adverb. Oppidò.*
(3) *Cl. Franciſcus Antonius Zacharia in ſua Serie Epiſcoporum Cremonenſium pag. 10. ubi hæc habet: Oppido vero illi Cremonæ nomen a Gallis datum fuiſſe, quod Cluverius ſenſit, a vero minime abhorret.*

ſentio, illud ad ripam Padi fluminis Gallos, qui primi in Italiam deſcenderunt, ædificaſſe. Atque hos quidem non eos fuiſſe, opinor, qui duce, ut ait Livius, (1) Sigoveſo Ambigati ex ſorore nepote, ſuperatis Taurino ſaltu inviis alpibus, fuſiſque haud procul Ticino flumine acie Thuſcis, urbem in agro inſubrico condiderunt, quam, omen ſequentes loci, Mediolanum appellarunt, ſed eos, qui Cœnomanorum duce Elitovio, veſtigia priorum ſecuti, eodem ſaltu, favente Belloveſo Sigoveſi fratre, alpes tranſcenderunt, atque ubi nunc eſt Brixia, & Verona, conſederunt. (2) Quos ſubinde ad Padum uſque deſcendiſſe, feraciſſimumque hunc noſtrum agri tractum occupaſſe, videntur hæc Plinii verba ſignificare: *In Mediterraneo regionis decimæ coloniæ Cremona, & Brixia Cœnomanorum agro.* (3) Qua opulentiſſima, ubi Cremona nunc eſt, terræ planitie occupata, quæ ſatis ad urbem alendam, ſuperque videtur, quis non ſibi perſuaſerit, uti perſuaſum habet Ughellus (4), Cœnomanos hoc ipſo in loco Cremonam urbem, quocumque tandem nomine vocaretur, ædificaſſe?

Fidelis titulo conſuevit, ac ſolet hæc civitas appellari, quod eorum, qui ejus imperium tenuere, fidem fregerit nemini. Cœnomanis, ut eſt dictum, Romanis deinde paruit uſque ad inclinationem imperii, quibus

(1) *Titus Livius Decad. 1. lib. 5. c. 19. Priſco Tarquinio Romæ regnante.*
(2) *Titus Livius loc. cit. iiſdem fere verbis.*
(3) *Plinius Hiſtor. lib. 3. c. 19. Polybius lib. 2. c. 17.*
(4) *Ferdinandus Ughellus Ital. Sacr. tom. 4. pag. 830. Vide etiam opuſculum; cui titulus: Parere intorno all' antico ſtato de' Cenomani del Canonico Paolo Gagliardi Breſciano.*

Gothi ſucceſſere primum, tum Longobardi. Hiſce a Carolo Magno deletis, ſe ſe tandem audendo in libertatem aſſervit. Sed civibus progreſſu temporis in Gibellinos, & Guelphos pertinaciſſimè ſciſſis, nullum fuit detrimenti genus, quod non tam ab extraneis, quam ab ſuis pertulerit; id, quod Romanæ Reipublicæ contigiſſe legimus, poſteaquam civilibus agitari, vexarique diſcordiis, belliſque cœpit. Quæ quidem factiones id denique effecerunt, ut plures Cremona deinceps Dominatores habuerit, Pallavicinos primum, tum Dovarianos, Ponzonenſes, Cavalcaboves, Vicecomites, Fondulianos, Sfortianos, Venetos, & Gallos (1), donec ingenti rerum converſione facta poſt Carolum Cæſarem hoc nomine V., Philippo II. Hiſpaniarum Regi fidem dederit eiuſdem Caroli invictiſſimi Cæſaris filio. Huic ſucceſſere Philippus III., & IV., tum Carolus II. ex eadem Auſtria Familia Reges, quorum poſtremo ſine hæredibus vita functo, poſtquam irrito conatu tentatum eſt a Gallis, ut in Philippi V. Andegavenſis poteſtatem Cremonenſes venirent, ſub eandem Auſtriorum ditionem Leopoldo imperante redierunt. Nacti ſunt eo e vivis erepto Joſephum I. Leopoldi filium natu majorem, tum Carolum VI. Joſephi Fratrem piiſſimos Cæſares, Mariam denique Thereſiam Caroli filiam, ejuſque rerum omnium ſanctione, ut vocant, pragmatica hæredem.

(1) *Vide in hanc rem quæ ſcripſerunt Pellegrinus Merula, Blondus, Volaterranus, Antonius Campus, Cavitellus, aliique qui Annales Cremonenſes edidere.*

redem, cuius clementiſſimo vehementer optamus, ut diu pareamus imperio. Sub horum omnium, quos ſummatim nominavimus, dominatu, intemerata, quam ſemel dederunt, firmiſſimaque Fide præſtitere ſe Cremonenſes, ac ſive in proſperis, ſive in adverſis pacis, bellique eventibus, iidem ſemper, ſuique ſimiles conſtantiſſime fuerunt. Quo denique factum eſt, ut qui jus, & imperium in eos habuerunt, non modo multis eoſdem favoribus, honoribuſque ſint proſecuti, verum eos dilexerint non ſecus, ac filios. Immo vero, *quod horum ſubſidio imperium P. R. aliquando ſteterit, iis gratiæ*, inquit Livius (1) *& in Senatu, & apud Populum actæ*. Sed eximia in Deum pietas, atque religio in præcipuis Cremonenſium ponitur laudibus. Nam ſacra Chriſti ſervatoris myſteria, quæ ſive a Barnaba Apoſtolo, ſive ab ejus certe diſcipulis non ultimi ſuſcepere, ferventi adeo, ac perenni Veneratione coluerunt, ut in cuſtodienda, amplificandaque Chriſtiana pietate multos vicerint populos, ſuperiores habuerint paucos. Hujus rei argumenta, ut quæ non ſatis explorata, perſpectaque habentur, prætermittamus, cum certiſſima, tum locupletiſſima ſunt tot variis temporibus ad ſuperos colendos excitata ab Cremonenſibus templa, quorum pleraque amplitudine, magnificentia, tabulis pictis, nitore, omnique cultu, ac ſacra ſupellectile oculos illiciunt, retinentque intuentium. Prætereo, quæ olim intra mœnia a Benedictinis Monachis domicilia undecim cum ſacris ædibus

(1) *Titus Livius Decad. 3. lib. 7.*

bus totidem poſſidebantur. (1) Nam præter Paræcias quatuor, & quadraginta, numerantur in urbe Fœminarum cœtus octodecim, Virorum cœnobia quinque ac viginti, quo in numero illud eſt perilluſtre, cujus de origine incremento, rebuſque præcipuis acturi ſumus. Ex his porro collegiis & inſignes per omne tempus caſtiſſimis moribus Virgines, & eximii ſanctitate doctrinaque viri prodierunt innumeri. (2) Ad noſtros quod attinet, de eorum vita, rebuſque præclare geſtis ſuo loco dicemus. De cæteris ad alia ſacra Inſtituta pertinentibus viderint cæteri. Ad cremonenſem religionis, pietatiſque cultum augendum acceſſere ſecularium ſodalitates ſupra quinque ac triginta optime conſtitutæ. Sacras quæque ſuas habent ædiculas ad certas preces ſtatis diebus fundendas, remque divinam per Sacerdotes peragendam aptiſſimas. Mirum eſt, quantum certare inter ſe videantur ſacrarum ædium ornatu, ſacrificiorum numero, veſtimentorum elegantia, diebuſque ſolemnibus omni pompa, rituque celebrandis. Quid dicam de Xenodochiis, Valetudinariis, Læmocomiis, Pharmacopoliis, Gyneceis, aliiſque hoſpitalibus, piiſque locis, quibus abundat urbs tota? Nullum ſane inveneris ægrotantium, aut egenorum genus, non ſpurios, non parentibus orbatos, non puellas oſtiatim palantes, aut in pudoris diſ-

(1) *Nicolaus Coletus in addition. ad Ughelium tom. 4. pag.* 830

(2) *Vide Joſephum Breſſianum Civem, & Hiſtoricum Cremonenſem (non Regianum, ut per errorem ſcripſit Ughellus loco laudato) Coron. Viror. Illuſtr. Cremonen, Merulam, Ariſium, & quotquot de rebus Cremonen. ſcripſerunt.*

diſcrimine conſtitutas, non alienigenas peregrinantes, non eos denique, quibus aut ex honeſtate, aut ex impotentia, aut ſine familiæ dedecore victum ſibi quæritare minime permittitur, quorum omnium neceſſitatibus non ſit ſatis, & abunde proviſum. Nimius eſſem, atque è propoſiti mei finibus excurrerem, ſi omnia vellem, & ſingula, quæ Cremonenſes ad omnigenam pietatem exercendam, religionemque amplificandam excogitarunt, perfeceruntque, deſcribere. Hoc unum ſatis eſto Lectori; tantum in iis fuiſſe omni ætate promovendorum piorum operum ſtudium, ſolicitudinem tantam, ut cœnobiis, ſodalitiis, templis, ædiculis, aliiſque ſacris, piiſque ædificiis urbem fere occupaverint univerſam. Habetis itaque, Cives, quo de rebus veſtris gloriari jure poſſitis paullò liberius. Sed de rebus Cremonenſibus univerſim alio in opere, Deo adjuvante, acturi ſumus. Nunc age jam, ad rem noſtram veniamus.

PARS

PARS PRIMA

DE ORIGINE, INCREMENTO,

Rebuſque præcipuis Cœnobii Cremonenſis Ordinis Prædicatorum

LIBRI PRIMI

CAPUT PRIMUM.

Cremonæ FF. Prædicatorum initium extra mœnia. Eo in loco B. Dominicus unà cum S. Franciſco Aſſiſinate corruptas putei aquas paucis ante annis prodigio ſanarat.

SAtis conſtat, uti a Majoribus noſtris accepimus(1), Prædicatorum Ordinem ſuam Cremonæ non habuiſſe primam originem intra mœnia, ſed in ſuburbio extra portam vulgo Pullicellam ſito. Suburbium a Sancto Guillelmo, cui fanum erat eo loci ſacrum, appellabatur, eratque Brixianam inter, & Mediolanenſem portam in ſeptem fere triones ſpectans. Publico ibidem utebantur olim Cre-

(1) *Ludov. Cavitellus Annal. Cremon. pag. 78. Pellegrinus Merula Sanctuar. Cremon. 4. Auguſt Joſeph Breſſianus Hiſtor. Cremon. MS. tom. 1. pag. 132. Antonius Campus Cremon. Fidel. lib. 2. Flamin. Vit. S. Dominic. lib. 2. Caſtilius lib. 1. c. 50 Malvenda Annal. centur. 1. ann. 4. Michael Angelus Nannus Vit. S. Domin lib. 3. c. 16., & 17. Vuadingus Annal. ad annum 1220. Chron. MS. Conv. S. Angeli Cremon Ughellus tom 4. n. 50. Aliiq. Videatur denique Cl. Mamachius Annal. O. P. tom. 1 lib. 2. pag. 593., & ſeq. Id etiam didicimus a Monum. MS. quæ in hoc Archiv. ſervantur:*

Cremonenſes inſtituendæ juventuti gymnaſio, quod Periſtilii ſpeciem in plura cubicula diſtributi referebat, habebatque hortum adjunctum inambulandi, animique a ſtudiis levandi cauſſa. Huc B. Dominicus Medio- 1220
lano Bononiam redux cum acceſſiſſet, fuiſſetque hoſpitio humaniſſime exceptus, nactus eſt B. Franciſcum ejus nominis Inſtituti principem, qui Cremonæ ut Cœnobium ſui Ordinis extrueretur, curabat. Accidit interea, ut ejus loci puteus lutulentas, atque omnino contaminatas, quarum jam uſus eſſe nullus poſſet, aquas redderet; rogatique ab incolis fuerint Dominicus, & Franciſcus, propterea quod ſancti haberentur, ut fuſis ad Deum precibus eas ſanarent. Coorta ſtatim inter utrumque religioſa modeſtiæ contentio. Nam Franciſcus ab Dominico, ac viciſſim Dominicus ab Franciſco id fieri oportere affirmabat. Sed eo tandem ſancta illa Beatorum Virorum concertatio eſt deducta, ut aqua ex puteo hauſta in vaſe iiſdem coram appoſito ſive ab Dominico tantum, uti pleriſque videtur (1), ſive ab utroque, ut alii ſcripſere (2), Signo Crucis adhibito purgata ſit penitus, atque in puteum effuſa totum fontem & limpidum, & palato ſuavem, ſaluberrimumque momento temporis effecerit. In veteri Prædicatorum Cremonenſium chori proſpectu ſuſpiciebatur olim hocce prodigium hiſtorice pictum.

(1) *Petrus Calus in Vit. S. Domin. num. 21. qui ſcribebat ann. circiter 1304. aliique plures in Annal. O. P. loc. cit.*

(2) *Petrus Martyr Feſtus in Chron. MS. Conv. S. Domin. Cremon. c. 2 pag. 3. Petrus Maria Paſſerinus in Hiſtor. MS. ejuſdem Conv lib. 7. c. 3. n. 1. Item Cavitellus, &: Campus locis laudat. idem affirmant.*

Digitized by Google

pictum. (1) Verum cum eam templi partem Majores noſtri inſequentibus temporibus inſtaurandam decreviſſent, id perficere, quin pictura omnis udo tectorio inducta deleretur, minime potuerunt. Cæterum adeo conſtans, & firma omni ætate facti hujus traditio fuit, ut vel ipſos Munionem Zamorenſem, Franciſcum Romeum, ac denique Vincentium Iuſtinianum Chium univerſi Ordinis Praedicatorum Magiſtros vehementer commoverit ad eam rem ſuis litteris confirmandam. (2) Nam poſteaquam locus ille in noſtram venerat poteſtatem, quotieſcumque de eo vendendo, quod eſſet ob nimiam urbis vicinitatem obſidionum injuriis obnoxius, a Patribus actum eſt, id ob eam præcipue cauſſam vetuerunt illi, ne tam illuſtris facti memoria interiret. Sed quomodo eum putei ſitum Dominicani Cremonenſes ſint adepti, docendum eſt.

CA-

(1) *Memorial. antiq. MS. Conv. S. Dominici Cremonæ pag. 56. item Petrus Martyr Feſtus in Chron., & Paſſerinus loc. cit.*

(2 *Litteræ Munionis id prohibentes referuntur a Benedicto XI. in ſuis litteris datis die 5. Aprilis 1304, Romei litteræ ſcriptæ ſunt XI. Kal. Octob. 1549, Juſtiniani prid. Kal. Julias 1560. ſervanturq. in Archiv. Conv. Cremon.*

CAPUT SECUNDUM

Beatus Rolandus Bononia Cremonam venit, atque ab Epiſcopo caeteriſque Patriæ Optimatibus aedes impetrat S. Guillelmi, ibique Cænobium exſtruit. Biennio poſt huc etiam acceſſit B. Moneta, incipiuntque Dominicani Cremonae clareſcere.

HOc circiter anno, (1) B. Rolandus Cremonenſis, cujus de vita, & moribus ſcripturi 1226
ſumus, Bononia cum aliquot ſociis Cremonam venit eo potiſſimum consilio, ut ſacri Inſtituti, cui ſe paullo ante devoverat, in ſolo etiam patrio fundamenta poneret. Huc cum perveniſſet, ut erat magna nominis celebritate vir, ſuiſque civibus apprime carus, ſumma fuit a principibus urbis ordinibus honeſtate habitus. Qua Rolandus opportunitate, ut quod animo agitabat, opere perficeret, prudentiſſime eſt uſus. Cœpit itaque cum Homobono Madalberto Cremonæ per id tempus Epiſcopo, cæteriſque urbis Proceribus rem totam ſerio conferre. Ab iiſdemque Fanum, quod ſupra memoravimus S. Guillelmo dicatum una cum puteo illo mirabili, horto, gymnaſio, cæteriſque bonis adjunctis, ut ſibi, ſuiſque Fratribus concederetur, facile impetravit. (2) His ita procuratis, in ejus loci poſſeſſionem deducti ſunt noſtri, acceptiſque

(1) *Colligitur cum aliunde, tum maxime ex Codice MS. ante annum 1280. aſſervato in Bibliotecha Conventus Veneti SS. Joannis. & Paulli: ex quo Codice apparet, Conventum Cremonen. eſſe Veneto, qui extabat anno 1227; æqualem. Vide Annal. O. P tom. 1. pag. 654.*

(2) *Vid. Ughell. in Epiſcop. Cremonen. tom 4. Ital. Sac. pag. 606. edit. 2. ubi*

que a Gregorio IX. Pontifice Maximo Litteris, quibus conceſſio illa confirmabatur, (1) domicilium ædificare, vel potius inſtruere, quod acceperant, ordiuntur. Biennio circiter poſt (2) huc etiam acceſſit commendatiſſi-
1230 mus ille Theologus Moneta Cremonenſis, qui Bononiæ una fere cum B. Rolando ſub Reginaldi Aurelianenſis præfectura Prædicatoribus nomen dederat, cujus item mores, & res præclare geſtas ſuo loco referemus. Hujus eximii viri in patriam adventu facta eſt ingens omnium civium gratulatio, propterea quod unus omnium incredibili doctrinae, ac pietatis laude floreret, ſuiſque Patriam virtutibus decoraret ampliſſimis. Eius igitur opera, & auctoritate cæpit Ordo apud Cremonenſes augeſcere, majoreque in dies gratia, & exiſtimatione valere. Quo factum eſt, ut vel ipſi deinque Summi Pontifices Cremonenſium Prædicatorum fama permoti eos honoribus, & rebus ornarint, eorumque opera in gravioribus Eccleſiæ negotiis ſint uſi. Cuius Pontificiæ erga noſtros benignitatis hæc inter cætera ſunt teſtimonia. Excommunicationem, irregularitatemque contraxerat Guillelmus de Advocatis Cremonenſis Canonicus quod cum Friderico II. Cæſare, ejuſque filio Henrico ab communione jam ſeparatis (3) familiariter egiſſet, divina celebraſſet, & officiis immiſcuiſſet ſe

ſe

refert antiquum MS. cujus ſunt hæc verba: Sub eodem Pontifice Honorio ædificatum fuit monaſterium S. Guillelmi a B. Rolando. ..

(1) *Datæ ſunt litteræ Gregorii IX. die* 10. *Martii* 1228., *& incipiunt his verbis*: Sacroſancta Romana Eccl. ... *Bullar. Ord. tom.* 7. *pag.* 8.

(2) *Petrus Martyr Reſtus, & Petrus Maria Paſſerinus in ſuis MS. loc. cit.*

(3) *Henricum anathemate ferierat Archiepiſcopus Salzeburgenſis. Vide*

ſe divinis. Alexander itaque IV. cum id per litteras 1255
reſciviſſet, rogatuſque fuiſſet, ut huic malo pro ſua
poteſtate mederi ne gravaretur, Prædicatorum Cre-
monenſium Præfectum ampliſſimo diplomate delegavit, 1258
(1), qui ab omni Guillelmum, quo illaqueatus erat,
vinculo liberaret. Per hoc fere tempus idem Pontifex
Maximus, quod rei noſtræ familiaris jam probe noſſet
anguſtias, ut marcas, ſeu beſſes argenteas ducentas ex
pecuniis reſtituendis, atque ex legatis reciperent noſtri,
liberaliſſime conceſſit. (2) Sed minime præteribimus
hoc loco, quod Dominicanis in primo illo Cœnobio
degentibus fuit perilluſtre, quodque eſt maxime imita-
tu dignum. Cum a Lombardo Taccolo (nam hoc civi
Cremonenſi cognomen erat) fundos aliquot dono accepiſ-
ſent; ille vero haud multo poſt hanc donationem fac-
tam ab reliquis facultatibus lapſus in miſeram egeſta-
tem incidiſſet, coacto per Gruſſardum Quaparonum
præfectum concilio, (3) decreverunt Patres, ut quæcum- 1269
que ſibi a Lombardo liberaliter collata fuiſſent, eidem
ſtatim nil etiam tale volenti reſtituerentur. Erunt for-
taſſe, quibus hoc temperantiæ genus, & exemplum mi-
nus credibile videatur. Sed hujus rei memoria, reſtitu-

B tio-

Odoricum Rainal. Annal. Eccleſ ad ann. 1225. n. 1.

(1) *Datum eſt Diploma Alexandri IV. die 28 Februar. 1255., & incipit his verbis:* Ex parte Guillelmi de Advocatis Canonici Cremonen. *Vide Bullar. O. P. tom. 1. pag. 272.*

(2) *Scriptæ ſunt eæ literæ ab Alexandro IV. die 13. Maii 1258. quarum ſunt prima verba:* Neceſſitatibus veſtris benigne compatientes affectu. *Vide Bullar. O. P. tom. 8. pag. 449.*

(3) *Ex Catalogo Priorum Conv. S. Domin. Cremon. edit. a Cl. Ricchinio, ad ann. 1269.*

tioniſque factæ ſubſcriptio extant in tabulario noſtro verbis luculentiſſimis. (1)

CAPUT TERTIUM.

B. Albertus Villæonienſis, ut primum Cremonam acceſſit, ſe ſe totum in FF. Prædicatorum inſtitutionem & diſciplinam contulit. Ædes Agneti Virgini, & Martyri ſacràs obtinent Noſtri; ab eoque loco novum intra mœnia Cœnobium ordiuntur. Quæſtiones inde exortæ facile dirimuntur.

PEr eos fere dies S. Albertus Villæonienſis, cujus de vita, & moribus egregium edidit commentarium clariſſimus vir Thomas Auguſtinus Ricchinius, conjuge, ex qua nullos ſuſceperat filios, vita jam functa, domo paterna ſuiſque omnibus ultro abdicatis, egreſſus ut Abraham de terra, & cognatione ſua Cremonam ac ceſſerat. Huc cum perveniſſet, Fratrum S. Guillelmi (ita enim vocabantur Cremonæ Prædicatores) fama, rebuſque geſtis permotus, humilibus ædibus apud eiuſdem nominis Cœnobium conductis, totum in eorum ſe fidem tradidit, & diſciplinam. (2) Horum ductu ita in arrepto jamdudum chriſtianæ perfectionis itinere progreſſus eſt, ut in ordinem Fratrum, ut vocant, de pœnitentia a B. Dominico paullo ante inſtitutum cooptatus

(1) *Petrus Martyr Feſtus in Chron. MS. Civ. Cremon. c. 2. pag. 5. Item Petrus Maria Paſſerinus in Hiſtor. MS. ejusdem Conv. lib. 7. c. 3. n. 4. Eam reſtitutionem ſubſcripſit Mattheus de Caſali Murano publicus eorum temporum Notarius.*

(2) *Thomas Auguſtinus Ricchinius in Vita B. Alberti c. 6. pag. 34.*

Digitized by Google

tatus ad eum brevi ſanctitatis gradum devenerit, quo rite cognito publici tandem ei honores decernerentur. (1) Curabant interea Patres, omnique ſtudio nitebantur, ut locum intra mænia obtinerent aliquem, in quem translati officiis juvare cives ſuis cum frequentius, tum commodius poſſent. Ad Cacciacomitem igitur Summum, qui Eccleſiæ Cremonenſi per id tempus præerat, (2) 1238
confugerunt, ab eodemque parvas ædes Agneti Virgini, & Martyri Sacras in urbis fere centro poſitas obtinuerunt. Ab eo itaque loco ſibi ex formula tradito novum hocce cœnobium, quod modo a noſtris incolitur, a fundamentis exſtruere cœperunt. Neque tamen priorem illam, qua a Madalberto acceperant, ſedem deſeruerunt. In eorum enim ditionem ea conditione pervenerat, ut ſi alio commigraturi eandem aliquando dimiſiſſent, in Epiſcopi poteſtatem eſſet illico reditura. (3) Sed & Munio Zamorenſis totius Ordinis Prædicatorum Magiſter, ne venderetur unquam, aut ullo modo diſtraheretur, edicto poſtmodum, uti ſupra monuimus, vetuit. Haud multos tamen poſt annos (4) Benedictus XI. Pontifex Maximus Dominicanos, ut juſtis eorum precibus, rebusque conſuleret, ab Epiſcopi lege, ac Munionis edicto ſuis Litteris, exemit, po-

B 2 teſta-

(1) *Ricchinius loco cit. pag. 35., & ſequent.*

(2) *Joſeph Breſſianus in Serie Epiſcop. Cremonen pag. 61., Merula in eadem Serie pag. 71., Paſſerinus lib. 2. c. 1. n. 2. Hiſt. MS. Conv. S. Dom. Cremon.*

(3) *Ughellus Italia Sacra tom. 4 pag. mihi 824. aliique.*

(4) *Anno 1304*

(5) *Litteræ Benedicti XI. datæ ſunt pridie nonas Aprilis an. 1304. quarum*

Digitized by Google

teſtatemque eis fecit ampliſſimam, qua S. Guillelmi locum abalienare, ſi opus fuiſſet, liceret. (1) Qua tamen poteſtate uſi noſtri non ſunt, quod eorum neceſſitati fuerit alia ratione proviſum. Non enim aliam habebant, ut eæ litteræ aperte teſtantur, prioris domicilij vendendi cauſam, quam alterius ædificandi. Ut igitur ad incæptum in urbe cœnobium redeamus, vix dum ejus fundamenta jecerant noſtri, cum Franciſcani, qui jam ab initio ſe in urbem receperant, interpoſuere ſtatim ſe ſe, quominus res ſuſcepta perficeretur. Hæc autem iis erat contradicendi repugnandique cauſſa. Scilicet exiſtimabant, novum hocce ædificium ab ſuis ædibus intervallo diſtare minore, quam quod lege ſancitum fuerat. Res igitur eſt ad Bernardum Cardinalem Epiſcopum Portuenſem, ſummique Pontificis Legatum delata, ejuſque arbitrio, judicioque permiſſa. (2) Hic Bononiæ cum eſſet, accerſitis ad ſe partium procuratoribus, hanc controverſiam ea tandem conſtitutione
1284 diremit, ut libere proſequi Fratres Prædicatores, quod cœperant, poſſent. (3)

CA-

hæc ſunt prima verba: Meritis veſtræ Religionis inducimur. *Vid. Bullar. O. P. tom. 2. pag. 97.*

(2) *Petrus Maria Paſſerinus Hiſt. MS. Conv. lib. 2. c. 1. n. 3.*

(3) *Conſtitutio Bernardi Card. edita eſt Bononiæ XVII. Kal. Octob. 1284. ſervaturq. in Arch. Cœnobii noſtri Cremonen.*

CAPUT QUARTUM.

Fanum S. Martino dicatum, & Apoſtolicæ Sedi ſubjectum Dominicanis Cremonenſibus ab Nicolao IV certa conditione conceditur, ut aliud nimirum ſimile ædificent. Ædificatum reditibus ab Epiſcopo augetur. A Benedicto XI. Ordini addicitur.

HIs ita compoſitis, tranquillo quidem, lætoque animo ad intermiſſum opus redierunt. Sed initis ædificii excitandi perficiendique menſuris, deprehenderunt, haud ſatis ſibi fore ſpatii rei bene, abſoluteque gerendæ, niſi aliam, eandemque fortaſſe graviorem difficultatem ſuperaſſent. Erat autem ea difficultas hujuſmodi. Sacris B. Agnetis Ædibus ab Epiſcopo Cacciacomite Summo impetratis aliæ S. Martino dicatæ quaſi e regione opponebantur, modico adeo ſpatio interjecto, ut ne metata, inchoataque ædificatio abſolveretur, omnino impedirent. (1) Jam vero Epiſcopo Cremonenſi cum hæ non eſſent, ſed Romanæ Sedi ſubjectæ, id erat Patribus reliquum, ut ad Romanum Pontificem confugerent, omnibuſque eum precibus, ut ſibi eas permitteret, rogarent. Romanam moderabatur per eos dies Eccleſiam Nicolaus hoc nomine IV. ex Ordine Minorum aſſumptus. Ad hunc igitur libellum ſupplicem dant. Eo Pontifex lecto, ſuis ad Prædicatorum Cremonenſium Præfectum litteris reſ-

 ponder,

(1) *Petrus Martyr Feſtus in Chron. MS. Conv. Cremon. c. 3. pag. 5., & Petrus Maria Paſſerinus Hiſt. MS. ejuſdem Conv. lib. 2. c. 1. n. 4.*

pondet, (1) lubenti quidem animo indulgere ſe, modo
ſacellum priori diruto æquale ſtatim exſtruant, eidem-
que S. Martino devoveant. Hac conditione oblata, &
1289 accepta majoris templi Placentini Archidiacono præ-
cipit Pontifex, (2) ut Dominicanos Cremonenſes in
earum ædium poſſeſſione, apoſtolica auctoritate, con-
ſtituat. Hac igitur rebus Ordinis acceſſione facta, cœ-
nobium Patres ab ſeptemtrione in meridiem magnis
ſumptibus, & eleemoſinis protendere, amplificareque
in omnem partem cœperunt. Quod vero Nicolao IV.
promiſerant, omni fide, diligentiaque impleverunt.
Nimirum aliam æqualem priori dejectæ S Martini
ædem extruxerunt, cui certus ab Epiſcopo Cremonen-
ſi Canonicorum numerus deſignatus, ara Sanctiſſimæ
Trinitati dicata, eique annuus, perpetuuſque cenſus in-
ſtitutus. (3) At vero Benedictus XI. Pontifex Maxi-
mus pro ſingulari erga noſtros, quorum Inſtitutum
profeſſus fuerat, benevolentia, & ſacras illas ædes,
& bona quæque, juraque univerſa, quæ ad eaſdem
quoquo modo pertinerent, FF. Prædicatoribus Cre-
monæ commorantibus, inque Domini vinea, ut ipſe
1304 ajebat, indefeſſe laborantibus diplomate adjudicavit
honorificentiſſimo. (4)

CA-

(1) *Datæ ſunt eæ Litteræ III. Kal. Majas* 1289., *incipiuntque his verbis* Religionis veſtræ meretur honeſtas. *Vid. Bullar. O. P. tom.* 8. *pag* 453

(2) *Litteræ ad Archidiaconum Placent. ſcriptæ ſunt XIII. Kal. Junias ejuſd anni. Servanturq. in Archivo noſtro Cremonen.*

(3) *Memorial. antiq. MS. Conv. Cremon. p* 64. *Item Paſſerinus Hiſtor. MS. ejuſdem Conv. lib* 2 *c.* 1. *n.* 5.

(4) *Datum eſt Benedicti XI. Diploma XVIII. Kal. Majas* 1304., *atque incipit his verbis:* Ordinis dilectorum Filiorum. *Vide Bullar. O. P. tom.* 8. *pag.* 454.

CAPUT QUINTUM.

His, aliiſque acceſſionibus factis novum cœnobium, & templum in urbe excitantur. Juvantur Cremonenſes omni a noſtris officiorum genere. Hos inter præclariſſime ſe geſſit F. Ugolinus de S. Marco Parmenſis, Eccleſiæque Cremonenſis Antiſtes.

HÆc, aliaque hujus generis ſubſidia cum noſtris hominibus acceſſiſſent, & cœnobium ſuis numeris perfici, & templum eo ipſo in loco, quo nunc extat, licet non pari magnificentia excitari, omniaque abſolvi, quæ cœpta fuerant, & intermiſſa. Quæ porro ſacra ædificatio Caſtonum Turrianum Archiepiſcopum Mediolanenſem commovit, ut quotidianam dierum quadraginta indulgentiam, ut vocant, iis omnibus impertiretur, qui templum hocce inviſiſſent, in idque perficiundum, ornandumque piam aliquam operam 1309 contuliſſent. (1) Modicis interea noſtri, anguſtiſque ſuarum rerum finibus contenti domeſticæ diſciplinæ cuſtodiam, quam ab ipſis Inſtituti primordiis eo uſque tenuerant, quam accuratiſſime ſervare, interdiu, noctuque divinis in templo recens erecto vacare cantibus, atque pſalmodiis, Cives e ſuggeſtu ad omne officium, atque virtutem vehementer incendere, ſacras populorum ad eos confluentium confeſſiones excipere, eorumque animis ſanam, puramque Chriſti doctrinam, qua

 nihil

(1) *Ejus Archiepiſcopi Litteræ datæ ſunt Mediolani pridie nonas Junias 1309. extant in Archiv. noſtro Cremonen.*

nihil eſt humano generi ſalutarius, inſtillare, aliaſque functiones obire innumeras, quæ ad religionis, pietatiſque incrementum, defenſionemque Catholicæ veritatis pertinerent. (1) Inter hæc Ægidius Madalbertus Cardinalis, & Epiſcopus Cremonenſis, qui Fratres Prædicatores ſingulari fuerat benevolentia complexus, demoritur. (2) Hic, annos quinque antequam vita excederet, cum Ludovici Bavari partibus adhæſiſſet, eſſetque propterea multis curis implicitus, atque a Pontifice exagitatus, Epiſcopatum dimiſerat. (3) In hujus locum Joannes XXII. Fratrem Ugolinum de S. Marco, cognomento Ardengherium, Dominicanum Ordine, Parmenſem patria, perſpectæ ubique virtutis, ac do-
1327 ctrinæ virum ſuffecit. (4) Sunt qui Ugolinum alium Ardengherium cum Ugolino de S. Marco confundant. (5) Sed ego his minime aſſentior. Nam qui duos poſuere, quorum Ardengherius Canonicus antea Linconienſis Ugolino de S. Marco ſucceſſerit, cum & élogia tumulis inſcripta, & regeſta Vaticana, aliaque hujus generis monumenta conſuluerint diligentiſſimè, videntur ad veram hiſtoriam non tam acceſſiſſe propius, quam rem ipſam

(1) *Conſtat ex iis omnibus, qui de rebus Cremonenſibus ſcripſerunt.*

(2) *Obiit Madalbertus die 8. Aprilis 1332., ut apparet ex ejus Epitaphio. quod legitur cum alibi, tum apud P. Franciſcum Antonium Zachariam S. J. in Serie Epiſcop. Cremon. pag. 144.*

(3) *Idem P. Zacharia loco cit. n. 54*

(4) *Idem Scriptor loc. cit. Tum Ughelius tom. 4. Ital. Sac. pag. 830. n. 56. Michael Cavallerius tom. 2. pag. 136. n. 168. Vincentius Fontana in ſuis monum. ad annum 1350., quo anno Ugolinus noſter e vita migravit. Aliique.*

(5) *Blaſius Rubeus in ſuis Dipticis, quem incautè ſecuti ſunt pauci.*

ipſam attigiſſe. (1) Ugolinus igitur, de quo incidit ſermo, adminiſtratione Cremonenſis Eccleſiæ ſuſcepta, mirum eſt, quam integre, quam provide, prudenterque in gregem ſibi commiſſum difficillimis illis temporibus ſe gereret. Cum ecce a Nicolao V. non legitimo Pontifice Pius in Epiſcopum Cremonenſem eligitur. Baudinus quidam, Cremonamque contra Ugolinum mittitur. Ut erat hic infracti animi vir, habita ad cives, quorum ſibi amorem, exſtimationemque omni virtutum laude conciliarat, ferventi oratione, Landinum in fugam conjecit. Ioanne XXII vita functo, a Benedicto XII. delegatur Ugolinus, ut quotquot non Cremonæ modò, ſed in aliis etiam Italiæ urbibus a Nicolai V., & Ludovici Bavari partibus ſtetiſſent, ab excommunicationis vinculo abſolveret. Quod cum per ſe unum minime poſſet, S Sabini Abbatem Placentinum, Jacobum Fabrianenſem Franciſcanum, & Laurentium Brancifortem Dominicanum pontificia, qua munitus erat, auctoritate ſubſtituit. Idem ab Ioanne Luxemburgenſi Bohemorum, & Polonorum Rege potentiſſimo, qui magnis in Italiam copiis adverſus Bavarum venerat, ut ſibi, & Eccleſiæ Cremonenſi Jovis altæ aræ, ac Platinæ oppida reſtituerentur, obtinuit. (2) Hanc Cathedram cum annos decem, ſeptemque omnium civium plauſu, atque animorum profectu eſſet moderatus, ſeque jam ſenio, laboribuſque confectum cognoviſſet, conſtituit ſe malle privatim vivere, quam

(1) *Omnes laudati Scriptores, uno excepto Blaſio Rubeo.*
(2) *Aurelius Canonicus de Nigris in ſua MS. Epiſcoporum Cremonen. Hiſtor.*

quam tanto oneri ferendo jam imparem officio deeſſe. Abdicato igitur Epiſcopatu, ſe ſe in Cœnobium ſui Ordinis recepit, ibique reliquo tempore de eo vitæ inſtituto, quod tum primum, cum in Ordinem Prædicatorum ſeceſſerat, tenuit, quantum ferre ultima ſenectus poſſet, nil prorſus imminuit. Cum autem magna animi conſtantia omnia & ætatis, & extremæ invaletudinis incommoda pertuliſſet, ſeque divinis Myſteriis ea, qua par erat, pietate, ac religione muniiſſet, è vita migravit anno poſt Chriſtum natum milleſimo tercenteſimo,
1350 quinquageſimo jam expleto. (1)

CAPUT SEXTUM

Aliis Dominicani Cremonenſes a Summis Pontificibus honoris, ac benevolentiæ ſignificationibus cumulantur. Habentur Cremonæ Provinciæ alia Comitia. Cabrinus Fondulus Cremonenſium Dominus omnia ſuburbana ſolo æquari jubet. Quid noſtris ob eam cauſſam acciderit.

UGolino de S. Marco in Epiſcopatu ſucceſſit Ugolinus alter, ut ſupra demonſtravimus, cognomento Ardengherius. Hic cum quibuſdam Sabini Cardinalis, Epiſcopi Sabinenſis, & Apoſtolicæ Sedis Legati mandatis parere minimè voluiſſet, fuiſſetque propterea ab

(1) *Vide Ughellum, Cavallerium, Zachariam, Fontanam locis ſupra citatis, alioſque, qui Ugolini de S. Marco pium obitum referunt ad ann.* 1350 *Sepultus eſt Ugolinus in dextero Chori latere, verbaque ejus tumulo inciſa ſunt:* Sep. qu. Domini F. Ugolini de S. Marco de Parma Ord. Prædicator Epiſcopi Cremonen. Obiit MCCCLXII *Sed ultimus numerus XII., ut ex novitate inciſionis, & caracterum apparet, eſt recenter additus ab iis qui cum Blaſio Rubeo ſentiunt, uti etiam animadvertit laudatus Canonicus Aurelius de Nigris in ſua Hiſtor. MS.*

ab officio ſuſpenſus, a communione ſeparatus, ejuſque
Eccleſia interdicta, ejuſdem denique Legati, atque In-
nocentii VI. Summi Pontificis auctoritate Dominica-
norum Cremonenſium Priori conceſſa, ab omnibus fuit,
quibus tenebatur, vinculis abſolutus.(1) Intereà res no- 1359
ſtræ eo brevi devenerunt, ut Cremonenſe Cœnobium
aptum præ cæteris ſit viſum, in quo jam frequens Pro-
vinciæ Conventus haberetur (2) Solutis Comitiis, quo- 1384
rum gravitate Cives, probitateque Patrum, qui ad ea
convenerant, delectati ſunt plurimum, errantibus ani-
mis ad rectum ſalutis iter omni ratione evocandis, &
adòleſcentibus cum domeſticis, tum extraneis ſanæ do-
ctrinæ, & eruditionis ſucco enutriendis, & ſacro Dei
cultu majorem in modum amplificando, omnique Ci-
vibus officiorum genere juvandis inſiſtebant noſtri quo-
tidie impenſius. Quibus rebus effectum eſt, ut Bonifa-
cius IX. laborum noſtrorum fama permotus, eos omnes,
qui ſacras Dominicanorum Cremonenſium Ædes reli-
gioſe, ut par eſt, adiiſſent, indulgentiis plurimis, iiſdem-
que ampliſſimis locupletarit. (3) Prætereo hoc loco Guil- 1398
lelmum, Nicolaum, Bonifacium Cremonenſes, alioſque
plures ex hac noſtra Societate Viros, quorum doctrinam,
inſignemque probitatem Pontifices cum ſatis per ea tem-
pora

(1) *Card. Sabini litteræ, quibus auctoritate Innocentii VI. Priori Conv. Cremon. O. P. facultatem concedit abſolvendi Epiſcop. Cremonen. a Cenſuris datæ ſunt Ceſenæ III. Kal. Majas, Pontificat. Innocentii VI anno VII., & incipiunt his verbis*: Nuper nos Venerabili in Chriſto Patri Dei gratia Epiſcopo Cremonenſi. *Bullar. O. P. tom.* 8. *pag.* 457.

(2) *Catalogus Priorum Conv: S. Domin. Cremon. ad ann* 1384.

(3) *Bonifacii IX. litterarum hæc ſunt prima verba*: Licet his, de cujus munere venit... *Dat.* 10 *Junii* 1398, *vid. Bullar. O. P. tom.* 2. *pag.* 377.

pora perſpectam haberent, & eos magni fecerunt, &
eorum opera ad fidem tuendam, propagandamque ſunt
uſi. Sed Nicolaus Tinctus Cœnobii hujus alumnus ac-
ceptam ab illuſtri familia gloriam ita ſuis auxit virtu-
tibus, ut dignus habitus ſit, qui ab Innocentio VII. ad
1406 Epiſcopatum Solanum, vel, ut alii vocant, Ænarienſem
promoveretur. (1) Verum de his viris alibi plura. Inter
hæc, ſacrarum B. Guillelmi ædium, patratique ibidem
prodigii haudquaquam immemores Noſtri, ut is etiam
locus religioſe cuſtodiretur, debituſque ei cultus habe-
retur, curabant. At vero Cabrinus Fondulus Cremonæ
potitus cum eſſet, belli occaſionem poſt annos aliquot
nactus, ut ad certam ab urbe diſtantiam ſuburbana
omnia ſolo æquarentur, quo repentinarum incurſio-
num timore ſublato tutior intra mœnia conſiſteret, juſ-
1420 ſit. Quo factum eſt, ut cum a demolitoribus ipſum
S. Guillelmi fanum una cum parvo Cœnobio ibi primum
erecto, ſi modo puteum excipias, Fonduli juſſu dirue-
retur, Sanctorum Gottardi, & Ladini oſſa in pariete
incluſa detecta ſint, quorum contactu, Beatorumque
illorum Virorum meritis, ſanitatem ferunt uni ex iis
vaſtatoribus reſtitutam. (2)

CA

(1) *Joſeph Breſſianus in ſuis Roſis, & Violis pag. 69. Jo: Michael Cavallerius tom 1 pag 214 Ferdinandus Ughellus tom 6. Ital. Sacra Epiſcop. Ænarien. Vincentius Fontana Theatr. Domin. pag. 107. aliiq.*

(2) *Petrus Martyr Feſtus Chron. MS. Conv. S. Domin. Cremon. c. 2. pag. 5. Petrus Maria Caſſerinus Hiſtor. MS. ejuſdem Conv. lib. 7. c. 3. n. 3. Aliiq. rerum Cremonenſium Scriptores.*

CAPUT SEPTIMUM.

Ob diuturnas Gibellinorum, Guelphorumque diſcordias, aliiſque de cauſſis nonnihil a noſtris de priſco fervore remittitur. Rebus haud ita multo poſt in Italia compoſitis vetus diſciplina cum ubique, tum hic potiſſimum inſtauratur, Beato Sebaſtiano Maggio, aliiſque graviſſimis Patribus in id connitentibus.

Plis Dominicanorum ſtudiis, atque progreſſibus vel ab ipſo eorum exordio oppoſuerat ſe ſe Dæmon omni conatu. Verum cum per annos ab Ordine condito pluſquam ducentos nil profeciſſet, efficereque minime potuiſſet, quominus fama, bonuſque odor tam ſancti Inſtituti manaret quotidie latius, id tandem (quod eſt ingenue fatendum) eſt conſecutus, ut nonnihil a noſtris hominibus de priſco fervore, religioſæque vitæ conſuetudine remitteretur. Neque id debet movere quempiam. Non enim ii ſumus, aut eſſe volumus, in quos cadere poſſit defectio, aut reformatio nulla. Ejus autem defectionis, intermiſſioniſve occaſio non una fuit. Ac primum omnium deteſtandæ illæ Gibellinorum, Guelphorumque factiones jam multo antea exortæ ita ſenſim adoleverant, increbruerantque, ut Italiæ fere univerſæ magis exitio fuerint, quam externa bella, quam fames, aut morbi. Nam provinciis non modo, ſed civitatibus, ſed vicis, ſed familiis ipſis in contrarias obfirmatiſſimas partes ſciſſis, cuncta miſceri, compleri armatis oppida, atque horrifico inteſtinorum præliorum ſtrepitu omnia paſſim perſonare, paciſque artibus inter tot, tamque

varia

varia diſcordiarum capita parum admodum loci eſſe. Acceſſit ad hæc ingens illa, quam peſtis intulit (1), provinciarum fere omnium italicarum populatio, cujus funeſtiſſima incommoda diu multumque Italia pertulit. His itaque de cauſis invecta ſenſim in Ordines vel auſteriores veteris diſciplinæ relaxatio: (2) Nam cum interna illa civium diſſidia, ipſa ſanguinis communione, in Cœnobia quoque irrepſiſſent, fuiſſentque eorum incolæ peſtilentis vi morbi ad ſubitam, ſenſibilemque paucitatem redacti, id ſaltem effugere minime potuerunt, quominus a prima legum, atque inſtitutorum ſeveritate cuſtodienda quoquo modo deficerent. Verum ſedatis progreſſione temporis, compoſitiſque in Italia rebus, de reſtituenda in priſtinum ſplendorem, dignitatemque utriuſque Longobardiæ provincia cogitatum a noſtris eſt ſerio. A gravioribus itaque ejuſdem Provinciæ Patribus electa Cœnobia, in quibus ut priſtinum Ordinis decus refloreſceret, atque in minores inde familias, veluti ex fontibus in rivulos deduceretur, curatum diligentiſſime. Cremonenſe ex frequentioribus erat, ac nobilioribus unum, digniſſimumque propterea, quod pleriſque in exemplum, omniumque virtutum imaginem proponeretur. Eratque civibus cum ob alias cauſſas, tum ob hanc potiſſimum apprime carum, quod probe animadverterent, ſi refloruiſſet, uti olim fuerat, ita magnæ ſibi

uti-

(1) *Cum alias tum præcipue anno circiter* 1418. *Ita Cavitellus Annal Cremonen. pag.* 154. *Antonius Campi, aliiq.*

(2) *Inter cæteros videatur Petrus Martyr Feſtus in ſuo Chron. MS. c.* 4. *pag.* 7. *qui relaxationis inductæ duas illas potiſſimum cauſſas aſſignat.*

utilitati, atque ornamento futurum. Ad X. igitur hujus 1484
anni Kalendas Octobres Cremonam venit cum electa ſodalium manu Sebaſtianus Maggius Brixienſis, quem Bartholomeus Comatius totius Ordinis Magiſter Generalis hujus Familiæ Vicarium inſtituerat, donec a Patribus in ejuſdem Præfectum eligeretur. (1) Ille inquam, Maggius, qui poſt annos treſdecim ab ſuo in hanc urbem adventu, Genuæ, quo ſe ſe Cœnobii Sanctæ Mariæ, ut vocant, de Caſtello perluſtrandi cauſa contulerat, ea ſanctitatis opinione deceſſit, ut perpetuus ei cultus ab Genuenſibus, finitimiſque populis ad noſtra uſque tempora habitus ſit inſignium porro miraculorum fama confirmatus. Quem denique cultum Clemens XIII. ſacræ rituum Congregationis conſulto probavit, ac de Beato Sebaſtiano Maggio quotannis ab univerſo Prædicatorum Ordine Officium, & Miſſam celebrari decrevit. (2) Cujus ecquidem beatiſſimi viri uti Genuenſibus obitum, ita Cremonenſibus diuturnam conſuetudinem, ſanctamque amicitiam perilluſtrem exiſtimo. Nam integro fere biennio Vicarius, quatriennio Præfectus hujus Cœnobii fuit. (3)

LIBRI

(1) *Conſtat ex Catalogo Priorum hujus Conv. ad annum* 1484.
(2) *XVI. Kalendas Majas* 1760.
(3) *Ex eodem Catalogo ab anno* 1484. *uſque ad* 1489.

LIBRI SECUNDI

CAPUT PRIMUM.

B. Sebaſtianus Maggius collapſam veterem diſciplinam inſtaurat, elegantemque huic Cœnobio faciem Brevi reſtituit.

B. Sebaſtiano Maggio Dominicanorum Cremonenſium Prefecto, mirum eſt quam brevi fuerit priſca, & elegans huic familiæ facies reſtituta. Nam
1485 aucto, collectoque Fratrum numero, qui ad rite excolendam hanc Domini vineam aptior videretur, ipſe præire cæteris, poſtremus cubitum ire, primus exſurgere, cunctis adeſſe officio, adeſſe opera, adeſſe conſilio, nullamque ad rem, quæ ad accuratiſſimam Ordinis diſciplinam pertineret, adhortari, incitareque Fratres, quam ipſe non antea cumulatiſſime expleviſſet (1) Hoc Sebaſtiani Maggii vivo exemplo, ſubmiſſione, ſuavitate, clementia, cæteriſque artibus quas ei Spiritus cœleſtis haud dubie ſuggerebat, illecti Patres quotidianæ vitæ munera, laboreſque cum privatos, tum publicos, quos aliquantum remiſerant, ita reſumpſerunt, ut difficile cognitu ſit, pluſne civium animos ea diſciplinæ inſtauratione ad ſe converterint, an præcedenti vitæ tempore abalienarint. Multiplicatis enim, ut dictum eſt, lectiſque operariis & frequentior in ſacris Prædicatorum Ædibus Sacramentorum uſus, & Sacrificiorum, divinarumque laudum celebratio ſolemnior, & major in dies in

(1) *Ex ejus vita Breviario O. P. adjecta in lect. 2. nocturni.*

Digitized by Google

in concionibus habendis, juventute erudienda, pauperibus ſublevandis, reque publica quoquo modo juvanda ſollicitudo.(1)

CAPUT SECUNDUM.

Ab ipſo Sebaſtiani Maggii in hanc Urbem adventu Ædes, & Templum inſtaurantur a Patribus, multiſque additis rebus ornantur, atque perficiuntur.

NOn in veteri tantum diſciplina promovenda, Civibuſque juvandis, ſed in ipſo etiam Ædificio partim inſtaurando, partim quoque augendo plurimum ſtudii, operæque collatum. Nam ab anno, quo ex ſuburbanis in civitatem eſt ventum, ad memoratam fere Sebaſtiani Maggii præfecturam, multa quidem aptiſſimè incœpta, ſed ob rei familiaris tenuitatem non omnia ſuis numeris abſoluta. Quæ vero perfecta jam fuerant, ſive ob male poſita initia, ſive ob ducentorum fere annorum edacitatem eo devenerant, ut pleraque quam proxima, inevitabilique reparatione indigerent. Nam collapſa templi laquearia quatuor, columna una diruta, frons fulmine icta, aliæque partes bene multæ jam pene concidere videbantur.(2) Itaque non modo reſtaurata ſunt, quæ corruerant, quæque ruinoſa haberentur, communita, ſed multa veteribus addita, atque a fundamen-

 tis

(1) *Ex Petro Maria Feſto in Chron. c. 4. pag. 8., & ſeq., tum ex aliis rerum Cremonenſium Scriptoribus.*

(2) *Petrus Maria Paſſerinus Hiſtor. MS. Conv: S. Domin. Cremon. lib. 2. n. 10, aliaq. in hanc rem monum. in hoc Archiv. ſervata.*

1487 tis excitata. Ac primum omnium Patres Sacello templi majore, propterea quod ſua parvitate reliquarum partium magnitudini minime congrueret, dejecto, ut, quod nunc extat, ædificaretur, curarunt certa viæ publicæ portione ab Joanne Galeatio Sfortia Ticini Regii per eos dies agente ad id impetrata. (1) Id, ubi eſt perfectum, Auguſtino Pampicino pingendum pacto pretio tradiderunt. (2) Per idem fere tempus, & turris magnæ porro altitudinis ædificata, & organum pneumaticum affabre elaboratum, & aræ conditæ, aliaque multa in ſacris Ædibus vel exſtructa, vel inſtaurata. Tum valetudinarium, aliæque Cœnobii partes vel erectæ a fundamentis, vel quæ perfectione indigerent, omnino abſolutæ. (3) Nimis longum eſſet, atque a nobis, qui rerum tantum ſummas attingere decrevimus, alienum, omnia deſcribere particulatim. Hoc unum minime prætéribimus. Cum Patres, propterea quod ſingulari doctrinæ, probitatiſque exiſtimatione florerent, magnam ſibi civium gratiam, reverentiamque conciliaſſent, nilque unquam gratuitum ab iis quæſiſſent, quod ad divitias cumulandas pertineret, fuiſſentque quadam ſemper rerum domeſticarum mediocritate contenti, tali Dominicanorum moderatione permoti cives in id plerique contendebant, ut quæ iis eſſent ad ædificandum, perficiendumve, quod cœperant, neceſſaria conferrent. Atque ea quidem conditione, conventioneque conferre ſolebant

ut

(1) *Conceſſio illa facta eſt 13. Junii 1487. Paſſerinus ibidem n. 11.*
(2) *Conductus eſt Pampicinus Kal. Februar. 1497. Paſſerin. n. 13.*
(3) *Paſſerinus lib. 2. n. 65. 92. 105. 106. & ſeq.*

ut pro ſe, ſuiſque hæredibus certæ ſupplicationes, & ſacrificia perpetua a noſtris hominibus fierent. (1)

CAPUT TERTIUM.

Franciſcus Granellus Juriſconſultus Dominicanos Cremonenſes rerum omnium ſuarum hæredes teſtamento certis conditionibus ſcripſerat. Eo vita functo Benedinus, & Joannes ex fratre nepotes Patrui voluntatem fraudare conantur. Detecta fraude, atque in judicio victi, religioneque moti cum noſtris denique amice conveniunt.

DOmum ſatis amplam, & commodam ad portam urbis Moſanam una cum prædio tranſpadano, quod in vico, cui S. Petretti nomen, tenebat, teſtamento reliquerat noſtris Franciſcus Granellus Juriſconſultus. (2) Teſtamenti inter cæteras hæc erat conditio, ut domus illa in parvum Cœnobium, quod ſex Fratres incolerent, converteretur, deque prædiorum reditibus, detracto victu, ac veſtitu, duo ſingulis diebus pro teſtatore ſacra peragerentur. Anno poſtero Benedinus, & Joannes Franciſci nepotes, cum hic e vita migraſſet, ejuſque bona omnia, reſerato teſtamento, in ditionem noſtram venire jam debuiſſent, ad Sixtum IV. Summum Pontificem pro commutatione legati obtinenda libellum ſup-

 plicem

(1) *Quid, & quibus conditionibus, & pactis a benefactoribus acceperint Noſtri, per ſingulas partes exponit Petrus Maria Paſſerinus lib 1. & 2. Hiſtor. MS. Conv. Cremonen. neque hic harum rerum recitandarum eſt locus*

(2) *Franciſcos Granellus teſtamentum illud condiderat anno 1477. ut colligitur ex Chron. MS Petri Martyris Feſti c. 5. pag. 8. atque ex Paſſerin lib. 2. n. 70., aliiſque monum. in Archivo noſtro aſſervatis.*

plicem dant, pollicenturque, ſe Dominicanis Cremonenſibus ſacellum unum in eorum templo, vel ſacrario ſtructuros, iiſdemque libellas annuas centum ex ſexaginta circiter jugerum fundo exigendas, quibus memorata quotidie ſacrificia duo conficerentur, daturos. Annuit Pontifex Granellorum petitioni, quæque fuerant polliciti, uti religioſe, ac certo conſtituto tempore perficerent, imperavit. Pontificiis illi mandatis parent cum libentiſſime, tum omni fide, ac diligentia. Sacellum exſtruunt in ſacrario ad orientem ſolem ob hanc cauſſam protenſo, intra annos, uti Pontifex juſſerat, duos. Cenſum quotannis ſolvendum Patribus inſtituunt intra menſes ſex. Reliquis Patrui bonis pacifice, ut ſibi vi-
1491 debatur, utuntur. Verum haud ita multos poſt annos viſa eſt Antonio Aſtenſi Familiæ noſtræ præfecto, cæteriſque Patribus in conſilium adhibitis Franciſci Granelli teſtatoris enormiter nimis fraudata mens. Innocentium propterea VIII. ea de re conſulere conſtituerunt. Ad hanc cauſſam cognoſcendam, finiendamque Pontifex Majoris templi Placentini Præpoſitum delegavit doctiſſimum, æquiſſimumque virum. Rebus hic utrinque perpenſis, riteque cognita Franciſci Granelli poſtrema voluntate, ſurreptas ab Sixto IV. litteras declarat, bonaque Teſtatoris univerſa ad Dominicanos Cremonenſes pertinere jure legati decernit. Ab hac Franciſci nepotes ſententia cum ad alium judicem provocaſſent, idemque judicium ea de re latum intellexiſſent, religione, ut veriſimilius eſt, capti, aliud conſilium inierunt. Rogatis itaque Patribus, ut ſecum amice

con-

convenirent, eo queſtio eſt deducta, ut hæreditas ex aſſe divideretur omnis in partes æquales omnino duas. (1) Rebus igitur ſingulis conſtituto pretio, partitioneque rite facta, prædium in loco, quem ſupra nominavimus obtigit noſtris jugerum octoginta. Quem Dominicani fundum una cum adjuncto ſacrificiorum onere tenuerunt, donec eo vendito, quod vicini Padi eluvionibus eſſet obnoxium, aliud in agro Piceleonenſi prædium, cui Tencaria nomen, ad fluvium Abduam coemerunt. (2)

CAPUT QUARTUM.

In Pago Cremonenſi, quem Azzanellum vocant, hæreditatem a Philippo Tincto relictam adeunt Noſtri. Ab certis conditionibus, & oneribus haud ſatis a Teſtatore perpenſis magna ex parte liberantur.

EST in agro Cremonenſi Pagus, quem Ollius amnis alluit, mille fere paſſibus quatuordecim in Septemtrionem ab urbe Cremona ſitus. Azzanellum vocant indigenæ. Aeriſque ſalubritate magis, quam ſoli feracitate æſtimatur. Domum eo loci habebat ruſticam multis undique fundis veluti circumſeptam, quo levandi a curis urbanis animi cauſſa adire ſolebat identidem Philippus Tinctus ex nobiliſſimo hujus cognominis genere. Hic ab hac vita decedendi tempus cum jam ſibi

 appe-

(1) *Hæc omnia iiſdem fere verbis accipimus ex Petro Martyre Feſto, & Petro Maria Paſſerino locis citatis, quorum uterque teſtatur ſe in hanc rem MS. Archivi noſtri monumenta conſuluiſſe.*

(2) *Anno 1610. ut apparet ex Chron. MS. Petri Martyris Feſti c, 5. pag. 9. aliiſque Archivi noſtri Monum.*

appetere intellexiſſet, ſuæq; æternæ incolumitati, quo
nihil habebat antiquius, proſpicere, quantum per ſe liceret,
conſtituiſſet, ſerio cœpit de legato aliquo inſtituendo
cogitare. Accerſitis itaque IX Kalendas Auguſti
1498 Tabellionibus quatuor (1) domum, quam ipſe incolere
conſueverat, decemque ſupra centum circiter juge
ra Dominicanis Cremonenſibus, quorum fidei, ac
probitati plurimum confidebat, teſtamento reliquit. Ea
vero fuit ultima Philippi mens, quam verbis teſtatam
voluit ampliſſimis, ut ex ea ſcilicet domo Cœnobium
exſtrueretur, & fanum S. Mariæ Conſolationis titulo
conſecrandum: ac diebus interim ab ejus obitu triginta
in eum locum Sacerdotes octo convenirent, qui pro de-
mortuo Teſtatore preces ad Deum funderent perpetuas
diviniſque rebus interdiu, noctuque intereſſent. Hiſce
Philippus Tinctus rite compoſitis, octavo idus Septem-
bres inopinato demoritur. Reſignato teſtamento conve-
1500 veniunt Patres, Marco Blancatenſi præfecto, Epiſcopo-
pi Vicarium Ranutium Floravantium, ab eoque, ut re-
lictam ſibi hæreditatem adire poſſint, impetrant. (2)
At vero cum probe intelligerent, fieri nullo modo poſſe,
ut proventibus, quos eſſent ex eo prædio in annos ſin-
gulos percepturi, & Sacerdotes octo alerentur, & Cœ-
nobium ſimul ædificaretur, præſertim cum ejus anni
1501 fructus ad nos minime perveniſſent, ad Alexandrum VI.
ſup-

(1) *Tabelliones fuere Ludovicus N., Hilarius Stroppius, Joannes Jacobus Bettus, ac Joannes Petrus de Benis, qui Teſtamentum rogati ſubſcripſerunt. Aſſervatur in hoc noſtro Cremonenſi Tabulario.*

(2) *Paſſerinus lib. 3. c. 3. n. 2. & ſequent. Idem Feſtus loc. cit.*

ſupplices perfugerunt, (1) uti per annos viginti in ea domo duos tantum Sacerdotes ad curam ædificii morari ſua auctoritate permitteret, polliciti, ſe intra hoc temporis ſpatium, quæ fuerant ab Teſtatore imperata, facturos. Alia ratione qui fieri id poſſit, non videri. Neque veriſimile eſſe, tam bona in noſtros voluntate virum intolerabili eos onere premere voluiſſe. Eſſe propterea exiſtimandum, eas difficultates vel non fuiſſe a Philippo Tincto prævilas, vel earum explanationem, diſſolutionemque aliorum judicio, auctoritatique permiſſam. Hiſce Pontifex intellectis ad Floravantium dat litteras (2) quibus hujuſce cauſſæ cognitorem eum inſtituit, & judicem. Nil prætermiſit Floravantius, quod ad hanc rem cognoſcendam pertineret. Nam cum Noſocomii urbani curatores, quibus aliæ a Philippo Tincto poſſeſſiones obvenerant adminiſtrandæ, obſtitiſſent, quominus ea Patribus conceſſio a Pontifice fieret, objicerentque Philippi mentem, de Prædicatorum pro Noſocomio ipſo ab hæreditate lapſu, niſi appoſitas teſtamento conditiones impleſſent, in jus vocatis conductoribus, colonis, aliiſque, quorum intererat, adhibitiſque incorruptis, oculatiſque juratis teſtibus accuratam Floravantius quæſtionem inſtituit. Qua ex re factum, ut veritate cognita, æſtimatiſque per nobiles Viros Paganinum Ugolanum, Alexandrum Melium, & Petrum Oldovinum (3)

(1) *Scripſerunt Noſtri ad Pontificem anno 1501. Paſſer ibidem.*

(2) *Litteræ ad Floravantium datæ ſunt ab Alexandro VI. die 8. Julii 1501. Paſſerinus & Feſtus locis laudatis.*

(3) *Erant hi per eos dies Xenodochii majoris curatores. Ita Paſſer. lib. 3. c. 3. n.*

cum prædii noſtri reditibus, tum ædificii exſtruendi, Sacerdotumque octo alendorum neceſſariis impenſis, deprehenſum eſt, nil Prædicatores a Pontifice petiiſſe, quod æqui, honeſtique fines excederet. (1) Nihilo tamen ſecius contracta noſtrorum fortaſſe plus juſto petitio eſt: Nam initis Noſocomiani cuſtodes accepti, & expenſi rationibus, conſtituerunt, annorum quindecim ſpatio ali in Philippi domo Sacerdotes quatuor, eodemque tempore excitari, perficique commode Cœnobium poſſe. Quæ deinde qualiſcumpue ſupputatio, definitioque ab univerſo Noſocomianorum collegio probata, confirmataque eſt. (2) In quam denique ſententiam cum Floravantius ipſe veniſſet, quod, ſervata mediocritate quadam, utrique faventem parti judicarat, decreto eandem
1503 ſuo firmavit. (3)

CAPUT QUINTUM.

His impetratis, Azzanelliani Coenobii, & ſacrarum Ædium opus eſt cæptum. Ob ingruentes tamen belli moleſtias, & incommoda minime abſolutum. Cui perficiundo triennii prorogatio ab Leone X. obtinetur, atque intra id ſpatii perficitur.

DEminutis tali modo conditionibus, oneribuſque impoſitis, priuſquam indicti operis initium ponerent,

(1) *Sunt ipſa fere Ugolani, Melii, & Oldovini verba ad Collegas ſuos relata; ſervanturque in Archiv. noſtro veteri caractere in folio exarata.*
(2) *Ibidem. Tum Feſtus in ſuo Chron. MS. c. 6. pag. 9. & ſeq.*
(3) *Die 3. Novembris 1503. Paſſerinus loco laudato.*

nerent, facultatem Patres, cum Hieronymus Mainoldus iis præeſſet, ab Julio II. impetrarunt, (1) qua parvum 1506
Cœnobium, ædeſque ſacras exſtruere non in ipſa quidem Philippi domo, uti videbatur ab eodem imperatum, ſed in alio cum ſalubriore, tum a populi tumultu remotiore ſitu intra ejuſdem prædii fines poſſent. Per eaſdemque Pontificias litteras copia vendendæ, commutandæque domus, aliorumque bonorum, modo id expedire Fratres judicaſſent, fiebat. Hiſce præjactis cœpta eſt non ſpernendis utique impenſis ædificatio. At vero Conventum annorum quindecim ſpatium prius elapſum, quam opus incohatum perfici ſuis numeris poſſet. Non id tamen tribuendum quis putet Dominicanorum incuriæ. Nam bello in agro Cremonenſi per eos dies graſſante, licentia militum omnia vaſtantium effecit, ut neque arva ſatis coli, neque fructus omnes inde capi ſtatis temporibus potuerint. Quo factum eſt, ut quibus finitimi, iiſdem Noſtri premerentur incommodis, eoque gravioribus, quo majores erant rei noſtræ familiaris anguſtiæ. Ad Sylveſtrum igitur Prieratem, quem habuerant paullo ante hujus familiæ moderatorem, (2) per id vero tempus Apoſtolici Palatii Magiſtrum ſcripſerunt, ut eo deprecatore ab Leone X. Pontifice Maximo trium ſaltem annorum prorogatio concederetur operi, quod cœperant, perficiundo. Prieras, ut erat harum

(1) *Julii II. litterarum hæc ſunt prima verba;* Nos igitur, qui quarumcumque Religioſarum Perſonarum... *Datum pridie Kalendas Aprilis ann.* 1506. *Servanturque in Archiv. hujus Conv. accuratiſſime.*
(2) *Præfuit Cœnob. Cremonen. ab ann.* 1512. *ad* 1514. *Catalog. Priorum.*

harum rerum minime ignarus, multaque apud Pontificem gratia valebat, dilationem, quam ſui petierant, nullo negotio impetratam ad Alexandrum Zucchellum
1518 Azzannellianæ domus vicarium miſit. (1) Eo Zucchellus accepto diplomate, & parcius vivere, & nullam non diligentiam, ſolertiamque adhibere, ut intra conſtitutum tempus omnia quam accuratiſſime perficerentur. Itaque & fanum ſatis amplum, omnique ſacra ſupellectile ornatum, & Cœnobium ad Sacerdotes octo concludendos idoneum & cuncta, quæ huc ſpectabant,
1521 ita abſoluta, ut ne cogitare quidem Xenodochiani, quod obiicerent, poſſent. Neque tamen ad eas ædes poſthac incolendas definitus teſtamento Sacerdotum numerus eſt miſſus. Nam factus quidem ædificationi finis, non item belli in tota Inſubria ſævientis, non militum, non equorum, non præpotentium, & improborum homi-
1540 num moleſtiis, & incommodis. Quamobrem veriti Patres, ne conventis prorogationibus jam præterlapſis, in novas cohæredum objectiones, & lites inciderent, haudquaquam dubitandum, cunctandumque arbitrati ſunt, quin ad aliam annorum quindecim dilationem obtinendam confugerent. Id quod a Paullo hujus nominis III.
1547 ſunt conſecuti. (2)

CA-

(1) *Impetrata eſt ea dilatio vivæ vocis Oraculo ab Leone X. anno* 1518. *Archiv. Conv. ad eum annum.*

(2) *Paulli III. litteræ, quibus ea dilatio conceditur, incipiunt:* Nos igitur vos, & quemlibet veſtrum a quibuſvis... *Dat. menſe Aprilis* 1547. *anno* 1540. *habita hic ſunt Comitia Provincialia.*

CAPUT SEXTUM.

Decernitur, Ædes Azzaellianas, earumque fundos ad Cremonenſe Cœnobium pertinere. Idque tandem ab Julio III. impetrant Patres, ut tres tantum eo loci Sacerdotes alantur.

COorta per idem tempus inter Prædicatores Azzanellianos, & Cremonenſes quæſtio, pertinerent ne illi ad hanc familiam, eſſentque ſub Præfecti Cremonenſis imperio, an liberi, ſuique juris, ab unaque tantum Moderatorum Provincialium voluntate penderent. Quæ dubitatio Comitiis Provincialibus Regii Lepidi primum, tum Arimini, ac Vicentiæ paullo poſt celebratis propoſita cum fuiſſet, auditis, accurateque perpenſis utrinque momentis, decretum eſt a Patribus, Azzanellianos non alium, præter Cremonenſem, habere Præfectum, nec habituros; idque ex ultima Philippi Tincti voluntate conſtare luculentius, quam ut ulla interpretatione indigeret. Quam ſubinde Comitiorum Sanctionem Franciſcus Romæus Magiſter Generalis quadrageſimus quintus pro ſumma auctoritate probavit, ac ne quiſquam eidem in poſterum obſiſteret, vetuit. (1) Sed & Cardinalis Joannes Toletanus anno inſequente (2) ſuis litteris 1548
declaravit, idem fuiſſe a Paullo III. vivæ vocis, ut appellant, oraculo confirmatum. Poſt hæc Dominicanis Cre-

(1) *Romæi litteræ datæ ſunt Bononiæ X. Kalendas Nov 1547. his verbis*: Tenore præſentium, noſtrique auctoritate officii omnia, & ſingula... *Archiv. Conv.*

(2) *Cardinalis Toletani datæ ſunt Romæ XI Kal. Apr. 1548. incipiuntque*: Nos Joan. a Toleto miſeratione S. Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis.

Cremonenſibus id erat reliqqum, ut ab cohæredum moleſtiis in poſterum tolerandis liberarent ſe penitus, totque in Azzanelliano Vicariatu Sacerdotes alere ſolumodo tenerentur, quot fundi a Philippo Tincto relicti tenuitas ferret. Poſteaquam igitur Ranutii Cardinalis Santangeli interpoſitu novam in ſexennium protractionem ab Julio
1551 III. impetraſſent, (1) neque propterea creſcentibus in diem anguſtiis conſultum vidiſſent, illud denique conſilium cœperunt, ſut ad extrema ſe ſe experimenta reciperent. Libellum itaque ſupplicem eidem Pontifici dederunt, cujus hæc erat fere ſententia: Nil quidem intentatum reliquiſſe ſe, ut quæ fuerant ab Philippo Tincto imperata perficerent; ſed eſſe hæreditatem, quæ ſibi ab eodem obvenerat, tenuem adeo, totque obnoxiam adverſis caſibus, ut niſi tres tantum deinceps Sacerdotes in Azzanellianis Ædibus commorari permittatur, certiſſime præſentiant, ob rei familiaris viduitatem ſe illinc omnino diſceſſuros. Habere Tinctos in Cremonenſi Dominicanorum Templo Sacellum, habere ſepulcrum, Teſtatoremque ipſum in eodem humatum. Sacrificia proinde, ſupplicationeſque conventas, ſi quæ illic dicerent, huc poſſe commode, opportuneque tranſcribi. Haud dubium denique videri, quominus hæc a Philippo ipſo, ſi viveret, re melius cognita, probarentur, ac ſecus con-
1553 ſtituta corrigerentur. (2) Hiſce Julius, aliiſque hujuſmodi

(1) *Ea additio concessa est menſe Augusti 1551. cujus hæc ſunt prima verba Nos igitur ejus Teſtamenti. Archiv. Contr. ad eum annum.*
(2) *Petitio ista facta est a Patribus anno 1553. Hieronymo Politio Præfecto Archiv. Contr. ad eum annum.*

modi argumentis permotus Hieronymo Ultramarino Ferrarienſi Cardinalis Ceſii Epiſcopi Cremonenſis Vicario ſuis litteris mandat, (1) ut quæ a Prædicatoribus Cremonæ degentibus fuerint poſtulata, Apoſtolica auctoritate largiatur. In Azzanellienſium eos bonorum poſſeſſione confirmet: Ab omni devolutionis metu, ſi quem conceperint liberet: Sinat, eum locum a tribus tantum eorum Sacerdotibus incoli probata morum gravitate, ac doctrina viris, quorum unus conciones ad eum populum ſtatis temporibus ſit habiturus, omnes pro Philippo Tincto interdiu Deum, noctuque deprecaturi. Cætera, ſi quæ contraxerint, in Cremonenſe Cœnobium transferibat. Quæ Julii III. mandata Hieronymus Ultramarinus firmo, ampliſſimoque Decreto perfecit: (2) Atque poſthac nulla amplius ſunt Noſtri importunitate ob eam cauſſam vexati.

CAPUT SEPTIMUM.

Duo Cœnobii Cremonenſis alumni ad Epiſcopatum promoti. Sacerdotium, quod duodecim Apoſtolorum appellabatur nomine, una cum Sanctorum Viti, ac Modeſti Parœcia Joanne Petro Giuſſano abdicante, Sanctiſſimoque Pio V. liberaliter concedente in noſtram venit poteſtatem.

DEcennio poſt inſecutum eſt biennium Dominicanis Cremonenſibus perilluſtre. Nam duo ex his

(1) *Litteræ Julii III. datæ ſunt* 16. *Maii* 1553. *quarum hoc eſt initium*: Quibus Ordinis obſervantia, bonaque pie recta propagantur... *Bullar. O. P. tom* 5 *pag*. 25.

(2) *Hieronymi Ultramarini decretum datum eſt* 29. *Julii* 1553. *his verbis*: Nos igitur volentes, ut par eſt, Apoſtolicis mandatis parere. *Archiv. Rhyny. ad eum annum.*

his fuere ab uno Pio IV. ad Epiſcopatum promoti: At-
1563 que horum quidem Daniel Barbovius ad Petinenſem in
1564 Iapidis (1), & Hieronymus Politius in Hirpinis. (2) Sed & aliud per idem fere tempus a Pio V. Pontifice Maximo inſigne beneficium accepimus. In Cremonæ ſuburbanis eſt fanum paſſibus circiter quingentis extra portam Brixianam poſitum ſeptemtrionem inter, & orientem ſolem. Pertinebat olim hoc Sacerdotium proventibus haud ſane contemnendis inſtructum ad Benedictinos Monachos; ac duodecim Apoſtolorum Prioratus nomine appellabatur. (3) Huic Sacerdotio facta eſt progreſſu temporis Paræciæ Sanctorum Viti, & Modeſti intra mænia conjunctio, (4) ut qui eo in poſterum uteretur, vel hanc quoque adminiſtraret per ſe, vel ut rite adminiſtraretur, omni, ut par erat, fide diligentiaque curaret. Habuit igitur, id conferentibus Romanis Pontificibus commendatarios, quos vocant, plures. Nam illud obtinuerunt. Ab Martino V. Joannes Cireſius Epiſcopus Galtilicienſis; (5) Ab Alexandro VI. Zanardus Bagarottus Epiſcopus Sutrienſis (6); ab Clemente deniq; hujus nominis. VII Domicilius Giuſſanus (7); tum ejuſdem

(1) *Joannes Michael Cavallerius tom. 1. centur 4. pag. 415. n. 185. aliique.*

(2) *Idem Cavallerius tom: 1. centur. 4. pag. 440., & 441. n: 225., & Ughellus Ital. Sacr. tom 8. pag: 544.*

(3) *Petrus Maria Paſſerinus Hiſt. MS: Conv. lib. 4 c. 1. n. 1., & ſeq. Item Feſtus in ſuo Chron. MS. c. 6. pag. 13. & 14. denique Memorial. MS. Conv. c. 21. pag. 152. & alibi in Archiv. Conv.*

(4) *Facta eſt ea unio anno circiter 1400. ibidem.*

(5) *Prioratus XII. Apoſtolorum collatus Joanni Cireſio ann. 1434.*

(6) *Zanardo Bagarotto anno 1487.*

(7) *Domicilio Giuſſano anno 1533.*

dem cognominis Galeatius, qui, ut Joanni Petro Giuſ-
ſano nepoti conferretur, a Pio IV. impetravit. (1) Joan-
nes igitur Petrus ejus Sacerdotii Prior commendatarius
inſtitutus, poſteaquam Patribus, quos Capuccinos ap-
pellant, Cremonam per eos dies admiſſis ſuburbanum
illud, quod demonſtravimus, templum una cum parva
terræ portiuncula ad ædes extruendas, hortumque pa- 1566
randum conceſſiſſet, (2) cœpit fluctuare animo, deque
Apoſtolorum Prioratu abdicando cogitare. Hujuſmodi
autem, quam moliebatur, abdicationis cauſſa, religio
fuit. Ac primum omnium graviter angebatur, quod
contra, ac lege ſancitum fuerat, jam annus ab beneficii
poſſeſſu, in quem venerat, præteriiſſet, nec dum eſ-
ſet Sacerdotio initiatus. Tum illud obſtabat gravius,
quod homicidii crimine adeo inſimularetur, ut hujus
facinoris rumore vulgato, cum Pontifex ipſe Sanctiſſi-
mus Pius V. in magnam ejuſdem criminis ſuſpicionem
veniſſet, S. Petri Abbatem, & Matheum Granellum
Epiſcopi Cremonenſis Vicarium ſuis litteris juſſerit, 1567
ut in Joannem Petrum Giuſſanum quæſtionem inſti-
tuerent, objectique homicidii reum ſi cognoviſſent,
a beneficio dejicerent. (3) Id vero Giuſſanus, cum, non
mentiente conſcientia, præſenſiſſet, ultro fecit, quod vi
præviderat ſe eſſe facturum. Memoratum ſcilicet Apo-
ſtolorum Sacerdotium, Paræciamque Sanctorum Viti,
& Modeſti eidem adjunctam Dominicanis Cremonen-
ſibus,

(1) *Joanni Petro Giuſſano anno 1561.*
(2) *Ea PP. Capuccinis conceſſio facta eſt anno 1566 Ita ex laudatis Scriptoribus.*
(3) *Litteræ illæ Pii V. datæ ſunt III nonas Novembres 1567. Ita Feſtus, Paſſerinus, & Memorial. Conv. loc. cit.*

ſibus, modo id Pontifex probaſſet, remiſit. (1) Verum cum haud multos poſt dies, amicis fortaſſe inſtigantibus, eum facti pœnituiſſet, abdicationemque revocare per procuratorem tentaſſet, inſtabilitate, levitateque ſua id effecit, ut Pius V., qui hominem vehementius in dies ſuſpectum habebat, eum Prioratu depulerit, in ejuſque locum Dominicanos Cremonæ commorantes, nilque cogitantes minus Apoſtolica auctoritate ſuffecerit. (2) Pontificiarum hæc erat ſententia litterarum: Fratres Prædicatores Cremonenſes in earum omnino rerum, quæ ad Sanctorum duodecim Apoſtolorum Sacerdotium pertinerent, legitimum poſſeſſum venirent, eas ipſi adminiſtrarent per ſe, fructus inde perciperent univerſos; retentiſque ad alendum ex Ordine, & familia, (3) quemcumque voluiſſent, Sanctorum Viti, ac Modeſti Paræcum, nummis aureis quinquaginta, reliquos proventus Giuſſano, donec viveret, religioſe permitterent, eoque vita functo cuncta poſſiderent; eſſentque ab omnibus decumis, aliiſque quibuſcumque vectigalibus ſolvendis immunes. (4) Acceptas Patres has litteras Me-

(1) *Dimiſſio Prioratus facta eſt a Giuſſano eodem an. 1567. ex iiſdem Scriptor.*

(2) *Conceditur idem Prioratus Dominicanis Cremonen. a Pio V. per litteras Apoſtolicas, quarum hæc ſunt prima verba:* Exigit incumbentis Nobis Apoſtolicæ ſervitutis officium... *Dat. III. nonas Decembris 1567. Pontific. anno 2. Bullar. O. P. tom. 7. pag. 178.*

(3) ..:. Curamque eidem annexæ Eccleſiæ imminentem per unum ex domus præfatæ Fratribus exerceri... Sunt ipſa Pii V. Bullæ verba.

(4) Et inſuper eundem Prioratum XII. Apoſtolorum... ab omnibus, & ſingulis decimis, quartis, quintis... omniq; ſubſidio etiam charitativo... etiam pro eccleſiaſtico puerorum Seminario, nec non ab omnibus, & quibuſcumque... in omnibus, & per omnia auctoritate, & tenore præſentium perpetuo eximimus, & totaliter liberamus... Ita laudatæ Pii V. litteræ.

Mediolanum ad œconomum regium Marcum Antonium Patanillam detulerunt, ab eoque aſſenſum Principis, obtinuerunt. Hic haud ita multo poſt, (1) Vidæ Piſena- 1568
to, nomine Principis, mandat, ut Dominicanos Cremonenſes in omnium bonorum, quæ Sanctiſſimus Pius V. eiſdem conceſſerat, poſſeſſionem quam primum deducat. Id quod paucis poſt diebus eſt factum. (2) Ne vero daretur ullus in poſterum tergiverſationi, aut pravæ interpretationi locus, Priores idem Pontifex litteras aliis luculentioribus, atque preſſioribus confir- 1569
mat. (3) Quibus acceptis actio ad poſſeſſum pertinens ab Julio Ferrario Cœnobii Præfecto, & Honufrio Corregienſi procuratore iterata (4) domuſque ſacris Viti, & Modeſti ædibus finitima Joanni Petro Giuſſano ad habitandum precario eſt tradita. (5) Sed & ipſum Apoſtolorum fanum cum parvo fundo circumjacente, quod Giuſſanus ipſe Capuccinis contulerat, ea iiſdem Patribus lege eſt permiſſum, ut, ſi abs eo loco exceſſiſſent, ad noſtros illico reverteretur. Actaque ſunt hæc omnia pacate admodum, ac nullo ſtrepitu.

(1) *Litteræ Marci Antonii Patanillæ datæ ſunt VII. idus Apr. 1568., ſuntq; que in Arch. noſtro lib O. fol. 405.*

(2) *In eorum bonorum poſſeſſionem deducti ſunt Noſtri X. Kal. Octobres 1568: ſubſcribentibus Joanne Andrea, & Franciſco de Ferrariis. Habita Cremonæ ſunt hoc anno Comitia Provincialia.*

(3) *Poſteriores Pii V litteræ datæ ſunt XV. Kal. Junias anni 1569. quæ Priores confirmant. Archiv Conv.*

(4) *Actio poſſeſſus iterata pridie nonas Julias 1569. ſub ſcribente Joanne Baptiſta Maino.*

(5) *Eodem anno, & actione. Archiv. Conv.*

CAPUT OCTAVUM.

Domus cauſſarum fidei agendarum ex fundis, & ædibus ad Cænobium pertinentibus, partim ab Cænobio ipſo coemptis, partim vero precariis, pro rei dignitate magnifice excitatur.

Rebus tam belle fluentibus, ſub idemque fere tempus, quo Dominicani Cremonenſes Pii V. liberalitate ſunt aucti, ut ædes, quas fidei quæſitores incolerent, extruerentur, inque commodiorem, decentioremque formam redigerentur, curatum. Conſueverant
1575
annum ante ejus ſæculi quinquageſimum qui Provinciis Fratrum Prædicatorum adminiſtrandis preficiebantur, id etiam juris, ac poteſtatis habere, ut ſingulos plerumque deligerent probata virtute, ac dexteritate viros, qui in hæreticam pravitatem inquirerent. (1) Hi vero cum cæteris Fratribus uti cibo, ac veſtitu, ita communi domicilio utebantur. At poſteaquam a Romanis Pontificibus facta eſt huic dignitati major honoris, & auctoritatis acceſſio, & ſingulis Civitatibus, qui fidei tuendæ vindicandæque præeſſent, Apoſtolica auctoritate deſignari, & certis vectigalibus inſtrui, & honeſtiores, ampliorefque domos quibus ad jus dicundum commodius uterentur, permitti. Primum omnium, qui Romani Senatus conſulto, ſummique Pontificis decreto ad id muneris obeundum Cremonam acceſſerit, fuiſſe legimus

(1) *Petrus Martyr Feſtus Chron. M. c. 12. pag. 27., & 28. Paſſerinus lib. 2. n. 139., & 146. Memor. MS. Conv. c. 10. pag. 68.*

mus (1) Joannem Baptiſtam Clarinum haud vulgari doctrina, probitateque virum. Huic proxime ſucceſſere Hieronymus Politius, de quo ſuperius eſt dictum, & Vincentius Capranus haud multos poſt annos ad Epiſcoparum ambo promoti. (2) Horum in locum virorum ſuffectus Julius Ferrarius cum fuiſſet, ſerio cœpit de ſanctæ Inquiſitionis ædificio cum Patribus agere, deque coemendis aliquot cœnobii partibus, aliiſque precario obtinendis conferre. Habebant eo in loco Patres & officinas, & domunculas, quas locabant, & ſolarium magnæ porro latitudinis, ultimæque antiquitatis, cujus in parte ſuperna communia Patrum veſtimenta, reſque lintcariæ cuſtodiebantur. (3) Officinas igitur duas, quæ ad oſtium templi, & cœnobii propius accedebant, una cum ſolario ſuper extructo emit Julius Ferrarius argenteorum quingentorum pretio, & amplius, Severino Septempedano Præfecto. (4) Reliquas, ſucceſſione temporis, quas in toto ejus loci ambitu cœnobinm tenebat, officinas obtinuerunt fidei Queſitores, tertiam quidem Joanne Paullo Nazario, quartam Michaele Brixienſi, quintam Maximo Guazzonio Bozzulenſi familiam hanc moderantibus. (5) Atque hunc in modum ædes Cremonenſium fidei quæſitorum extructæ. Cæterum ſive quæ precario, (6) ſive quæ præſenti pecunia impetrarunt,

 ea

(1) *Petrus Martyr Feſtus in Serie Chron. Inquiſitorum Cremonenſium pag. 28.*
(2) *Ughel. Ital Sac. t 8 p. 54 ., & Michael Cavalerius t 1. p. 4,0., & 441.*
(3) *Petrus Maria Paſſerinus Hiſtor. MS. Conv. Cremon. lib. 2. n. 138.*
(4) *Arch. Conv. S. Domin. Cremon. lib. O. fol. 399.*
(5) *Archiv. Conv. S. Domin. Cremon. lib. R. fol. 221.*
(6) *Quæ precaria fuere, commemorantur ſingulatim in lib. D. fol. 280., & lib. O. fol. 228. in Arch. noſtro aſſervatis.*

Digitized by Google

ea ſunt eis lege conceſſa, ut ſi quando Prædicatores ab hoc magiſtratu contingeret exceſſuros, omnia in priſtinum ſtatum, & ſingula eſſent illico reditura. (1) Nova interea ornamenta, & commoda huic ædificio alii alia addidere: idemque ad præſentem, quæ urbem ipſam illuſtrat, egregiam formam perduxerunt.

CAPUT NONUM.

Creſcente in dies librorum ſegete, novam Bibliothecam Patres & multo ampliorem, & pro rerum continendarum dignitate ſplendidiorem ædificant. Ædificatam & certis reditibus inſtruunt, & perpetius voluminibus augent.

HÆc pro fidei quæſitorum ædibus conſtruendis dum ab Julio Ferrario, aliiſque geruntur, nil morandum arbitrati ſunt Patres, quominus nonnullis etiam cœnobii partibus ſive inſtaurandis, ſive in totum excitandis incumberent. Auctis Pii V. munificientia proventibus, adauctus quoque alumnorum numerus eſt. Atque inter cætera, quæ pro ratione redituum incrementum ſuſcepere, multitudo librorum, quibus noſtri utebantur, ita in dies excreverat, ut in veteri Bibliotheca capi jam ultra non poſſent. Itaque novum hujus generis ædificium tanto amplius, atque magnificentius, quo major & præſens, & futura voluminum copia, reique dignitas poſtularet, exſtruere conſtituerunt. In id igitur operis
1576 præter eam pecuniæ ſummam, quam ab Julio Ferrario, ut

(1) *Paſſerinus loco cit., & Arch. lib. I fol. 26.*

ut ſupra monebamus, acceperant (1) nummos aureos quadringentos, quos idem Ferrarius a cognatis jure quodam hæreditatis exegerat, inſumpſerunt. (2) Ad hæc acceſſerunt argentei tercenti, quos Hieronymus Politius in utilitatem, ornatumque reliquerat cœnobii ſui. (3) His, aliiſque domeſticis ſubſidiis Bibliothecam, quæ nunc viſitur, erexerunt ſatis amplam, ac ſplendidam. Conſtat hæc alis tribus affabre concameratis, ac duplici columnarum marmorearum ſerie ſuffultis ordine dorico ſtructarum. Eſt variis, iiſdemque haudquaquam ſpernendis ornata imaginibus. Quod vero caput eſt omnium, nullum eſt fere librorum genus, quo non ſit, fueritque ſemper pro ratione temporum cumulatiſſime inſtructa. Non enim Theologus eſt ullus, non Philoſophus, non Orator, non Vates, neque Hiſtoricus, neque Juriſconſultus, neque denique quiſquam, qui bene de re litteraria, optimeque ſit meritus, quem ſi lectum, conſultumque adire volueris, tibi præſto in ſuis quiſque pluteis aptiſſime non ſit. Hujus Bibliothecæ codices, ſi cenſeantur, erit eorum numerus ad octo fere millia voluminum, iis minime comprehenſis, quæ publici nondum juris ſunt facta. Horum cum multa ſunt, tum utique nonnulla perrara, maximæque auctoritatis. Quæ vero typis vulgata non tam numero, ac mole ſunt pleraque æſtimanda, quam excellentia Scriptorum, editionumque delectu. Et ſi quæ non ſunt hujuſmodi, vel re-

(1) *Archiv. Con lib. O. fol. 399.*

(2) *Petrus Martyr Feſtus Chron. MS. c. 3. pag. 7., & Paſſerinus Hiſt MS. Conv. lib. 2. n. 101., & 102.*

(3) *Archiv. Conv. lib. O. fol. 394, & Paſſerinus eodem lib. 2. n. 102.*

rejectaneis habentur in rebus, vel ut in meliora permutentur, omni ſumptu, diligentiaque curatur. Atque ita fit, ut magis ornentur ſcrinia, pluteique, quam onerentur. Quamquam, ſi eſt ingenue fatendum, eo jam ſuccrevit voluminum copia, ut cum protendi in ullam partem ad ea capienda vas ultra non poſſit, de pluteis quoquomodo multiplicandis, amplificandiſve jam agi a Patribus ſerio ſit cœptum. Quæ vero cauſſa ſit, ob quam res libraria tantum in hac domo jam cœperit incrementi, ſi quæratur, reſponſio eſt in promptu: ſcilicet multos & fuiſſe, & eſſe viros reipublicæ litterariæ ſtudio animatos, qui in eam rem plurimum ſubſidii, operæque contulerunt, & conferunt. Horum nomina virorum hoc ipſo in loco referremus, niſi de eorum vita, rebuſque præclare geſtis ſcribere alio in commentario conſtituiſſemus. Lectorem interea monitum volumus eam jam habere bibliothecam hanc librariæ laudis opinionem, ut non tam ſtructuram, ſuperficiemque ejus, quam uberrimam, ſingularemque librorum ſupellectilem mirentur non indigenæ tantum, ſed advenæ quoque, qui hoc rerum genere delectantur. Quo fit, ut cum noſtris hominibus, tum civibus etiam magno honori ſit, immortalique nomini. Nam ſi quæ ſunt (ſunt autem multa) quæ Civitates illuſtrent, celebrentque præ cæteris, hoc eſt potiſſimum.

CA.

CAPUT DECIMUM.

Novum Cœnaculum, ubi Fratres numero aucti reficiantur, erigitur, inſignibus picturis ornatur. Per idem tempus alia ædificia exſtruuntur, & jam extructa in recentiorem formam rediguntur.

EOdem ferè biennio Cœnaculum, quo Patres com-
modius reficerentur, non tam amplificarunt, quam
a fundamentis erexerunt. Uſi autem ſunt artifice præ-
ſtantiſſimo Franciſco Capra Cremonenſi, qui uti Bibli-
othecæ extruendæ, ita huic magno ædificio excitando 1578
præeſſet. (1) Perfectum eſt autem ſic, ut, quod tam
apta omnium partium compoſitione cum eo comparari
poſſit, perdifficile inveneris. Ita enim longitudini ejus
centum circiter pedum, latitudiniq; ad triginta altitudo
reſpondet, ut multo ab omnibus illud inviſentibus habe-
atur in pretio, ſitque prandentibus, cœnantibuſque ad-
ſpectu gratiſſimo. Opus hoc Severino Septempedano
cœptum, perfectumque Angelo Brixienſi Præfectis,
magna ex parte debetur Julii Ferrarii egregiæ in hanc,
cui adſcriptus erat, familiam voluntati. (2) Septennio
poſt ornatum eſt Ædificium ingenti, excellentique ta-
bula picta immenſam exhibente Hæbreorum multitu 1585
dinem manna in ſolitudine colligentium. Tanta eſt in
finitarum in ea tabula figurarum varietas, diſpoſitioque
tanta, ut mirari ſubeat, qui fieri potuerit, ut earum ne

(1) *Petrus Maria Paſſerinus in ſua memorata Hiſt. MS. lib. 2. n. 140.*

(2) *Ibidem n. 146. idem Archiv. Conv. lib. D. fol. 280. ubi deſcribitur vel ipſe lapidum numerus.*

vel una quidem ex habitu corporis, vultuſque lineamentis cum altera confunderetur. Quod cum minime contigerit, maximi æſtimanda vel hoc ſolo nomine auctoris præſtantia eſt. Sed & illud laude dignum, quod nil in ea pictura contineatur, quod pro inæqualitate diſtantiarum, altitudinumve proſpectibus, ſuis non ſit gradationibus exquiſite diſtinctum. Pedes triginta ea tabula in latitudinem, ac fere totidem in altitudinem extenditur. Hujus autem operis auctorem fuiſſe Gratium Coſſalium Urceanum, nemo eſt, qui diſſentiat. Sunt tamen qui putent, Coſſalium id tantumodo excecutum fuiſſe, quod fuerat ab Julio Campo adumbratum. Ut ut vero ea de re ſit, æſtimata eſt Gratii opera nummis argenteis ducentis, & quinque
1586 ſupra viginti. (1) Per idem Patres biennii tempus & cellam vinariam ſub oeco ſuffoſſam, & promptuarium, & alia hujus generis ædificia, quæ reliquis ædium partibus appoſitè reſponderent, veteribus dirutis, excitarunt.
1594 (2) Haud ita multo poſt, ejuſdem Franciſci Capræ opera collegium, quo adoleſcentes, qui in ordinem cooptantur, tyronicium ponerent, a fundamentis erexèrunt, (3) opemque in id plurimam contulerunt cum alii Patres, tum Cardinalis Hieronymus Bernerius, (4), qui demum hanc noſtram, propterea quod in ea fuerat diu commoratus, lectoriſque munere perfunctus, ſummopere diligebat. Illud tandem erat reliquum, ut maxima

(1) *Archiv. Conv. lib. O. fol. 245., & 257. Item Memorial. MS. Conv. c. 7. p. 58*

(2) *Passeri nus lib. 2. n. 40., & Feſtus Chron. c. 3. pag. 7.*

(3) *Archiv. Conv. lib. O. fol. 292. Memorial. c. 7. pag. 58.*

(4) *Acchiv. Conv. lib. O. fol. 77.*

xima Cœnobii pars, quæ hortulos habet adjunctos, muro cingeretur altiore, quam qui integro jam antea ſæculo erectus fuerat. (1) Erat enim hic multo depreſſior, quam, ut ſatis ad tutandos, protegendoſque Fratres videretur. Ergo ut id fieret, Joanne Paullo Nazario rem noſtram moderante, per Horatium Capram curatum eſt Franciſci filium (2) Sub eodemque præſide & templum 1597
candefactum, & columnæ ejus ſexdecim ex cilindricis quadratæ, atque in ordinem corinthium redactæ. (3)

LIBRI TERTII

CAPUT PRIMUM.

Prima Templi dedicatio per Cæſarem Specianumm Epiſcopum Cremonenſem ſolemni ritu innovatur. Hanc Patres occaſionem nacti Sacrarum Reliquiarum, & numerum augent, & cultum amplificant.

TAm multiplici Ædium noſtrarum inſtauratione, innovationeque facta, Templum, cujus antiquiſſimæ dedicationis memoria interierat, ad III. hujus anni idus Octobres a 1602
Cæſare Speciano Cremonæ Antiſtite ſolemniter conſecratur. (4) Hanc Patres opportunitatem nacti Bea-

(1) *Arch. Conv lib. P. fol. 2. & 4*
(2) *Archiv. Conv. lib. D. fol. 7. Paſſerinus lib. 2. n. 143., & ſeq.*
(3) *Idem Paſſerinus lib. 2. n. 63.*
(4) *Lapis eſt in Sacrario marmoreus in quo inciſa leguntur hæc verba:* Anno 1602. 13. Octobris Cæſar Specianus Epiſcop. Cremonen. hoc ſacrabat Templum.

Beatorum Virorum, ac Fœminarum reliquias, quas magno ſibi numero comparaverant, in ara ad id aptiore, ac novis quaſque loculamentis, ac thecis affabre elaboratis publice venerandas collocarunt. Horum præcipua nomina, ſi cui moleſta non ſint, referemus. Ac primum omnium, ut a Chriſto ordiamur, Sanctiſſimæ Crucis, cui affixus eſt, inſignis eo in Sacello particula continetur: tum columnæ fragmentum, ad quam virgis cæſus, terræq; portiuncula, qua fuit humatus. Ad Virginem ejus Matrem quod attinet, & crinium ejus, & veli, quo tegebatur non exiguas partes poſſidemus. Sed & veſtium Joannis Evangeliſtæ, ſubuculæ, ac pallii S. Dominici, tunicæque Beati Viri Beltrandi particulas alias habemus. Aliæ ſervantur eo in loco, diligentiſſimeque cuſtodiuntur Sanctorum Corporum Reliquiæ, atque inter cæteras Petri, & Paulli, Andreæ, & Jacobi, Simonis, & Judæ, aliorumque ferè omnium Apoſtolorum. Quæ Stephano Protomartyri, quæ Innocentibus Pueris, quæ Blaſio, quæ Martino tribuuntur, apud Nos antiquiſs ſunt. His accedunt, quæ ab vetuſtiſſimis Beatorum Virorum Ambroſii, & Auguſtini, Donati, & Acacii Epiſcoporum Corporibus ſunt excerptæ. Prætereo, quæ ad Damianum, Mauritium, Antonium Abbatem, Leonardum, Simonem Leproſum, Gottardum, & Ladinum, alioſque hujus Ordinis Sanctiſſimos Viros pertinere dicuntur. Nam quæ ad incontaminata caſtiſſimarum Virginum Corpora Cæciliæ, Luciæ, Juſtinæ, aliarumque Sanctarum mulierum ſpectant, dignæ utique ſunt quæ ſingulari in honore habeantur. Ab Humberto Locato Balneoregienſi

Epiſ-

Epiſcopo accepimus, (1) noſtro huic ſacrario dediſſe ſe inſignem illam Sancti Zenonis Brachii partem, quam Romæ a celebri templo, quod ad tres fontes appellant, Summi Pontificis permiſſu ſe tuliſſe teſtatur. Nicolaus Sfondratus Cremonenſis olim Epiſcopus, Gregorius ſubinde XIV., affirmat, pro ſua erga noſtros benevolentia, & cultu multas hujus generis largitiones eidem Sacello a ſe factas. (2) Cæſar denique Specianus cum illud ſemel, iterumque inviſiſſet, diligenterque conſideraſſet, (3) non modo probavit, ſed rem eſſe ait, ſingulari porro veneratione, cultuque digniſſimam. Quo Patres teſtimonio, atque indita in Superos religione incitati nil in poſterum prætermiſerunt, quod ad Sacellum illud, & novis Sanctorum exuviis augendum, & 1604.
ſacra ſupellectile ornandum pertineret.

CAPUT SECUNDUM.

Templi pavimentum quadratis lapidibus ſternitur, aliaque in ejus ornatum, & munimentum fiunt. Joannes Paullus Nazarius ad Philippum III. Hiſpaniarum Regem a Senatu Mediolanenſi legatus mittitur. Solemnes pro collatis in noſtros beneficiis, & honoribus gratulationes habentur.

INtentis in Templi ornatum magis, quam in privatum commodum Patribus, ab eo ſive inſtaurando, ſive in dies locupletando minime ceſſabatur. Ac pri- 1606.
mum

(1) *Petrus Martyr Feſtus in Chron. MS.* c. 10. pag. 17. ad ann. 1572.
(2) *Anno* 1582. *ex eodem Feſto loco laudato.*
(3) *Anno* 1591. *teſte eodem Feſto Chron. cit.* c. 10. pag. 17.

mum omnium Maximo Guazzonio Præſide, & Horatio Capra, de quo ſuper eſt dictum, artifice conducto,
1609 pavimentum Templi novis quadratis lapidibus ſtraverunt, ejuſque frontem, quæ in periculo eſſe videbatur, muro declivi inter ejuſdem pilas extructo munierunt aliaque hujus generis fecerunt, quibus totum ædificium, ſicubi munimento indigeret, firmaretur. (1) Decennio poſt Raymundus Montecuculus Mutinenſis, qui per id
1619 tempus Cœnobio præerat, valvis Templi majoribus duas portas minores addidit ratus, non tam egredientibus, & ingredientibus commodo, quam ſacrarum Ædium ornamento futuras. Eodem anno inſignis in Hiſpaniam uni ex noſtris Cremonenſibus decreta legatio. Nam Joannes Paullus Nazarius, cujus de vita, rebuſque præclariſſime geſtis ſcribere alio in loco conſtituimus, ad Philippum III. Hiſpaniarum Regem ob graviſſima Inſubriæ negotia cum eo conferenda a Senatu Mediolanenſi
1621 legatus eſt miſſus. (2) Biennio poſt, Joanne Baptiſta Turreſino in Montecuculi locum ſuffecto, facta eſt uti a Patribus, ita a Civibus Cremonenſibus ingens gratulationis, ac lætitiæ ſignificatio, quod Deſiderius Scalia Cremona oriundus, hujuſque domus alumnus fuerit a Paullo V. in Sacrum Cardinalium Collegium cooptatus. (3) Nam & habitæ ſolemnes gratiarum actiones, & artificioſi ignes accenſi, & eleemoſynæ pauperibus ero-

(1) *Archiv. Conv. lib. E in fine: P. Ꝑſe·inus lib. 2. n. 69.*

(2) *Joſeph Breſſianus in ſua Corona Ducor. Illuſtr. Cremon lib. 1. p. 1. pag 193. Echardus tom 2. pag 544. aliique.*

(3) *Chron. Magiſtr. General. Ordn. c. 18. pag. 112. Jo: Michael Cavallerius to. 2. pag. 235. aliique.*

erogatæ. (1) Turreſini præfectura fere exeunte, cum 1623
Ambroſius Sanſedonius Senenſis, & Jacobus Salomonius Venetus in Beatorum Virorum catalogum fuiſſent relati, magna in templo magnifice ornato peracta celebritas eſt. Biduo uſitatum gratiarum carmen a ſymphoniacis cantatum, recitatæque de ſingulorum laudibus orationes duæ, quarum quæ fuerat ab Angelo Pio Chiappano Carmelita Calceato compoſita, typis fuit ob excellentiam vulgata. (2) Sed & Deſiderii Scaliæ nepotem Deodatum ad hanc quoque familiam pertinentem triennio poſt Urbanus VIII. ad Epiſcopatum Melphienſem promovit in
Lucanis (3) De Nepote, & Avunculo plura in alium 1626
locum dicenda reſervamus.

CAPUT TERTIUM.

Ædes Vito, & Modeſto Sacræ in multo meliorem formam rediguntur. S Roſaliæ Virginis ope multa beneficia a Cremonenſibus accepta dicuntur. Occurritur Templi periculo, ejuſque ſacrarium ornatur.

SAcræ Viti, ac Modeſti ædes in noſtram vix dum venerant poteſtatem, cum, uti S Pius V. ſuis litteris prædixerat, (4) in multo meliorem ſunt formam redactæ. Nam cum intus, foriſque expolitæ, tum ſacra ſupellectile auctæ, noviſque picturis ornatæ. In ſacris illis ædibus præter aram maximam altaria non erant

antea

(1) *Petrus Maria Barbovius in addit. ad lib 2. Hiſtor. MS. Petr Mariæ Paſſerinii*
(2) *Joſeph Breſſianus Coron. lib. 1. p. 3. pag.* 187.
(3) *Ughell Italia Sac. tom. 1. pag* 1018. *Cavallerius t. 1. Centur. 5. pag.* 615.
(4) Dictus vero Prioratus eorum Prioris, & Fratrum zelo, & charitate in divinis non modicum ſuſciperet incrementum, *Hæc ſunt ipſius Pii V. verba*.

1630 antea plura, quam duo. (1) His fuere a Noſtris alia duo ſub hoc tempus adjuncta. Atque hujus acceſſionis ratio hæc occaſioque fuit. Stativa per eos dies habebant apud Bartholomeum Aribertum, cujus erat domus in earum ædium vicinitate quaſi e regione ad meridiem poſita, Arcis Marchio Siculus caſtrorum Præfectus, ejuſque legatus Octavius Capellus eques Hieroſolymitanus: Hi, pro ſua in S. Roſaliam Virginem ſiculam pietate, effigiem ejus in turris illius noſtræ pariete pingi curarunt, eamque, donec Cremonæ ſunt commorati, omnibus piæ obſervantiæ argumentis coluerunt. (2) Atrox interea peſtis populum Cremonenſem invaſit, trepidatumque non in agro magis, quam in urbe eſt. Quo improbo tempore multi etiam è noſtris, quod fraterna in proxime morituros charitate moti Sacramentorum miniſtrandorum cauſſa vicatim concurſitarent, peſtilentis vi morbi correpti interierunt. Quo in numero præcipue fuerunt Dominicus Verthonus, Raymundus Summus, Hiacynthus Maggius, Raymundus Stanga, aliique hujus familiæ filii non pauci. (3) Tantum itaque malum ut ab urbe, agroque Cremoneſi averteretur, ſupplicationes a Populo, præeuntibus Clero, & Optimatibus factæ. Jam vero cum in pictum illud Sanctæ Roſaliæ ſimulacrum religio, ob varia jam inde accepta beneficia invaluiſſet, diffuſaque fuiſſet quotidie latius, ingens eſt cœptus ad eam invocandam virorum, fœminarumque concurſus. Hinc levari

(1) *Paſſerinus lib. 4. c. 2. n. 2. Memorial. MS. Conv. c. 22. pag. 168.*
(2) *Ibidem.*
(3) *Referuntur ſingulatim in lib. MS. Receptorum ad Ordinem pag. 7. & eq.*

levari inſigniter vim morbi, argenteas appendi ad eam
imaginem votivas tabulas, gratias haberi perpetuas, lar-
gitioneſque fieri pecuniarum. Quarum rerum oblata-
rum copia ad nummorum aureorum centum, & quin-
quaginta ſummam aucta cum fuiſſet, contenderentque
qui ad Paræciam pertinebant, ſe iis oblationibus uti pro
arbitrio poſſe, deque excitanda a fundamentis Ædicula
ad Ædium noſtrarum parietem cogitaſſent, Melchior
Aimus Petri Camporei Cardinalis, & Epiſcopi Cremo-
nenſis Vicarius ad juris Canonici normam decrevit, (1) 1632
ut collectæ procurati o pecuniæ animarum Curatori, in
cujus fundo depicta Panormitanæ Virginis imago fue-
rat, traderetur. Erat is Gabriel Maggius. Acceptam hic
pecuniam, ut omnem ab ſe eorum invidiam, qui id ægro
ferebant animo, depelleret, maluit Caroli Picenardi fidei
committere, quam eam penes ſe retinere. (2) His
ita conſtitutis, ad fovendam, confirmandamque erga
S. Roſaliam populi pietatem, in ſacris Viti, & Mode-
ſti ædibus aram ligneam exſtrui curarunt Patres ordine
corinthio magnifice elaboratam, auroque obrizo elegan 1633
ter obductam. Quam cum beneficæ adeo Virgini ritu
ſolemni dedicaſſent, neque totam æris oblati ſummam
tali opere inſumpſiſſent, aliam ejuſdem operis aram in
latere adverſo ædificarunt Roſario Mariæ Virginis con 1635
ſecratam. Biennio poſt, cum ex duarum, quas ſupra
memo-

(1) *Decreti verba præcipua ſunt*: Omnes, & ſingulæ ſupradictæ oblatio-
nes, & eleemoſynæ conſigneutur Parocho Eccleſiæ S. Viti, ad quam
de jure pertinent *Subſcriptum eſt a Pio Battiſtanio Epiſcop. Cancellario die
28. Januar. 1632.*

(2) *Die 4. Februar. ejuſdem anni, eodemque Battiſtanio ſubſ.*

memoravimus, portarum ad valvas templi majores acceſſione, debilitata ſenſim parietum compage, jam tota fere frontis machina progreſſu temporis collabaſceret, ut huic malo opportune occurreretur Julius Zacharia Præfectus curavit, totumque negotium excellenti cæ-
1637 mentario, cui Vigilantis cognomen erat, dedit. (1) Inſtructo hic ex trabibus munimine, totum in ea parte ædificium fulcris ad id idoneis elevavit, ſuſtinuitque ſic, ut fundamentis duarum ingentium pilarum, quæ primo intercolumnio reſpondent, primum ſuffoſſis, tum ex marmore profundius ſubſtructis, atque opere calcario coagmentatis, pilas ipſas, quibus univerſum pondus innititur, refecerit, atque hunc in modum ab omni templum periculo liberarit. Sacrarium, quod eſt vetuſtiſſimis Cœnobii primordiis æquale, in meliorem annis in-
1638 ſequentibus eſt formam deductum. Nam & penſionibus auctum, & novis ex nuce amplioribus menſis, ac pluteis munitum, & multiplici ſacræ ſupellectilis genere
1639 locupletatum. (2)

(1) *Paſſerinus lib.2.n.41. Deinde fuſius Petrus Maria Barbovius in Addit. MS. ad Paſſarinum.*

(2) *Paſſerinus Hiſt. MS. Conv. lib. 2: n. 72., & ſeq. Item Memorial. MS. ejuſdem Conv. c. 5. & 6. pag. 41. 42. 43. 44.*

CAPUT QUARTUM.

Thomas Turcus Cremonenſis Ordini univerſo præficitur. Multis hanc familiam beneficiis afficit, plura daturus, ſi diutius vixiſſet. Omnium munificentiſſimus Julius Mercorus, quem Cives Cremonenſes legatum ad Philippum IV. Hiſpaniarum Regem miſerunt.

ANnus hic fuit inſignis ſummo, ad quem evectus eſt 1644
Thomas Turcus, univerſi Ordinis magiſtratu. Qua de re plura dicemus in noſtro de viris illuſtribus commentario. Atque ille quidem magnus vir, litterarum omnium ut erat amantiſſimus, innumeros codices, quos ſibi comparaverat, Roma in hanc Bibliothecam transferri, priuſquam moreretur, juſſit. Horum porro librorum præcipua volumina ſunt, quibus Sanctorum Patrum opera omnia continentur. Ejus etiam opera, & auſpicio factum eſt, ut in hanc familiam cooptaretur
Philippus Thomas Hovvardus, de quo redibit ſermo, 1646
Anglorum Regibus regali ſanguine conjunctus. Plura Turcus, majoraque in nos beneficia contuliſſet, niſi immature adeo, ut alio in loco dicemus, deceſſiſſet. Do- 1649
mus univerſæ, quæ minore, quam ſex Fratrum numero incolerentur, ab Innocentio X hoc anno ſuppreſſæ. 1653
Parvi propterea Cœnobii Azzanellenſis, de quo ſuperius eſt dictum, Incolæ Cremonam deducti, cunctaque, quæ ibidem offerebantur pro Philippo Tincto ſacrificia, non nullis exceptis, in Cremonenſe Cœnobium tranſcripta. (1) Caſimirus interea Piazzius fidei Quæſitor Ferrarienſis

E cum

(1) *Memor. MS. Conv. c. 25. p. g 187.*

cum eſſet, neque de ulla re magis, quam de domicilio noſtro Cremonenſi, cujus erat alumnus, gratificando cogitaret, domum, quam Joannes Baptiſta Turcus Leonardi filius, ac Thomæ Turci patruelis donatione nobis legarat, ab ære alieno, quod ille contraxerat, nummorum quadringentorum ſolutione liberavit. (1) Sed
1655 illud præſtitit, cujus præſenti adhuc memoria, & adſpectu recreamur. Coccinea illa filo croceo contexta, quibus templum adhuc ornari ſolet, periſtromata Venetiis fi-
1660 eri ingenti ſumptu, atque ære ſibi permiſſo curavit. (2) Sub hoc idem fere tempus, cum gravibus cives Cremonenſes ob diuturnum, quod pertulerant, bellum premerentur anguſtiis, Julium Mercorum hujus domus alumnum ad Philippum IV. Hiſpaniarum Regem miſerunt rogatum, ut pro ſua in populos ſibi ſubjectos paterna humanitate Cremonam, univerſamque ejus provinciam levare intolerabilibus, quibus pene obruebatur, oneribus ne gravaretur. (3) Ea legatione, cujus alibi fiet mentio paullo prolixior, feliciter abſoluta, incredibile eſt, quantum res noſtræ incrementi ceperint hujus magni viri
1663 munificentia. Nam & vetus presbyterium paullo longius ab ara prolatum eſt, ſeptoque ex vario marmore,
1666 ferreiſque cancellis exſtructo munitum. Triennio poſt pretioſa Sacrarium ſupellectile auctum, & bibliotheca cum multis voluminibus, tum inſtrumentis mathematicis

(1) *Conſtat ex Inſtrument. Jo. Petri Clerici 18. Auguſt. 1655., quod in hoc Archiv. ſervatur.*
(2) *Memor. Conv. c. 16. pag. 127. & Paſſerinus Hiſt. lib. 2. n. 154.*
(3) *Julius Mercorus in Hiſpaniam legatus eſt miſſus IV. nonas Martias 1660. ut conſtat cum ex noſtro, tum ex Civit. Cremon. Archiv. ad eum ann.*

ticis ornata, & chorus ab imo ad ſummum elegantiſſime 1668
pictus, & ara denique templi maxima a fundamentis 1669
erecta, innumeriſque perraris lapidibus egregie contex- 1670
ta. (1) 1671

CAPUT QUINTUM.

Clemente X. Roſam Limenſem, & Ludovicum Beltrandum in Sanctorum album referente, octiduo a Noſtris celebrata ſolemnia. Ædicula, & ara ſubinde Roſæ dicatur, ornaturque picturis, ſimiliſque Ludovico Beltrando cultus, honorque adhibetur.

HÆc dum in ornatum templi gerebantur, Clemens X. Pontifex Maximus, qui ſumma ſemper eſt Ordinem noſtrum benevolentia complexus, cum Sanctorum albo B. Ludovicum Beltrandum, & Roſam Limenſem ſolemni ritu ſcripſiſſet; Sanctique Raymundi in Eccleſia univerſa, Beatorum vero Alberti Magni, Pii V., Gundiſalvi, Margaritæ de Sabaudiæ Ducibus, & Margaritæ de Caſtello in toto Prædicatorum Ordine divinum Officium celebrandum, remque divinam faciendam ſanxiſſet, horum Patres feliciſſimorum eventuum occaſionem nacti intimos, quos conceperant, exultabundi, gratique animi ſenſus ſignificare publicè conſtituerunt. Itaque octiduo indicta magno apparatu ſolemnia. Tum laudes & ſoluta, & ſtricta oratione celebratæ, & gratiarum actiones ſolemniter perſolutæ, & quod caput eſt omnium panis, vinique copia pauperi-

(1) *Petrus Maria Barbovius in Addit. ad lib. 2. Hiſtor. MS. Petri Mariæ Paſſerini ad annum* 1671.

bus diſtributa. (1) Incredibilis inde excitata cum in Ludovicum Beltrandum, cæteroſque, quos nominavimus, Superos pietas, tum præcipue in Roſam Limenſem, quæ, ut erat primus eximiæ Sanctitatis floſculus ab America Meridionali decerptus, ita miro quodam in honore cæpit haberi univerſim. Hinc amabile Roſæ nomen puellis ſacro fonte expiandis certatim, ac multo frequentius, quam antea conſueſſet, impoſitum. Hinc denique Sacellum, quod fuerat Joanni Evangeliſtæ retroactis temporibus ſacrum, anno poſtero Americanæ huic Virgini dicatum, araque ex ligno electiſſimo impenſis mi-
1672 nime contemnendis exſtructa. Ad eam incidendam Bartholomæus Griphinus cælator per eos dies egregius nummorum centum argenteorum pretio eſt conductus. Tantundem æris cum Georgio Garribonio fabro ferrario, ut firmioribus, nobilioribuſque cancellis totum Sacellum concluderetur, conventum, duplòque major pecuniæ ſumma, ut aræ, ejuſque ornatui aurum induceretur, impenſa. (2) Duo denique e noſtris pro ſingulari, quo animati erant, in eam Virginem ſtudio, curarunt, ut ab excellenti viro Joſepho Pamphilo tota ejus Ædicula pingeretur. Hi porro fuere Antonius Berguntius, & Cyprianus Minutus. Ac Berguntius quidem, cujus centum aureorum ſumptu ſupra portam Templi majorem Napoleonis in vitam revocatio fuerat ab ipſo Pamphilo elegantiſſime expreſſa, (3) ad Roſam hoc anno in tabula pin-

(1) *Petrus Maria Barbovius in eodem Supplement ad ann. 1671.*
(2) *Idem ad annum 1672.*
(3) *Anno 1671. vivebat autem Cremonæ ea ætate Barbovius.*

Digitized by Google

pingendam eodem artifice eſt uſus; æſtimataque eſt ea tabula picta nummis argenteis centum. Cyprianus vero Minutus haud ita multo poſt cum eodem Pictore convenit, ne ulla eſſet vel minima ſacelli pars, quæ potiſſimas ſaltem Roſæ virtutes, reſque præclare geſtas, & gloriam graphice non exhiberet. Quo in opere perficiundo nummi argentei ducenti, & quinque ſupra quadraginta abierunt eidem in ſumptus. (1) Per hoc idem tempus aræ quondam S. Guillelmo dicatæ, Ludovico Beltrando in Sanctorum numerum relato, novus, idemque perpetuus, & intenſior cultus acceſſit.

CAPUT SEXTUM.

Philippus Thomas Hovvardus, quem Patres in hujus domus alumnum cooptarant, Collegio Cardinalium adſcribitur. Magna fit hujus rei celebritas. Eodem fere tempore Sacellum Thomæ Aquinati dicatum ornatur, atque ad præſentem elegantem formam redigitur.

POſt hæc idem Clemens X Pontifex Maximus in pernoſcenda, remunerandaque virtute æquus, & liberalis cum Dominicanos omnes, tum maxime Cremonenſes ſingulari beneficio honeſtavit. Nam poſteaquam Vincentium Mariam Urſinum, quem nos ipſi ad Summi Pontificatus apicem evectum læti ſuſpeximus, in Cardinalium Collegium cooptaſſet, eadem paullo poſt dignitate Philippum Thomam Hovvardum ad hanc familiam

(1) *Barbovius loco laudato.*

1675 miliam pertinentem decoravit, & auxit. (1) Novâ Patres affecit hæc res ingenti lœtitia. Nova in ſacris Ædibus indicta gratulatio ſolemnis. Hovvardi nomen carminibus celebratum commendatæque virtutes. Reboans Templum undiqueverſum plauſibus, & cantibus. Decreta denique a Patribus, effuſaque pauperibus ſtypis abunda largitio. Qua ex re factum eſt, ut egeni, quorum anguſtiis cum alias, tum hac potiſſimum opportunitate eſt ſubventum, benè nobis, rebuſque noſtris ex animo ſint precati. (2) Per hoc idem tempus Petrus Maria Barbovius, cujus, cum hæc ſcribimus, utimur teſtimonio, integrum Blanchæ Trechæ hæreditatis quadrantem ad nummos argenteos mille cum dono accepiſſet, coacto Patrum concilio conſtituit, ſi modo id ſibi permitteretur, eam ſe pecuniæ ſummam in ornatum Sacelli S. Thomæ Aquinatis impenſurum, & horreo inſtaurando, perficiendæque Novitiorum Domui, aliiſq; procurandis, ſi quid inde ſuperfuiſſet, daturum. Pacto pretio coduxerat Petrus Maria Campus hujus Cœnobii filius Bartholomæum Griphinum, & Joannem Baptiſtam Boſſam eximios artifices, quorum ille novam aram ligneam incideret, hic totam Angelici Doctoris Ædiculam opere albario illuſtraret. Hiſce confectis ab reliquo ornatu ceſſarat. Aram itaque Barbovius, & omne opus albarium auro puriſſimo obduci, & ſpatia eodem opere concluſa picturis, quæ illuſtriora Thomæ facta referrent, ornari,

(1) *Memor. MS. Conv. c. 12 pag. 79. & quotquot de Cardinalibus ſcripſerunt. Vid Chron. Magiſtr. General. O. P. c. 18. pag. 118.*

(2) *Petrus Maria Barbovius in Supplement. ad Hiſtor. Paſſerini ad annum 1675 quo anno huic Cœnobio præerat.*

ri, & novam altari varii generis ſupellectilem adjici, ac tabulam denique Maloſſi manu elegantiſſime pictam ex bibliotheca huc transferri, atque aptari curavit, veteri in bibliothecam devecta, quæ Maloſſianæ ſufficeretur. (1) 1676

CAPUT SEPTIMUM.

Sacellum Sanctæ Cruci dicatum magnificè ornatur, aliaque, ut opus eſt, inſtaurantur, nonnullaque a Patribus beneficia procurantur.

TRiennio poſt, Cremonam cum veniſſet Albertus Solimanus fidei Quæſitor ampliſſimus, ut ſacellum S. Cruci dicatum novis picturis, aurique inductione ornaretur apud Familiares, ut vocant, & Cruce inſignitos auctor fuit. (2) Progreſſu vero temporis ejuſdem Sacelli pavimentum, quod inelegans admodum erat, ac vetuſtate pene conſumptum, quadratis lapidibus marmoreis inſtratum eſt læviſſimis, atque albo, rubroque colore alternatis, (3) ab eodemque Solimano, ut Petrus Martyr Veronenſis in Urbis Patronum eligeretur, curatum. (4) Ludovicus interea Septala Mediolanenſis Cremonæ per eos dies Epiſcopus Cœnobitis univerſis in ſua Diœceſi habitantibus ſubſidium quoddam, ut vocabat, charitativum indixit. His recuſantibus, & re ad Eminentiſſimos Cardinales Epiſcoporum, & Re- 1679 1685

E 4 gularium

(1) *Petrus Maria Barbovius ad annum 1676.*
(2) *Memorial. Conv. c. 3. pag. 26, & 27., & Barbovius ad annum 1685.*
(3) *Ibidem.*
(4) *Barbovius, & Memorial. loc. cit. ad eumdem annum.*

Digitized by Google

gularium Præfectos utrinque delata, decretnm ab illis eſt, ad id non teneri Regulares, iis tantum exceptis, qui ſuis adnexam Cœnobiis animarum curam haberent. Nos itaque, quibus ex mera Pii V. munificentia ejuſmodi procuratio contigerat, quoſque idem Pontifex luculentiſſimis litteris ab oneribus quibuſvis exemerat, producto apud Cardinales Pontificio diplomate id egimus, ut ab eo ſolvendo ſubſidio exciperemur. (1) Multa iterum insequentibus annis, ut e re videbatur, inſtaurata, multa in ſacrarum Ædium ornatum continenter inventa. Ac Julius maxime Vincentius Crottus non tam generis nobilitate, quam doctrinæ, ac prudentiæ laude clarus,
1694 huic familiæ primum regendæ cum fuiſſet admotus, ita in re familiari procuranda, promovendaque ſe præſtitit, ut dignus ſubinde habitus ſit, qui non ſemel, ſed iterum, ac tertio poſt annos aliquot interjectos eidem præeſſet.
1697 Triennio poſt, Dominico Franciſco Jacometto Mediolanenſi rem noſtram adminiſtrante, eodem, aut ſaltem non abſimili, quo paullo ante, in Beatiſſimi Pii V. Summi Pontificis gratiam beneficio recreati ſumus. Innocentio XII. ad Eccleſiæ clavum ſedente, imperata fuerant argenteorum octoginta millia ab Eccleſiaſticis fundis exigenda, quæ ad ſuſceptum contra Gallos ſociale bel-

(1) *Die 19. Januarii 1685. Domenicani, ed altri Religioſi di Cremona. Regulares non teneri ad ſubſidium charitativum pro bonis, & Eccleſiis propriis Monaſteriis unitis, in quibus non immineat cura animarum. Item Patribus S. Dominici ſuffragari ſpeciale privilegium exemptivum reſpectu Parrochialis S Viti ... Romæ hac die 13. Aprilis 1685.*

B. Panciaticus Secretarius. Munita ſolito Sigillo.

Aſſervatur in Archiv. Conv. S. Domin. Cremon. ad eum annum. Item in Regiſtro Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium.

bellum alendum, conficiendumq; impenderentur. Inito Ticini Regii ad rem hanc diſcutiendam definiendamq; congreſſu, cui inter cæteros Lucretius Ferrarius Cœnobii hujus alumnus Regularium Cremonenſium nomine interfuit, Sacra Cardinalium Congregatio Eccleſiaſticæ immunitati præpoſita, ad quam Patres confugerant, Ticinenſem Epiſcopum, qui congreſſui præerat, juſſit, ut bona univerſa a Pio V. eiſdem conceſſa, diligenter expenſo conceſſionis Chyrographo, an eſſent ab hujuſmodi ſubſidiis exempta, nec ne, declararet. (1) Quo denique factum eſt, ut Epiſcopus nulla declaratione ſecuta nil a noſtris prorſus exegerit.

LI.

(1) *Extra. All'Illuſtriſ, e Reverendiſſimo Monſignore Arciveſcovo Trotti Veſcovo di Pavia.*

Intus, Illuſtre, e Reverendiſſimo Monſignore, e Fratello. Per parte de' Frati di S. Domenico di Cremona ſi è fatto ricorſo in Sagra Congregazione dell'Immunità Eccleſiaſtica, con ſupporſi, che da V. S. ſi ricuſi di procedere alla dichiaraziane, ſe i beni del Priorato di S. Vito uniti al loro Convento debbano in vigore della Bolla di Pio V. di ſanta memoria godere l'eſenzione dal Suſſidio da preſtarſi dagli Eccleſiaſtici di coteſto Stato ſecondo il Breve della Santità di N. ſtro Signore a V. S. diretto. Sopra di che hanno queſti Emmentiſſimi miei Signori ordinato, che V. S. udite le Parti proceda a detta dichiarazione, come ſtimerà di ragione a tenore della commiſſione, che le fu data li 16. Luglio ſcorſo. Glielo ſignifico, perchè ſi contenti di eſeguire, e me l'offro.

Di V. S. — *Roma li 3. Dicembre 1697.*

Come Fratello affezionatiſſimo

Monſi. Arciveſcovo Trotti Veſcovo di Pavia Delegato. — *Il Cardinale di Carpegna.*

G. Vallemani Segretario.

Aſſervatur in Archiv. Conv. S. Domin. Cremonen. ad eum annum, ubi addita leguntur hæc verb: Il ſuddetto Prelato ad ogni modo non ricercò più coſa alcuna.

LIBRI QUARTI

CAPUT PRIMUM.

Joſeph Maria Aldriſius ad Philippum V. Hiſpaniarum Regem Orator mittitur. Quod ante Templi frontem late patet, ſpatium ſilicibus inſternitur, aliaque reficiuntur.

ADminiſtratione Cœnobii ſuſcepta, illuſtris ad Philippum Andegavenſem Hiſpaniarum
1702 Regem hoc nomine quintum decreta Aldriſio Legatio eſt. Facti autem ſeries eſt hujuſmodi. Philippus, quem hæredem Carolus Auſtrius Hiſpaniarum Rex teſtamento ſcripſerat, poſtquam intellexiſſet Leopoldum Cæſarem, qui non æquo id tulerat animo, jus armis perſequi velle, & prima belli conſilia ad Italiam, ubi latum erat Hiſpanorum imperium, convertere, ſtatuit ſe quoque in Italiam venturum. Huc itaque, quo jam Ludovicus Avus magnas Gallorum legiones auxiliares ſubmiſerat, Philippus acceſſit, & Cremonæ, quæ in ejus adhuc erat fide, aliquot dies eſt commoratus. (1) Cognito jam proximo Regis in hanc Urbem adventu, in unum convenere locum Regularium omnium Præfecti, deque eligendo viro, qui univerſorum nomine orator mitteretur ad Regem, egerunt; circumſpectiſque ſingulis diligenter per-

(1) *Memor. MS. Conv. c. 18. pag. 114. Item Guido Ferrarius de Bello Italico lib. 2. pag. 57.*

perſonis, & rebus, Joſephum Mariam Aldriſium, qui
Noſtris præerat, cæteris antetulerunt. Ad humaniſſi-
mum Principem cum ſtatim adiiſſet Aldriſius, fuiſſet-
que eo coram (quod aliis fuerat minime permiſſum)
ſine mora introductus: *Potentiſſime*, inquit, *Rex, univer-
ſus regularis Clerus ad Sacræ Majeſtatis tuæ pedes devotiſſime
provolutus, ad hanc fideliſſimam Civitatem incolumem gratula-
tur acceſſum; feliciſſimum auſpicatur omen; glorioſiſſimam præ-
ſtolatur victoriam; Clementiſſimum abs te implorat patrocinium,
humillimum iterato renovat obſequium; Neſtoream ætatem, longæ-
vam ſobolem, perpetuam a Deo Optimo Maximo precatur felici-
citatem*. Cui Rex: *Multi faciam*, inquit, *hunc actum, &
orationibus veſtris valde confido*. Tecto hoc noſtro exceptus
per eos dies fuerat Antonius Felix Zondodarius Lega-
tus ad Philippum V. ab Clemente XI. extra ordinem
miſſus. Hujus opera, propterea quod multa apud eum
Principem gratiæ valebat, effectum eſt, ut multo faci-
lior Aldriſio, quam cæteris, aditus patuerit ad Regem.
(1) Inſubrici belli, cujus gerendi cauſſa in Italiam adna-
vigaverat, gravia incomoda quominus ſentiremus, im-
pedire piiſſimus Princeps omnino non potuit. Confecto 1708
bello; atque occupata ab Cæſarianis Inſubria, dam-
na, quæ inde pertulimus, brevi reparata. Qua in re
laudanda eſt admodum Lucretii Ferrarii, aliorumque,
qui rem domeſticam curabant, diligentia. Sed Domi-
nicus Maria Zannius ſub idem fere tempus id etiam
effecit, ut ſpatium illud ſatis amplum, quod ante tem-
pli frontem plerumque cænoſum, præruptumque eſſe
ſolebat,

(1) *Idem Memor. cap. & pag. laudatis.*

ſolebat, propterea quod ſtabili pavimento careret, ſilici-
1710 bus inſterneretur. Magna operis firmitate cum id eſſet factum, univerſiſque civibus acceptum, ad aliud quidpiam moliendum, quod & loco, & urbi eſſet ornamento futurum, Zannii excitavit animum. Eſt in ejus plateæ latere Quæſitorum Domui adverſo Mauſoleum quoddam in Urbis centro, ut ajunt, poſitum, quod, ut plerique opinantur, ad familiam pertinet Marianorum. Injuria temporum, & hominum negligentia corroſum, ac pene dirutum cum eſſet, inſtauratum a Zannio, novoque perpolitum tectorio eſt. Ligneum poſt annos
1712 aliquot, (1) Beati Dominici ſimulacrum ære cyprio intectum ejuſdem monumenti faſtigio ſuperimpoſitum. Sed imbribus, nivibuſque æneæ cruſtæ rimulas pervadentibus cum nucleus ſenſim contabuiſſet, & cruſta ipſa detrimentum pati progreſſu temporis, minutatimque decidere jam cœpiſſet, in ejus denique locum ſtatuam ſubſtituerunt Patres ex marmore inciſam. (2)

CAPUT SECUNDUM.

B. Pio V. in Sanctorum numerum relato cum ab Ordine univerſo, tum a Patribus præcipue Cremonenſibus, quod ſingularibus ab eo beneficiis cumulati fuiſſent, permagnifica celebrata ſolemnia.

1714 JAm fere in exitu erat altera Julii Vincentii Crotti præfectura, cum maxima in templo eſt a Patribus decreta

(1) *Anno* 1720 (2) *Anno* 1748.

decreta celebritas. Sanctorum faſtis ritu ſolemni per eos dies adſcripſerat B. Pium V. Clemens XI. Pontifex Maximus. Neque eſt dubium, quin Orbem univerſum, ac præſertim Prædicatorum Ordinem affecerit hæc res ingenti lœtitia. Dominicanos vero Cremonenſes, præter communem exultandi cauſſam, illud etiam urgebat, ut beneficia a tanto Pontifice accepta, quæ a Nobis repoſcere hoc loco non eſt neceſſe, qualicumque grati animi ſignificatione proſequerentur. Celebritate igitur, quam potuit, maxima peracta res eſt. Octo dierum ſpatium, quo ſolemnia celebrarentur, a Patribus conſtitutum. Evocatiſque Mediolano præſtantiſſimis artificibus, templum a ſummis laquearibus ad imum uſque pavimentum aulæis, emblematibus, pictis imaginibus, innumeriſque multicoloribus partim lævis, partim criſpæ texturæ tenuiſſimis pannis ſericis ornarunt ſic, ut nulla eſſet vel minima ſacrarum ædium particula, quæ novam, eamque venuſtiſſimam formam non referret, & cui perjucunda miniati veluti operis pictura inducta non videretur. Verbo dicam, quod pluribus perſequi non valeo. Fatebantur Cremonenſes, & quotquot convenere alienigenæ, nil unquam ſe tale conſpexiſſe. Huic ædium dignitati, & ornatui reſpondit quotidie ſonus, & cantus. Nam præter indigenas, accerſita ſunt undique inſtrumenta muſica varia, excellentiſſimique cantores. Affuſa ad pium ſpectaculum tota ferme civitate ter Miſſam majorem cecinit Octavianus Guaſcus Cremonæ per id tempus Antiſtes. Idem quotidie magno comitatu ſolemniis adſtitit cum matutinis, tum veſpertinis.

Digitized by Google

pertinis. Electi octo diſertiſſimi viri, quorum ſinguli ſingulis diebus juſtas de Beato Pontifice laudes publice recitarent. Omnes egregie quidem. Sed inter cæteros ferunt, (1) enituiſſe quam maxime Julium Cæſarem Carrugam ſocietatis Jeſu presbyterum. Hic poſteaquam multa de heroicis Pii V. virtutibus, de prodigiis, deque ſummis ejus in univerſam Eccleſiam meritis ordinate, ſolide, eleganterque dixiſſet, innumera, maximique momenti beneficia, quibus ſanctiſſimus ille Pontifex impuberem Societatem auxerat, & ornarat, reliqua oratione ita eſt perſecutus, ut cum Beati Viri munificentiam, & oratoris facundiam mirarentur omnes, tum ejuſdem incliti Inſtituti Patres, qui aderant, præ grati animi exuberantia lacrymas cohibere vix poſſent. Hi vero non uno hoc gratæ memoriæ, lætitiæque teſtimonio contenti inſigne aliud perhibuerunt. Solemnis ea ſupplicatio, qua Sacrum Pii V. vexillum per urbem publice circumferretur, cum fuiſſet a noſtris decreta explorarunt illi, num per vias etiam, quæ eorum collegium attingunt, eſſet habenda. Cujus rei certiores facti, & arcum permagnificum erexerunt, & vias omnes aulæis, tabulis pictis, deſcriptis elogiis, aliiſque gratulatoriis inſigniis adeo inſtruxerunt, ut non tam diem feſtum acturi, quam nobiliſſimum Pontifici de ſe optime merito triumphum daturi viderentur.

Lege-

(1) *Amadeus Cattaneus nunc prope nonagenarius, qui aderat, aliique teſtes oculati, & auriti, a quibus hæc accepimus. Extat etiam parva hujus celebritatis narratio Cremonæ edita anno* 1714.

Legebatur ad oſtium Collegii inter Societatis Jeſu Cardinales, ejuſque Generales Præpoſitos hæc grati animi ſignificatio.

S. PIO V.
PIETATE, FORTITUDINE, RELIGIONIS ZELO,
INTER PONTIFICES MAXIMO,
DIPLOMATE CONFIRMATA, LAUDIBUS, PRIVILEGIIS
ORNATA,
SOLLICITUDINIS ECCLESIARUM IN PARTEM VOCATA,
SOCIIS PER EUROPAM, ET ASIAM MISSIS,
PRINCIPIBUS, PRÆSULIBUS COMMENDATA,
A CALUMNIIS VINDICATA, AMPLIS AUCTA BENEFICIIS
SOCIETAS JESU
NOVOS GRATULATA CÆLITUM HONORES
GRATI ANIMI, ET CULTUS MONUMENTUM

Ad portam templi minorem, quæ a latere eſt dextero, inter SS. Pii V., & Franciſci Borgiæ pictas imagines gratulatoria occurrebant hæc verba.

S. PIUM V.
CUI S. FRANCISCUS BORGIA VATICANUM ASCENDENTI
COMPLEXU EXCEPTUS
SUPREMUM DECUS GRATULATUR
SANCTIORES AD ARAS EVECTUM
PARI ET VENERATIONE ET LÆTITIA
COLLEGIUM SOCIETATIS JESU PROSEQUITUR.

Ex

Ex valvis ejuſdem Templi Majoribus ſupra Cæſaris Speciani Cremonenſis olim Epiſcopi effigiem in oculos prætereuntium incurrebat hic plauſus.

S. PIO V Pontifici Maximo
In Solemni Apotheosi
Cæsar Specianus Cremonæ Episcopus,
Pro Honoribus Sibi Viventi Delatis,
Ad Templi A Se Extructi Aditum
In Hæredibus Suis Patribus Societatis Jesu
Superstes Plaudebat,

Ex magno in ſcholas introitu in hanc litteraria Reſpublica gratiarum actionem ſe ſe jure, ac merito effundebat.

S. PIO V. Pontifici Maximo
Litteraria Societatis Jesu Respublica,
Quam Vivens Apud Omnes Laudibus Extulit,
Auctoritate in Publicas Belgii Accademias
Invexit,
In Vaticana Nostra Vocavit,
Ad Nascentes Hæreses Cohibendas Immisit,
Gratias, Quas Debet, Reddit,
Incrementum, Quod Sperat, Exorat.

Habita eſt igitur ea ſupplicatio triumphalis immenſa populi frequentia, comitantibuſque cum facibus accenſis, atque ingenti pompa Epiſcopo, cæteriſque Urbis

opti-

Digitized by Google

optimatibus. Inſignem hanc celebritatem videtur Deus ipſe ſingulari quodam beneficio probare, confirmareque voluiſſe. Nam cum multos jam menſes in agro præſertim Cremonenſi minime pluviſſet, & gravis jam annonæ difficultas ab extrema fere ſiccitate timeretur, die ipſa Pio V. ſacra, quæ fuit octidui prima, largus adeo imber cœlo defluxit, ut ſegetes omnes non modo revireſcere ſtatim cœperint, ſed ad maturitatem, ubertatemque quamdam ſint ejus pluviæ ſucco perductæ. (1) Quo etiam factum eſt, ut quæ habenda erat ea die circumitio per urbem, protracta in diem octavum fuerit libentiſſime. Factæ interea pauperibus panis, & pecuniæ largitiones multæ, atque iis maxime familiis, quas victum oſtiatim, & publice quæritare ex verecundia non decet. (2) Atque hæc Patribus ſolemnia, ſi omnia ſupputentur, aureorum mille, & amplius conſtitiſſe, codices, & rationes Cœnobii teſtantur.

(1) *Idem Amadeus Cattaneus, Franciſcus Maria Breſſianus, aliique multi ſuperſtites teſtantur.*

(2) *Ex libello edito Cremonæ 1714. in 8. cui titulus Narrazione dell' Apparato fatto da PP. di S D menico nella loro Chieſa ec Per la Feſta, della Canonizzazione del glorioſiſſimo Pontefice S. Pio V. Domenicano.*

CAPUT TERTIUM.

Octaviano Guaſco vita functo, in ejus Cathedram ſufficitur Alexander Litta Mediolanenſis. Ab hoc Epiſcopo Prædicatores, qui Theologiam, quam vocant Dogmaticam, Clericos perpetua docerent, deliguntur.

HIs ita peractis, Sacellum Patres S. Pio V. dicatum & novis picturis, & ſacris ornatibus in dies magis decorare, ac locupletare cœperunt. Octavianus interea Guaſcus, de quo dictum eſt, virtute magis, quam
1716 annis plenus demoritur. In ejus locum haud ita multo poſt ſufficitur inſigni morum candore, gravitateque Vir
1718 Alexander Litta Mediolanenſis. Hic cum Romæ apud Ædes Minervitanas fuiſſet diu commoratus, eamque vicinitatis occaſionem nactus ſe ſe Noſtris inſtituendum tradidiſſet, familiaremque cum iis, quorum condiſcipulatu utebatur, conſuetudinem, amicitiamque iniiſſet, Dominicanorum ingenuam ſive vivendi, ſive docendi rationem probare, commendareque cœpit ſummopere. Quo factum ſubinde eſt, ut Epiſcopatu Cremonenſi vix initiatus de tradendis in eorum fidem, & diſciplinam Clericis ſerio cogitarit, id noſtris non modo non ſuadentibus, aut importune affectantibus, ſed ne opinantibus quidem. Mente igitur, animoque perficiendi, quod conſtituerat, Cremonam acceſſit. Ad hunc Joannes Franciſcus Todeſchinius non vulgari ſapientia, probitateque vir, qui Cœnobium hoc noſtrum moderabatur, ſalu-

ſalutandi, gratulandique cauſſa cum veniſſet, arcte amplexatus hominem novus Antiſtes, multa cum eo inambulans de Catholicæ Doctrinæ propagatione, deque ſuis præſertim Clericis hoc ſtudii genere inſtituendis contulit; atque ob id ipſum ab eo petiit virum, qui in ſuomet Epiſcopio Theologiam, quam vocant Dogmaticam, doceret. Hanc, ajebat, Romæ in Ædibus præcipue Minervitanis florere, excolique quam maxime. Probe noſſe ſe quantum hanc inter, & veram, ſanamque morum doctrinam interſit neceſſitudinis. Nil denique eo ſtudio amplificando, promovendoque eſſe potius, antiquiuſque Romano Pontifici. Ad hæc Todeſchinius poſt gratias habitas, quas potuit, maximas cum Dominicum Barbantium Virum cumprimis doctum, & gravem omni animi ſubmiſſione obtuliſſet, id gratum, acceptumque habuit Epiſcopus, eumque juventutis ſuæ inſtitutorem dogmaticum declaravit. Eo Barbantius munere cum ad annos aliquot ſumma cum laude, atque ingenti auditorum fructu eſſet perfunctus, ſucceſſores ad hanc uſque ætatem, & annum ipſum, quo hæc ſcribimus, habuit Todeſchinium in primis, deinde Saulum, Capograſſum, Carpanum, Helenam, Manuellium, Soffiantinium, Dragonium, & Finardum, eos maxime probantibus, collaudantibuſque Epiſcopis Alexandro primum Litta, de quo dictum eſt, tum Ignatio Maria Fraganeſchio, quem ad perennem hujus Eccleſiæ felicitatem diutiſſime incolumem deſideramus.

CAPUT QUARTUM.

Antonini Cloche Severopolitani totius Ordinis Magiſtri Generalis ſexageſimi funus ſingulari a Patribus Cremonenſibus mæſtitiæ ſignificatione celebratur.

ROmæ interim in Ædibus Minervitanis admirabilis Vir Antoninus Cloche Severopolitanus, poſteaquam annos quatuor, & triginta Ordinem univerſum prudentiſſime, feliciſſimeque rexiſſet, ætatis vero tres ſupra nonaginta compleſſet, non tam morbo, quam ſenio attritus ingenti totius Urbis mœrore, atque inexplicabili
1720 ſuorum luctu demoritur. (1) Parenti amantiſſimo cum in Urbe primum, tum ubique a Noſtris, eo triſti accepto nuncio, juſta perſoluta funebria. Ordini ſe devoverat, Thoma Turco eum moderante, & Gallias perluſtrante, qui præclariſſimæ indolis adoleſcentem, donec vixit, non ſecus dilexerat, ac filium. Multorum, quibus a Turco auctus fuerat, beneficiorum haud immemor Antoninus, nullum fuit officii, & paternæ benevolentiæ genus, quo Cœnobium Cremonenſe, cujus ille fuerat alumnus, non ſit humaniſſime complexus. In ejus igitur obitu non tam communis erat huic familiæ, quam peculiaris dolendi, gratique animi ſignificandi cauſſa. Portam itaque Patres Templi majorem, quæ ad occaſum vergit, aulæis circumtexerunt parentalibus eo poſitu, & ordine, ut ab ejus magno Epiſtylio ampla promineret ſchedula, in qua eminus hæc legeretur inſcriptio.

RE-

(1) *IV. Kalendas Martias* 1720.

REVERENDISS. P. F. ANTONINO CLOCHE
SACRI ORDINIS PRÆDICATORUM GENERALI MAGISTRO
SUORUM, URBIS, ET ORBIS
PRÆSIDIO, FELICITATI, SPLENDORI
INVIDA MORTE SUBLATO
MOESTISSIMI FILII
PP. AC FF. CONVENTUS S. DOMINICI CREMONÆ
SUPREMO DOLORIS OFFICIO PARENTABANT.

Ab oſtio altero ad meridiem poſito atris ſimiliter pannis ornato occurrebant hæc verba, quibus viatores pio quodam invitati ad funerandum excitarentur.

PIAS FILIORUM LACRYMAS IN ACERBO FUNERE
REVERENDISS. P. F. ANTONINI CLOCHE
SACRI ORDINIS PRÆDICATORUM GENERALIS MAGISTRI
LUGUBRI POMPA JUGITER EFFUSAS
PROSECUTURUS ADESTO.

Hoc tam luctuoſo apparatu permoti, qui præteribant, quique geminatis æris campani pulſibus acciti confluebant, in Templum ingreſſi nil circumſpiciebant prorſus, quod ſacrum mœſtitiæ non minus, quam piæ magnificentiæ ſpectaculum non referret. Columnas magnæ porro altitudinis contuebantur ſexdecim, quas a ſummis capitulis ad imas uſque ſtylobates exequialia conveſtiebant peripetaſmata, iiſdemque appenſos, aptiſſimeque intextos nivei coloris lemniſcos, ac demortui ſtemmata, ut dubitaretur, plus ne intimi doloris hæc

 pompa,

pompa, quam juſtæ admirationis afferret. Huc accedebat latiſſime expanſum in pavimento funereum ſtragulum honeſtiſſimis Generalatus inſigniis ornatum, innumeriſque accenſis facibus circumſeptum. Hiſce cum dignitate, ac majeſtate compoſitis ad juſta ſolvenda, confertiſſima adſtante populi multitudine eſt ventum. Preces in primis, quas Nocturnum vocant, ingenti, ac multiplici Muſicorum inſtrumentorum numero recitatæ. Tum eodem undique perſonante lugubri concentu Sacrificium ab Joanne Franciſco Todeſchino Præfecto ſolemniter celebratum. Habita denique a Joanne Baptiſta Rapario majoris Templi Canonico oratio parentalis, qua italico ſermone egregias demortui Generalis Magiſtri virtutes narravit, pronunciavitque ſic, ut eſſet, qui Antoninum Cloche præſentem non haberet, maximeque non ſuſpiceret, nemo. Diem clauſit admodum frequens, & illuſtris inſigniorum Poetarum conventus, qui duce Paullo Camillo Porro Cive Cremonenſi, & Academiæ Principe, defuncti Viri dotes eximias cotinenti trium horarum ſpatio variis iiſdemque concinnis verſibus commendarunt. Adſtitit tum matutinis, tum veſpertinis ſolemniis graviſſimus, piiſſimuſque Cremonæ Antiſtes Alexander Litta Mediolanenſis, qui Antonini ſapientiam, virtutemque ſingularem Romæ admiratus fuerat, auxitque hanc noſtram dignitate, auctoritateque ſua celebritatem. (1)

F 3 CA-

(1) *Vide libellum editum Cremonæ anno* 1720., *cujus titulus: Raccolta di Rime nella morte del Reverendiſs. P. F. Antonino Cloche Maeſtro Generale di tutto l'Ordine de' Predicatori con l'occaſione de' ſolenni Funerali celebrati da' M. RR. Padri del Convento di S. Domenico di Cremona in queſt' anno.*

CAPUT QUINTUM.

Puteus, quem olim Beati Viri Dominicus, & Franciſcus prodigio ſanarunt, quique annos novem, & ſeptuaginta latuerat, caſu detegitur. Factus illico ad eum locum ingens virorum, fœminarumque concurſus, multaque inde beneficia impetrata.

INter varias Ædium B. Guillelmo ſacrarum viciſſitudines, id omni ætate conati ſunt Patres, ut ſin minus Ædes, & fanum, at puteum ſaltem celebri prodigio ſanatum ſervarent incolumem. (1) Verum anno poſt Chriſtum natum milleſimo ſexcenteſimo nono, & quadrageſimo conſequi ne id quidem potuerant. Nam acrius, quam antea conſueſſet, ingruente bello, noviſque ad Cives protegendos vallis, & foſſis Urbe munita, & agri illius noſtri partem occupaverant milites regii, & putei operculum, & domunculam eidem adjunctam ſolo æquarant, permiſerantque id unum, ut putei fiſtula, ne ruderibus obruta funditus interiret, ſuperexſtructo lapideo fornice obtegeretur. (2) Occluſus hinc ad ad eas aquas religioſe, fidenterque ebibendas eſt aditus, defeceratque ad eum fontem, cujuſmodi antea fiebat, curationum obtinendarum cauſſa concurſus. Verumtamen ne perpetuis Cremonenſes temporibus ſingulari hoc beneficio privarentur, eſt factum. Annos etenim ab ea demolitione poſt novem, & ſeptuaginta cum ager 1728

(1) *Petrus Maria Feſtus MS. c. 2. pag. 3. Paſſarinus Hiſt. MS. lib. 7. c. 3. n. 7. Joſeph Breſſianus Hiſt. MS. Eccleſ. Cremon. fol. 220.*

(2) *Addit. ad Hiſt. MS. Paſſerin. ad eum annum.*

Digitized by Google

ille ad XV. Kalendas Majas de more coleretur, accidit, ut bovi inter arandum altius pedem figenti ſubtus ceſſerint aliquot memorati fornicis lateres, ac tali modo detectus, qui diu latuerat, mirificus puteus ſit. (1) Hujus novitatis accepto nuncio exultabundi Patres ad eum locum, quem adhuc tenebant, accurrunt, ſitum quam accuratiſſime obſervant, lateres, & cavi ſubjecti latitudinem, profunditatemque diligenter examinant, collatiſque inter ſe omnibus, quæ cuſtodierant, ejus rei monumentis, animadvertunt, non alium eum eſſe puteum poſſe, quam qui univerſim deſiderabatur. Certiores igitur cum eſſent facti, omnes, quorum hoc negotium intererat, edocent, ac præ cæteris Alexandrum Littam Cremonæ per eos dies Epiſcopum. Hic ad pridie nonas Junias in eum locum cum veniſſet, omniaque exhibitis ſibi monumentis congruere deprehendiſſet, illud denique communi ſententia concluſit, non videri conſtantem adeo, ac firmam in agro incolis vacuo concamerationem illam eſſe factam, niſi ſuffoſſi mirabilis putei ab adverſis caſibus protegendi, conſervandique cauſſa. His itaque animadverſis, & Antiſtitis auctoritate cognitis, detracto fornice puteum aperierunt, ad ejuſque latera fundamenta pilarum, quibus olim ejuſdem opertorium inſiſteret, invenerunt. Haud facile dictu eſt, quam brevi hujus rei fama Urbem impleverit univerſam, & quam teneros religionis, pietatiſque ſenſus excitarit. Cumque pervagari cæpiſſet quotidie latius, frequentior

(1) *Ragguaglio del Pozzo benedetto dal Patriarca S. Domenico. Edit. Cremonæ typis Petri Ricchinii p. 14.*

quentior in dies cum ex vicinioribus, tum ex remotioribus oppidis, & vicis populi concurſus eſt factus. Hinc omnium ordinum viros, & fœminas ad aquas iſtas beneficas vel in loco bibendas, vel in domum exportandas conniti: & bene valentes earum hauſtu viribus confirmari: & qui adverſa valetudine conflictarentur, convaleſcere; ac multa denique paſſim prodigia fieri. (1) Quarum fides ne uni, quod plerumque leve, ac fallax eſt, vulgi teſtimonio niteretur, a Thoma Ripollio, qui per id tempus Ordinem univerſum Moderabatur, eſt vetitum, imperatumque, ne in acta mirificum quidquam referretur, quod non eſſet peritorum judicio cognitum, & publica ſcribarum auctoritate firmatum.

CAPUT SEXTUM.

Inter innumera, quæ aquarum illarum hauſtu, aut lotione ſupra naturæ vires facta narrantur, non referuntur hoc capite, niſi quæ peritorum judicio ſunt cognita, & publica auctoritate firmata.

EJus generis prodigia ſunt, quæ ſequuntur. Puella duodennis, cui erat Lucia nomen, Joannis Baptiſtæ Coppinii filia, quæ Cremonæ in S. Sepulcri Vicinia commorabatur, tenaci adeo formicationis morbo laborabat, ut Medici, peritique omnes de ejus omnino valetudine deſperarent. Hæc, ut reſcivit, quæ ad puteum a B. Dominico benedictum fiebant, illuc adduci per amicam voluit: ac poſteaquam ſe ſe Beati Viri precibus fidentiſ-

(1) *Ragguaglio a pag. 15. 16., & ſeq.*

dentiſſime commendaſſet, faciemque ea die ſemel, dieque poſtero iterum matre comite laviſſet, domum rediens levari extemplo morbi moleſtia cœpit, & cadentibus e vultu cruſtulis, quæ eam enormiter deturparant, non ſanitatem modo, ſed nativam corporis formam recuperavit. Sub idem fere tempus Franciſcus Ariſius vir clariſſimus, cum acerbiſſimo calculorum dolore excruciari conſueſſet identidem, ad IX. Kalendas Auguſti eum denique calculum eſt nactus, quo dierum plane quindecim ſpatio nulla Medicorum ope liberari unquam potuerit. Immo vero cum ab ureteribus eum jam ſenſiſſet in veſcicam delapſum, neque ullis fomentis, aut alia quavis ratione per triduum exprimere eum inde potuiſſet, veritus, ne mortifera, uti evenire his in caſibus ſolet, inflammatio ſuboriretur, ab amico Hermenegildo Todeſchino fidei Quæſitore unum, vel alterum petiit illius aquæ poculum, quorum uno ſtatim epoto, altero antequam cubitum iret, mane poſtero cum ſurrexiſſet, ſeque in Sanctorum Virorum Dominici, ac Franciſci fidem tradidiſſet, inter invocata eorum nomina calculum haud modicæ ſane magnitudinis citra ullum doloris ſenſum momento temporis reddidit. Simile quid Ignatio Tadiſio, qui Cremonenſi S. Geroldi Collegio præerat, evenit. Stomacho cum eſſet minime bono, ejuſque mala habitudine frequentiſſime angeretur, neque prius ab ejuſmodi inſultationibus dimitti ſoleret, quam longo fuiſſet medicamentorum uſu fatigatus, VII. Kalendas Septembres eo iterum morbo de more impetitus conſtituit, ſe ad memoratas aquas poſtridie, modo id

fieri

fieri per ſe poſſet, iturum. Quod cum difficile quidem, ſed religioſe admodum, fidenterque feciſſet, poſt primum hauſtum ita levari ſe ſuis doloribus ſenſit, ut brevi non modo ſanatus, ſed in poſterum nil unquam tale ſit paſſus. Lauram Broccardam textricem Cremonæ natam, quæ manus habebat ab annis tribus adeo attractas, ut non ſolum non texere; ſed ne cibum quidem ori admovere valeret, idem beneficus latex ab omni manuum impedimento liberavit. Eadem lotione, atque in Beatum Dominicum ſpe, Barbaræ Taſſettæ Uſtianenſis brachium fortuito, ac præcipiti in altam foveam lapſu confractum; atque ita imperite curatum, ut nulli fere eſſet uſui, eas brevi vires, agilitatemque recepit, quibus virga de more adhibita excutere triticum e paleis poſſet. Idem ferme contigit Catharinæ Victoriæ Bartholottæ Lugagnanenſi, quod eſt oppidum in Placentinis. Hæc cum menſes omnino quindecim ſiniſtra iſchiade adeo vexaretur, ut neque pedibus inſiſtere, neque ſine fulcro ambulare ei liceret, ad ſaluberrimum puteum deducta, ut ſe lavit, ac bibit, ita convaluit, ut proſiliens, ac geſtiens fulcimentum illud ipſum, quo antea utebatur, ad Æediculæ recens exſtructæ parietem appenderit trophei loco. Sed & Marcus Antonius Farina Cremonenſis ſub initium anni poſteri exqui- 1729 ſita pleuritide circumventus cum fuiſſet, ob eandemque die ſeptima ingraveſcentem jam eſſet quam proxime moriturus, Joſephi Mariæ Breſſiani Juriſconſulti hortatu, poſteaquam Sanctorum Dominici, & Franciſci opem enixe imploraſſet, benedictique

putei

putei aquam, quam domi tenebat, bibiſſet, quieti ſe dedit, & ſanus poſtridie, valenſque ſurrexit. Eſt autem ſingulare, quod in agri Cremonenſis vico, cui Curtetanum eſt nomen, Bartholomæus Joſephi Ravani filius eſt conſecutus. Is eo linguæ vinculo a prima origine tenebatur, ut, cum annorum eſſet octo, præter hæc duo *Patris*, & *Matris* vocabula nil proferret. Ad inſignem puteum ductus, domumque redux poſt aliquot aquæ illius hauſtus ſolutus omni ad loquendum impedimento eſt. Atque hæc, aliaque hujus generis ſigna (non enim opus eſt commemorare ſingula) Joannes Baptiſta Scodeſius Epiſcopalis Curiæ per eos dies Cancellarius accurate, riteque cognita in publicum formularum Codicem retulit. (1)

CAPUT SEPTIMUM.

Alia etiam inſequentibus annis beneficia inde accepta dicantur. Nondum propterea ab iis aquis religioſe bibendis, atque in domos exportandis ceſſatum omnino.

1730 NEque tamen inſequentibus annis ab frequenti ad eum puteum concurſu eſt ceſſatum. Nam pro eorum, quæ inde fluere perrexerunt, multitudine, magnitudineque beneficiorum, magis, minuſve, perſiſtere, uti in hujuſmodi eventibus ſolet, viſa religio eſt. Alia igitur poſthac, Dominico, & Franciſco deprecatoribus, aquarum illarum potu, aut lotione prodigia facta narrantur. Nam & febres paſſim è corporibus

(1) *Ragguaglio pag.* 17., 18., *& ſeqent.*

poribus pulſæ; & Dæmones fugati; & lux caligantibus 1732
reſtituta; & inditæ enervatis artubus vires, & hydro-
pes exſiccatæ; & ſani quamplures ex deſperatis ulceri-
bus facti; & alia hujus generis multa, quæ licet mino-
ris ſint fidei, quam quæ publico fuere judicio cognita;
non ea tamen ſunt, quæ in tam recenti memoria parvi
adeo ſint, floccique pendenda, ut aut præteriri debeant
omnino, aut pro minime factis haberi. Illud ſane eſt
perſpicuum, exploratumque, homines, qui omnia ple-
rumque ſua cauſſa faciunt, non videri, cur tanta ani-
morum contentione, ac frequentia huc conveniſſent
niſi opem aliquam ex harum aquarum uſu accepiſſent.
Ad hæc non defuere, qui poſt unum acceptum benefi-
cium, ad aliud iterato implorandum non ſemel huc, ſed
ſæpius redierint. His accedunt, qui, cum propter loci
diſtantiam, aut aliis de cauſſis in hanc Urbem ſe confer-
re non poſſent, ad amicos perſcriberent rogatum, ut
unum, vel alterum admirabilis hujus aquæ vaſculum ad
ſe mittere ne gravarentur. Quæ cum aliis multis, tum
mihi quoque Cremonæ commoranti facta aliquando
petitio eſt. Progreſſu vero temporis, etſi divini Numi- 1735
nis permiſſu refrigeſcere in dies, ac nonnumquam defi-
cere religio ſoleat, nihilo tamen ſecius cum in Beatiſſi
mos Viros Dominicum, & Franciſcum pietas ſit homi-
num cordibus fixa multo altius, quam ut evelli inde ra-
dicitus poſſit, futurum vix, ac ne vix quidem iri arbi-
tramur, ut putei ab iis benedicti memoria penitus dele-
atur. Poſtremis porro etiam hiſce temporibus, quam-
quam haud ita frequentes ſint, non deſunt tamen, qui illuc

adeant

Digitized by Google

adeant oratum, quique aquas illas omni fiducia bibant, in domoſque ſuas comportent in eam erecti ſpem fore, ut beneficium inde aliquod ſint impetraturi.

CAPUT OCTAVUM.

1738 *Inter hæc Thomas Auguſtinus Ricchinius huic domicilio præficitur, illudque ab incommodis, quæ bello ſuperiore pertulerat, & reficit, & refectum exornat.*

DOmum hanc paullo ante occupaverant Galli, & Allobroges, qui ſociale bellum geſſerant in Germanos. (1) Ac primum omnium cum templum habuiſſent publici ad milites curandos noſocomii loco, jam factum inde fuerat, ut concluſo ægrotantium halitu, æſtuque, teterrimns apoſtematum, variarum febrium, fœdorum ulcerum, aliorumque purulentorum morborum odor, pædorque, & illuvies ipſos templi parietes affecerint, & aras, & fornices, & pavimentum, & omnia. Valetudinario poſt dies quindecim, & preces multas in alium locum translato, rem omnem frumentariam, cæteraque ad alendum exercitum huc congeſſerant. Hinc deturpata vario immunditiarum genere impluvia, jam prope deletæ, ſi quæ in iis eſſent, imagines, decorticati parietes, periſtiliorum coronæ dirutæ, nulla denique Cœnobii pars, quæ aliquod inde detrimentum non tuliſſet. Huc acceſſerat immane damnum, quod prædio, domuique noſtræ, ruſticæ, cui Tencaria nomen, attulerant Galli, cum Piceleonis arcem obſiderent. Tot, tantiſque illatis ut occurreretur

(1) *Annis* 1733. 1734, & 1735.

reretur incommodis, triennium, (1) quod inter bellum confectum, & initam a Thoma Auguſtino Ricchinio hujus familiæ præfecturam interfuit, non fuerat ſatis quin multa ſupereſſent, quæ neceſſaria inſtauratione indigerent. His itaque animadverſis Ricchinius omnem ad id perficiundum, quod facto opus eſſet, adjecit animum: Domumque hanc, quam ſemper amavit unice, non modo, ubi res poſtulabat, refecit, ſed refectam magnis impenſis ornavit, & auxit. Atque inter cætera ſcalam totius ædificii maximam cum advertiſſet, & præ vetuſtate, totque adverſis caſibus eſſe minus tutam, & commodam, & aliarum partium magnitudini, ac magnificentiæ minime congruentem, coacto Patrum concilio, novam extruere a fundamentis, veteri dejecta, conſtituit. Erecta eſt igitur in ipſo Cœnobii centro ex baſi fere in ſemicirculum ducta, atque in gradus marmoreos ſeptem diſtincta. Fit inde aſcenſus per gradus quindecim ferreis ad latera repagulis affabre elaboratis inſtructos. Eo veluti ad primam contignationem quandam ut eſt perventum, ex æquo dividitur opus ad lævam, & dexteram in brachia plane duo. Hæc ſunt occultis omnino ferramentis in aere ſuſpenſa, ſimilibuſque repagulis, & cancellis protecta. Per utrumque brachium, gradibus uno, & viginti confectis, atque in unum tabulatum pari obliquitate coeuntibus ad ſummitatem aſcenditur, atque in amplæ bibliothecæ proſpectu conſiſtitur. Ad ſcalæ baſim eſt atrium intercolumniis, & portis ſic diſtributum, ut facilis undique, ac pervius ad aſcenſum, deſcen-

(1) *Annis* 1735. 1736., 1737.

Digitized by Google

deſcenſionemque in omnem Cœnobii partem ſit aditus. Ingens concameratio, quæ ſcalam contegit, omnemque concludit, magnifica illa quidem; ſed magis congruam contendunt nonnulli eam futuram, ſi paullo altius attolleretur. Suſpicitur ſummo in ejus abſide Thomæ Aquinatis imago picta hæreticos homines proſternentis. Sunt vero in oppoſitis lateribus, ſuiſque in loculamentis Beatorum Virorum Monetæ, ac Rolandi Cremonenſium ſimulacra ex molli marmore inciſa. Atque hæc quidem, aliaque, ut dictum eſt, Ricchinio Præfecto.

CAPUT NONUM.

Ricchinius in Socium Magiſtri Ordinis pro rebus Italiæ procurandis Romam accitur. Magnum, ac vetuſtiſſimum Sacellum S. Martino dicatum Patres in duo partiuntur, quæ cæteras templi partes, & ejus lateris ædiculas imitentur.

EO biennio, quo hæc facta ſunt, vix ac ne vix quidem expleto, Thomas Ripollius Tarraconenſis ſupremus Ordinis Moderator Ricchinium, cujus doctrinam, virtutem, dexteritatemque in rebus agendis perſpexerat ſummam, ad ſe nil cogitantem minus Romam accivit, ſociumque ſibi, & adjutorem ad res Italiæ gerendas deſignavit. Succeſſerat Ricchinius in Cremonenſi præfectura Pio Cajetano Cadolinio amico, & ſodali ſuaviſſimo, qui eam egregie geſſerat annum unum. Thomæ vero Auguſtino Ricchinio Romam evocato Carolus Dominicus Rubeus ejuſdem Domus alumnus

ſuf

ſuffectus eſt. A prima hic juventute ad ingraveſcentem 1740
uſque ætatem concionibus per univerſam Italiam habendis
aſſiduam, honeſtiſſimamque cum dediſſet operam, id effecit, ut pro ſua in hanc Dominicanorum
familiam charitate, ei prodeſſe potuerit plurimum. Sic
autem profuit, ut multa jam ſint in omnium conſpectu ab eo collata beneficia quæ commemorare hoc loco
ſingula non eſt neceſſe. Eo familiam gubernante, ejuſque ære ſibi permiſſo, atque conſilio, magnum quid 1741
Patres moliti ſunt, quod nullo utique tempore perfeciſſent, niſi plerique omnes in commune reipublicæ bonum, & ornamentum conſpiraſſent. Erat in templo
ſacellum, cujus alibi mentionem fecimus, S. Martino dicatum, quod juſſu Nicalai IV. ædificaverant olim Majores noſtri, atque in locum ſuffecerant alterius antiquioris, quod ab eodem Pontifice impetrarant Cœnobii commode exſtruendi, amplificandique cauſſa. (1) Illud idem,
poſteaquam Benedicti XI. dono a Pontificia in noſtram
venerat poteſtatem (2), retenta Martini imagine, Sanctiſſimo Jeſu Nomini dicarant, in eoque Sanctorum
quoque reliquias, quas progreſſu temporis congeſſerant,
collocarant. Erat concameratum, & firmum, & ſatis
magnificum illud quidem, ſed in tranſverſam ab occidente ad orientem ſolem longitudinem ita protendebatur, ut non jam ulla templi pars, quæ cæteris apte reſponderet, ſed fanum omnino aliud templo concluſum

G vide-

(1) *Paſſerinus Hiſt. MS. Conv lib. 2. n. 4., & Memorial. MS. ejuſdem Conv. noſtri c. 2. pag. 9., tum ea quæ a nobis ſuperius ſunt dicta.*
(2) *ibidem.*

videretur. Illud igitur in ſacella duo, quæ reliqua imitarentur, partiri conſtituerunt, opuſque totum eximio viro Joanni Baptiſtæ Zaiſto Cremonenſi delineandum, conficiendumq; tradiderunt. Erectis non minore elegantia, quam impendio Sacellis duobus, unum Sacro Sancto Jeſu Nomini, alterum inſigni Taumaturgo Vincentio Ferrerio inſcripſerunt; in utroque vero primi ſacelli latere Sanctorum exuvias, de quibus dictum eſt, ſuis in thecis aptiſſime diſtributas repoſuerunt. Ut aris utrumque, ac picturis, aurique, ubi opus fuiſſet, inductione, & opere albario ornaretur, omni ſumptu, diligentiaque curatum. Artifices, qui majore per eam ætatem in pretio haberentur, conducti: Cælatoribus ad aram Vincentii Ferrerii marmoream incidendam Vincentio uſi ſunt Baroncinio Brixienſi; ad ligneam alteram Antonio Clario Cremonenſi, pictoribus vero per eos dies

1744 præcipuis Franciſco Montio, ac Joanne Sandono Bononienſibus.

CAPUT DECIMUM.

Pio Cajetano Cadolinio in Comitiis Bononiæ celebratis ad univerſam Provinciam adminiſtrandam promoto, multis hoc Cœnobium beneficiis augetur.

HÆc Cremonæ dum agebantur, Comitiorum Provincialium Bononiæ celebrandorum appetebat dies. Inter Cœnobii Cremonenſis alumnos, qui jure ſuffragii ferendi Bononiam hoc anno profecti ſunt, eo ſe

1745 contulit Pius Cajetanus Cadolinius, qui per id tempus Man-

Mantuanis Predicatoribus præerat. In eam ampliſſimam Civitatem ut eſt perventum, oculos, animumque in hunc virum conjecere patres, ceu quem dignum haberent, cui univerſæ Provinciæ procuratio demandaretur. Eum itaque conſtituta die, & hora ad id muneris obeundum ex communi ſententia elegerunt. Qua ſedulitatis, prudentiæ, vigilantiæque laude vaſtiſſimam hanc præfecturam adminiſtrarit; qua lenitate, ſuavitateque imperii, ac morum candore cum nativa quadam gravitate conjuncto ſubditorum animos ſibi devinxerit non minus, quam exterorum, declarare copioſius hoc loco non eſt neceſſe. Ex hac porro Cadolinii præfectura non leve res noſtræ Cremonenſes incrementum cepere. Prætereo vetus granarium aliquot ante annos ejus ope inſtauratum, & auctum, aliaque ab eo collata in nos beneficia: Nam ejus potiſſimum munere illud etiam eſt præſtitum, ut novæ canentium Fratrum ſtationes, quas chorum appellant, ex lignis nuceis, iiſdemque lectiſſimis extruerentur. Hæ ſunt cylindricis ejuſdem generis columnis octo, & triginta interceptæ, ſuiſque coronulis, capitulis, & epiſtyliis ordine corinthio eleganter inciſis inſtructæ. 1746
Columnis ſingulis ſinguli leones aſſident nucei, qui pſallentibus, canentibuſque ſunt veluti fulcri loco. Opus denique totum eſt planum, lævigatumque illud quidem, nulliſque figuris intextum, ſed firmum, ſolidum, commodumque non minus, quam elegans, & ſumptuoſum. Fabro lignario uſi ſunt Patres excellenti, Joanne Baptiſta Gaſparinio Veneto ex iis noſtris rei domeſticæ adjutoribus, quos more antiquo Converſos appellamus.

G 2 Cæla-

Cælatore Joanne Baptiſta Febrario artifice Cremonenſi. Rem totam minore utique impendio, ac majore celeritate confeciſſent, niſi Gallo-Hiſpanorum, & Germanorum exercitus univerſam fere Italiam occupantes lignis aliunde tranſvehendis impedimento fuiſſent. Huc acceſſit inſignis illa lues bubula ex graviſſimis, ut plerique opinantur, belli incommodis orta, quæ cum in totam Inſubriam, tum in agrum præcipue Cremonenſem, magnam, nobiſque maxime ſenſibilem intulit calamitatem.

CAPUT UNDECIMUM.

Romæ Thomæ Auguſtino Ricchinio nova fit honoris acceſſio. Hujus interea Templi pavimentum totum ingenti ſumptu innovatur, minus, quam ſperaretur, felici ſucceſſu.

PAtribus ſive in rem domeſticam reparandam, ſive in ſacras Ædes, quantum eorum tenuitas ferret,
1749 ornandas ſemper intentis, ingentem attulit hoc anno lætitiam, quod Romæ contigit III. kalendas Majas. Nicolao Aloyſio Ridulphio Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro vita functo; in ejuſque locum Auguſtino Urſo, qui congregationi Indicis Librorum expurgandorum a Secretis erat, ſuffecto, Thomas Auguſtinus Ricchinius a Benedicto XIV. eximio, rectiſſimoque hominum æſtimatore dignus præ cæteris habitus eſt, qui ad hanc dignitatem promoveretur. Hoc adeo felici eventu, eo uberiore ſunt Patres Cremonenſes gaudio perfuſi, quo ſolidiorem

erecti

erecti fuerunt in ſpem fore, ut quam primum clariſſimus ille Vir longe majus & Ordini, & Patriæ ornamentum eſſet allaturus. At magnos Viros non fortuna debemus, ſed virtute metiri. A Patribus interea, ut Cremonam revertar, ob miſeras belli ſuperioris, & bubulæ peſtilentiæ inde ſecutæ reliquias nihil memoria dignum eſt geſtum. Illud tantum curatum, ut quod res noſtræ detrimentum pertulerant, ſarciretur, omniaque ſuo in lumine, ac honeſtate continerentur. Non eſt tamen prætermittendum hoc loco, quod inſequente biennio, Joſepho Scala Mediolanenſi Præfecto, magno rei familiaris incommodo in ſacris fuit Ædibus innovatum. Templi laquearia, parietes, columnas, & quidquid fuerat, ut ſupra declaravimus, Gallorum valetudinario, reque frumentaria fœdatum purgaverant, expurgatiſque candorem induxerant Cadolinius primum, tum Ricchinius, ſuo quiſq; præfecturæ biennio. Sed illud erat reliquum, ut & Templi pavimentum, qua longe, lateque patet, reficeretur. Nam cum centum quatuor, & quadraginta jam ante annos quadratis fuiſſet lateribus ſtratum, (1) & propter temporis edacitatem, & propter memorata ſuperiorum bellorum incommoda ita erat eliſum, detritum, ac pene conſumptum, ut difficili admodum, & periculoſo eſſet uſui. Sed & lapides monumentorum ad Cremonenſes familias pertinentium plerique confracti. Huic igitur malo occurrendum erat quam citiſſime, neque expectanda extrema remedia. Fornax itaque 1753 lateraria in fundo Tencarienſi decernitur. Conforman-

 tur

(1) *Anno ſcilicet 1609., ut ſupra indicavimus.*

tur oblongi immenſo numero lateres. Templi ſolum in omnem ſui partem ita conſternitur, ut una, atque indiviſa lamina conſtare prorſus videatur. Inſumpta in
1754 hanc denique rem aureorum pluſquam quingenta. Sed nemo tam diligens, & circumſpectus, in quem error cadere aliquando non poſſit. Uſi ſunt fornacatores limo minime argilloſo, gipſoque maxime infarto, cujus ea eſt indoles, ut quo magis concoquitur, eo facilius frietur,
1755 atque in pulverem reſolvatur. Qua ex re factum eſt, ut pavimentum hujuſmodi lateribus ſtratum multis jam ſtatim cœperit ſcatere inæqualitatibus, & foſſulis, fiatque in dies magis præruptum, & præceps. Sed & veterum ea pavimenti renovatione perturbatus ordo tumulorum, & numerus imminutus, multæque ob hanc
1756 cauſſam Civium expoſtulationes auditæ.

CAPUT DUODECIMUM.

Inter non levia Cœnobii noſtri infortunia Richinius Sacri Palatii Apoſtolici Magiſterio decoratur. Damna ſarciuntur; iterumque Templum novis rebus ornatur.

1757 INſequens biennium nil, quod litteris conſignaretur,
1758 habuit ſingulare. Huic proximum infortuniis, & adverſis caſibus plenum. Turris noſtra, quæ poſt celeberrimam Urbis Turrim eſt maxima, a ſummo fere ad imum fulmine icta, & ænormiter læſa. Eodem fulmine in chorum finitimum penetrante, canentes de more ibi veſperas noſtri ita perterriti, intimeque concuſſi, ut Medicorum juſſu fuerit continuo ſanguis pleriſque

Digitized by Google

que detractus. Ager Piceleonenſis, in quo ſatis amplum nobis eſt prædium, ad III. nonas Majas violenta grandine abraſus. Primum haud leve damnum ingenti ſumptu reparatum. Sed alterum non ita brevi ſarciri potuit, quin ad annos aliquot illud ſimus experti. Inter hæc Roma nuncius affertur, Thomam Auguſtinum Ricchinum ad altiorem fuiſſe dignitatem evectum. Nam Auguſtinum Urſum, quem Benedictus XIV. Lambertinus Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum, ut ſupra monuimus, crearat, Clemens XIII. Rezzonicus in almum Cardinalium Collegium retulit, in ejuſque locum ſumma omnium gratulatione Ricchinium ſuffecit. Quo Cremonenſes 1759
accepto nuncio, cum illud Patriæ ornamento eſſet reliquum, ut quod Urſo, id Ricchinio contingeret, delectati ſunt majorem in modum. Eodem anno magnum Bibliothecæ tectum tignis partim ob vetuſtatem jam carie corroſis, partim ob introducta ſenſim ſtillicidia putreſcentibus cum vix ſuſtineretur, ac pene concideret, novo trabium, ac tegularum munimento firmatum. Anno poſtero ſplendidis, & inſigni Templo vere dignis 1760
ad confeſſiones excipiendas Exedris quatuor jam ante conſtructis, duas alias, quæ ad conſtitutum, juſtumque numerum conficiendum deſiderabantur, addiderunt, & ſingulis Beatorum Virorum Ordinis noſtri ſimulacris *hermarum* inſtar eleganter inſculptis dicatas ſuo Patres quaſque in loco poſuerunt.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Certa pecuniæ ſumma ærario regio ad bellum alendum, continuandumque, ſi res tuliſſet fœnerata. Sacrarium nova ſupellectile auctum. Cœnobii periſtilia ſarta, eleganterque illuſtrata. Templum denique candefactum, noviſque periſtromatibus ornatum.

1761 HIeronymo Portæ, qui anguſtiorem, quam par eſſet, pro non bene valentibus oecum amplificavit ab Cremonenſi poſt annum unum ad Bononienſem præfecturam aſſumpto; qui hæc ſcribit, ſuffectus eſt. Annus hujus præfecturæ primus inſignis pecunia Mariæ
1762 Tereſiæ Auſtriacæ, Reginæ Auguſtæ, Apoſtolicæ fœnerata graviſſimi, ſi res tuliſſet, in Fridericum Boruſſiæ Regem belli alendi, continuandique cauſſa. Neque tamen a conſueto Templi locupletandi, ornandiq; ſtudio
1763 Patres vel minimum diſceſſerunt. Nam & Sacrarium ſacerdotalibus argento, ſericoq; contextis caſulis, aliaque ſacra Supellectile auxerunt, & veteri in Ædes Azzanellianas translato ſuggeſtu, alium multo ampliorem, ſplendidioremque ad ſacras conciones habendas eleganti opere, auroque anaglyphis inducto exſtruxerunt, plurimum æris ſibi permiſſi Carolo Dominico Rubeo in eam rem conferente. Anni vero cum jam multi præteriiſſent, neque magna Cœnobii Periſtylia ab illatis per id tempus incommodis refici urgentioribus de cauſſis unquam potuiſſent, multoque minus ornari, hoc ipſo biennio, ejuſdemque Præfecti imperatu, & quod inſtauratione indigebat, ſartum, & picturæ reparatæ, & omnis clauſtro-

rum

Digitized by Google

rum facies coloribus albo, & ſubroceo aptiſſime diſpoſitis illuſtrata. Sed non minore fuit in Templo præſertim 1764
ornando ſollicitudine inſequens Thomæ Nazarii Finardi præfectura. Veteribus a Caſimiro Piazzio coemptis periſtromatibus (1) longo jam ſex ſupra centum annorum uſu decolorari, diſſui, ac ſenſim dehiſcere incipientibus, nova fieri debere conſtituerunt Patres, quæ detritis ſuccederent, peripetaſmata. Totum negotium Joanni Baptiſtæ Vidiſerto Mediolanenſi, textori admodum præſtanti, & ingenuo tradiderunt. Metatis hic columnarum 1765
altitudine, ambitu, intercolumniorum arcubus, amplitudineque ſtylobatum, & capitulorum, ſupputavit, non minore panni ſerici ulnarum, quam mille, viginti, & quingentarum numero opus eſſe ad rem conficiendam. Opus totum, quod exquiſite coccineum eſt, ſuiſque ejuſdem coloris laciniis undique circumſcriptum, atque inoculatis veluti floribus adeo elaboratum, ut ſerici villoſi ſpeciem exhibeat, Ordinis Prædicatorum ſtemmata ad ſingulas habet columnas intexta. Verbo dicam. Ipſa nos ornatus iſte ſua venuſtate, dignitateque fefellit. Ita enim initio omnium oculos illexit, ſtudiaque incendit, ut vel nolentes, novis rebus in dies adjunctis, ad multo majores, quam virium noſtrarum tenuitas ferret, impenſas faciendas adduxerit. Sed omnia accurata rei domeſticæ diſpenſatione, ac religioſa vivendi frugalitate reparantur. Pecuniæ interea, quam diximus, fœneratæ, poſt fructus exacte receptos, ſors ipſa hoc anno jam nobis in- 1766
tegre reſtituta.

LIBRI.

(1) *Anno 1660.*

LIBRI QUINTI

CAPUT PRIMUM.

Qui ſit præſens Cœnobii Cremonenſis Ordinis Prædicatorum ſtatus, brevi proponitur.

QUoniam ad hæc uſque tempora per ſummas rerum hactenus geſtarum perventum eſt, non alienum eſſe videtur, quæ ſit præſens Ædium noſtrarum facies, atque conditio brvi proponere. Sic enim fiet, ut quo deniq; annorum fere quingentorum progreſſu deducti ſumus, uno lectores veluti obtutu commeantur. Sunt igitur Cremonenſes Dominicanorum Ædes in centro fere Urbis poſitæ, atque in regione, quantum Urbs ipſa patitur, frequentiſſima. Univerſum ædificium, cujus totus ambitus eſt paſſuum circiter tercentorum, atque in longitudinem magis, quam in latitudinem protenditur, inſulam refert. Viis publicis, & frequentibus eſt hæc circumſepta, muroque ſatis alto præcingitur, ea parte tantum excepta, qua Templum, & Inquiſitionis Domus ſunt ei muri loco. Templum, quod magnæ crucis exhibet formam, ad meridiem eſt ſitum, vergitque ejus frons ad occidentem ſolem. Ducentorum novem, & ſexaginta in longitudinem pedum ab occidente in orientem producitur. In latitudinem majorem pedibus patet centum decem, ſeptemque, in minorem quatuor, & ſeptuaginta, altitudinemque habet convenientiſſimam. In alas dividitur

tres

tres opere quidem antiquo concameratas, ſed ab coronis, & epiſtyliis ad imum ordine Corinthio conſtructas, ſtatuis albariis, & anaglyphis non invenuſtis ornatas. De Sacellis ejus, inſignioribuſq; picturis dicemus alio loco. Ante Templi frontem eſt ſolum ſatis amplum, ſilicibuſque optime inſtratum plateæ inſtar, cujus in latere ſacrorum Quæſitorum Ædibus adverſo monumentum aſſurgit perveruſtæ deque patria bene, optimeque meritæ familiæ, ut plerique opinantur, Marianorum. Hujus veluti Mauſolei faſtigio ſuperimpoſitum cernitur Sanctiſſimi Parentis Dominici Symulacrum ex molli confectum marmore. Ad angulum, qui ex Templi proſpectu, & Quæſitorum Domo componitur, publicus patet in Cœnobium ingreſſus. Hoc ab meridie ſtatim ad orientem inflexo, in duo magna introducitur Cœnobii periſtylia. Hæc ſunt ſibi mutuo ita in directum poſita, ut certa ſubjectarum cellarum ſerie, & ſuperiore Bibliotheca interjectis, recto ab uno in alterum itinere utrinque tranſeatur. Sunt ordine, ut ajunt, compoſito exſtructa, ſuaſque habent circumductas porticus columnis ſingulas marmoreis quadraginta ſuffultas, quibus & fornices, & ſuperna ambulacra, & ipſa dormitoria cubicula inſiſtunt. Univerſi Ædificii non ſunt tabulata omnino plura quam duo. Ea tamen conſtant altitudine, magnitudineque partium, ut majeſtatem quidem præſeferant quandam, religioſorum tamen virorum modeſtiam, paupertatemque minime dedeceant. Nam & cellæ pleræque anguſtiores, quam ut commode incoli poſſint, & horti fere nulli, & omnia, quæ privatorum

ſunt.

ſunt uſui, continentiæ, moderationiſque pleniſſima Si quid enim eſt amplum, ſi quid pretioſum, ſi quid magnificum, cujuſmodi ſunt Templum, & magna Turris, & utriuſque ſepti proſpectus, inambulationeſque, & ſacra ſupellex, & tabulæ pictæ, & ſi quid eſt hujuſmodi, non tam ſingulorum Fratrum commoditatibus, quam Patriæ ornamento, aut divino cultui, ad quem omnia referuntur, inſerviunt. Quod præ cæteris æſtimandum, opportunumque eſt incolis, quodque in multis cum privatis, tum publicis Ædibus deſideratur, eſt aptiſſima partium compoſitio. Nil enim eſt prorſus, ſive exteriorem ædificii faciem circumſpexeris, ſive interiora penetraveris, quod non habeat convenientiſſimum commenſuum reſponſum. Qua ex re fit, ut cum in omnibus ſepti majoris angulis ſcalæ ſint ad aſcenſum, deſcenſionemque optime inſtructæ, & porticus circumeuntes in ima parte ſint duplices, quocumque te conferre poſſis, quin aperti aeris intemperiem offendas.

CAPUT SECUNDUM.

Sacelli majoris, & Chori, quem vocant, inſigniores picturæ deſcribuntur.

ATque ut ad Templum, unde diſceſſimus, revertamur, eſt illud plurimis, exquiſitiſque picturis ornatum ſic, ut ſacras Ædes in hoc genere pares pauciſſimas habeat, ditiorem ex noſtris, nobilioremque nullam. Neque id quemquam movere debet: nam eſt Cremona, & excellentia picturarum inſignis, & multitudine ſingularis.

gularis. Ut igitur ab ara maxima ordiamur, achate, alabaſtro, amethiſto, lapide lazulo, onyche, aliiſque innumeris multi pretii lapillis ab Julio Mercoro, ut ſupra monuimus, exſtructa, eminet ampla chori concameratio a Franciſco Villa Mediolanenſi egregio viro ab coronis ad ſummu m abſidem, ejuſdem Mercori impenſis, elegantiſſime picta. Huic architecturæ ſub idem tempus multæ a Joſepho Pamphilo, qui celebrem Procaccinum imitatus, aſſecutuſque eſt, figuræ ſuis ſunt quæque locis aptiſſime inſertæ. (1) Omnes ex veteri, novoque Sacro Codice ad Euchariſtiæ Sacramentum referuntur. In extremo Chori proſpectu ejuſdem Auctoris opus illuſtre ſunt Magi Jeſum Infantem adorantes in Præſepi. Pro hac vero pictura ſunt nummi aurei ducenti ſoluti. (2) Ah hæc accedunt duo presbyterii latera magnis contecta, ornataque tabulis pictis, quarum quæ ad meridiem ſpectat, Danielem Prophetam exhibet in teterrimo Leonum Lacu concluſum; quæ huic opponitur, judicium de puero duas inter fœminas controverſo a Rege Salomone latum. Utrum illa Joſepho Danedo, vulgo Montalto, an Joanni Stephano fratri adjudicanda ſit, dubitatur. (3) Alterutrius certe opus eſt non vulgare. Hæc ab Antonio Santauguſtino Medionenſi eſt confecta cum Danedis fratribus minime comparando. Illa nummis argenteis centum, hæc ſexaginta

Hya-

(1) *Petrus Maria Barbovius in addit. ad Hiſtor. MS. Petri Mariæ Paſſerini ad annum 1668. Memor. Hiſtor. Conv. c. 3. pag. 12.*

(2) *Ibidem.*

(3) *Antonius Maria Pannius Hiſtor. Pictur. Cremonen. pag. 65.*

Hyacintho Bigonio Cœnobii hujus alumno ſteterunt. (1) Spatium, quod inter coronas auro, coloreque herbido intectas, & pavimentum interjacet, a Joanne Mariano minus eleganter eſt pictum.

CAPUT TERTIUM.

Quæ in brachio Crucis templi dextero nobiliores ſunt, tabulæ pictæ proponuntur.

AB ara maxima, ejuſque, ut vocant, presbyterio cancellis ex vario, lectoque marmore contextis circumſcripto in magnam templi crucem gradibus quatuor marmoreis deſcenditur. Atque in brachium ejus dexterum ex ea parte vergentibus occurrit in primis ſacellum ab uno ex noſtris alumnis Jacobo Stavolo erectum, (2) ab ipſaque ſui origine D. O. M. ac Beato Gregorio, cæteriſque Eccleſiæ Doctoribus primum, tum Petro Martyri, deinde Raymundo Pennafortienſi, Sanctiſſimo nunc denique Pontifici Pio V. dicatum. Eſt ejus fornix auro, & opere arabico ornatus. In leva ejus lunula depictus emicat B. Raymundus ad ſummi Pontificis Gregorii IX. genua provolutus novi Ordinis, quem captivorum appellant redimendorum, a ſe inſtituti confirmationem impetraturus. In dextera apparet ejuſdem Raymundi imago coram Jacobo Aragoniæ Rege hujus nominis primo B. Petrum Nolaſcum ejus

(1) *Petrus Maria Barbovius ad annum 1671. Memorial. MS. Conv. c. 2. pag 13.*

(2) *Archiv. Conv. S. Domin. Cremon. lib. T. fol. 5. Paſſerinus lib. 2. n. 24. ad ann. 1314.*

ejus Inſtituti veſte induentis, ac primum Generalem Magiſtrum creantis. Opus totum minime ſane contemnendum Antonio Santauguſtino tribuitur. (1) Ad aram eſt tabula ab Joſepho Pamphilo picta, (2) quæ Pium V. exhibet in Beatorum numerum relatum, quæque eidem Pontifici inter Sanctos deinde cooptato dicata eſt. (3) Cætera, quæ in eodem Sacello viſuntur, cum nil habeant ſingulare, memoratuque dignum, præteribimus. Hinc proxime ad fores itur valvatas, quibus in infimum magnæ turris tabulatum Apoſtolis antiquitus conſecratum (4) introducitur. His ſuper valvis ad terram proſtratus cernitur Petrus Martyr Veronenſis, in eum ex vicino nemore erumpentibus nefariis hominibus eundem jam ex condicto in odium Catholicorum Dogmatum interfecturis. In parte tabulæ ſuperiore ſuſpiciuntur Deiparæ Virginis, Pueri Jeſu, Beatique Hieronymi effigies eum fidei triumphum contuentium, invictumque Martyrem ad mortem fortiter obeundam veluti inflammantium. Quæ ſane Tabella ab Joanne Baptiſta Trotto, vulgo Maloſſo confecta (5) rem totam exprimit ſic, ut nil pingi videatur poſſe excellentius. Huc proxime accedit ara Deo naſcenti dicata. Quæ celebratiſſimus Pictor Cremonenſis Bernardinus Campus

(1)

(1) *Memorial. MS. ejuſd. Conv. c. 3. pag. 16., & 17.*

(2) *Ibidem pag. 17.*

(3) *Sacella, & alia hujuſmodi, quæ Sanctis Viris, & Fœminis ſacra dicuntur, ea D. O. M. intellige in honorem Sanctorum dicata.*

(4) *Petrus Maria Paſſerinus Hiſtor. MS. lib. 2. n. 28. ad ann. 1473.*

(5) *Paſſerinus ibid n. 24. Memorial. Hiſt. Conv. c. 3. pag. 16. Antonius Maria Pannius Hiſtor. Pictur. Cremon. pag. 66.*

Digitized by Google

(1) abſolutiſſimis, viviſſimiſque coloribus effinxit ad hanc aram ornandam, ejuſmodi ſunt, ut ea verbis aſſequi me poſſe diffidam. Nam & fulgorem, quo ad multam noctem præcinctus apparuit Angelus, qui paſtores, ubi ortus Meſſias eſſet, doceret, & lucem a facie Divini Infantis micantem exquiſite adeo eleganterque Campus formavit, eaque luminis gradatione diſcrevit, ut ſive quæ a præſepi, ſive quæ a cœleſti nuncio remotiora ſunt, illuſtrata minus, quæ viciniora, magis aptiſſima quadam proportione videantur. Qua ex re Paſtores cœleſtem Infantulum adorantes, & Virgo Mater, & Joſeph, & Joannes Precurſor, jumentaque ipſa gratiam, vivacitatemque pro ratione diſtantiæ in ſe contrahunt tantam, ut niſi quam proxime acceſſeris, utrum ſpecies ſint, & inanes imagines, an res omnino viventes, oppido dubitaveris. Vel ex hoc uno Bernardini Campi opere, ait Antonius Pannius, (2) veluti ex nitidiſſimo ſpeculo ediſcere, qui in nobiliſſima pingendi arte proficiendi deſiderio tenentur, plurimum poſſunt. Poſt hæc in eodem crucis brachio, medioque proſpectu patet amplus in ſacrarium ingreſsus. Hujus ſupra epiſtylium inter cæteras minimæ contemnendas tabellas eſt lignea una, quam Galeatius Campus venuſtiſſimis figuris ornavit. (3) Sunt autem Virgo in primis, ejuſque cæleſtis Puerulus, & Joannes Præcurſor

(1) *Ipſe Bernardiuus Campus eam ſe tabulam pinxiſſe teſtatur anno* 1574. *Sacellum Patribus, tabula picta Jo: Baptiſtæ Piccnardo tribuitur. Paſſerlius, & Memorial. ibid.*

(2) *Hiſtor. Picturar. Cremonen. pag.* 67.

(3) *Idem pag.* 66.

ſor agno amæniſſime colludens. In altero ejuſdem proſpectus æquali latere, quod ad primum Cœnobii ſeptum pertingit, eſt ara priori ſimilis S. Franciſco Aſſinati dicata. Sunt ambæ opere albario conſtructæ habentque loricas marmoreas. In hac vero, incredibili quadam intuentium voluptate, conſpicitur eadem Virgo in gremio ſedentem tenens divinum Infantem, quem Franciſcus in genua provolutus, beatiſſimique viri Joſeph, & Dominicus ſtantes omni, quam exterius mirifice præſeferunt, animorum ſubmiſſione venerantur. Auctorem agnoſcit hæc tabula clariſſimum artis pingendi decus Julium Campum Antonii, & Vincentii fratrem natu majorem. (1) Tanta uſus eſt in ea pingenda colorum vi, tantoque artis conatu, & induſtria, ut cum natura non tam certaſſe, quam eam æquaſſe omnino videatur. His omnibus eminet ingens illud ſpatium, quod ab aris, earumque ornamentis ad magnam uſque crucis templi coronam porrigitur; illudque totum ampliſſima pictura conveſtit. Deſcribitur ibi prælium, quo Simon Montfortius, comite, ac precibus opitulante B. Dominico, parva catholicorum manu prope immenſas Albigenſium hæreticorum copias fudit. Ulnas hæc tabula octodecim in longitudinem, novem, & ſemis in altitudinem extenditur. Picta eſt a Jacobo Ferrario Cremonenſi, ſtetitque nummis argenteis Julio Zachariæ Cœnobii hujus alumno permiſſis centum, & viginti. (2)

H CA-

(1) *Petrus Maria Paſſerinus Hiſt. MS. lib 2. n. 30., & Pannius pag. 66. Confecta eſt ea tabula ſumptibus Chryſiæ Roncaroliæ anno 1544.*

(2) *Memorial. Hiſtoric. MS. Conven. c. 3. pag. 19.*

CAPUT QUARTUM.

Narrantur, quæ in dextero Templi latere ab excellentioribus viris ſunt picta.

IN hoc Templi latere, quod ſi fiat ab ara majori progreſſio, eſt dexterum, quodque primum Cœnobii periſtilium contingit, ſacella ſunt æqualia, & operis albarii omnino ſex. Omnium altaria, ornamentaque eorum lignea affabre inciſa ſunt, auroque puriſſimo eleganter obducta. Horum primum Sanctos Viros Ludovicum Beltrandum, & Guillelmum exhibet, beatiſſimamque Virginem immenſa quadam gloriæ ſpecie eminentem. Qui minus attente, quam res ipſa poſtulat, hanc tabulam inſpexerit, eam ab inſigni Maloſſo pictam fortaſſe judicaverit. Verum fuiſſe a Stephano Lambro Cremonenſi elaboratam, qui Maloſſum inſtitutorem habuit, eumque imitatione quam proxime eſt aſſecutus, ſubſcriptio ipſa teſtatur. (1) Ad aram ejuſdem lateris alteram columnis, cruſtiſque marmoreis inſtructam qui venerit, oculoſque in Joannem Baptiſtam in carcere decollatum vel leviter defixerit, artis prodigium mirabitur. Multæ cernuntur in ea tabula imagines pictæ, quarum ſingulæ eleganter adeo effictæ, apteque poſitæ ſunt, ut incredibili quodam ſuavitatis, delectationiſque ſenſu oculos illiciant, retineantque intuentium. Sunt autem Joannes ipſe ſubmiſſis genibus ictum carnificis patientiſſime expectans; & Herodias impudens fœmina regiis mollibuſque veſtimentis ornata, inhumani

(1) *Subſcriptio auctorem indicat, & an. 1623. Idem affirmat Anton. Pannius p. 80.*

manitatemque ſpirans in Sanctum Virum, & Miniſtri duo e ſcala lapidea in carcerem deſcendentes, & Angelus, quem carneum diceres, e mediis nubibus martyrii palmam deferens, & alia ad illud ſpectaculum pertinentia, quorum neſcias, quid melius excellentiuſque ſit. Sed inter cætera mirabilis eſt viſu laterna illa chartacea, quam miniſtrorum unus in atrum carcerem præfert. Eſt hæc figuræ fere quadratæ; ex eaque radii faculæ intus accenſæ in omnem tenebricoſi ejus loci partem ita propagantur, ut verum carcerem noctu illuminatum juramento eum eſſe affirmares. Sed & aliæ viſuntur aptiſſime diſtributæ circa eandem aram tabellæ, quibus idem Præcurſor, & cum naſcitur, & cum in ſolitudine locuſtis veſcitur, & alia illuſtriora Beati viri facta non minore elegantia, dignitateque exhibentur. Opus totum ab excellenti viro, quem memoravimus, Joanne Baptiſta Maloſſo eſt confectum. (1) In id perficiendum incubuit, ut opinor, eo diligentius, quo religioſius Præcurſorem, cujus nomen gerebat, venerabatur. Quidquid etiam in ejuſdem Sacelli fornice ad alam uſque majorem protenſo inter opus albarium eſt pictum, eidem eximio artifici adſcribitur. Aram, quæ hanc proxime inſequitur, idem auctor ornavit: pinxitque in ea iterum Joannem Baptiſtam, Vincentium Ferrerium, Beatumq; Hymerium Cremonenſium Patronum, (2) qui Deiparam Virginem in nubibus ſedentem, multorumque An-

 gelorum

(1) *Petrus Maria Paſſerinus Hiſtor. MS. Conv. lib. 2. n. 33. ubi ait Sacellum hoc exſtructum fuiſſe ab Antonio, & Franciſco de Piſcibus anno 1496., ornatum vero picturis anno 1590. laudati Maloſſi manu.*

(2) *Idem Paſſerinus loco cit. n. 34. aliique Maloſſo æquales.*

gelorum gloria circumfluentem adorant. (1) Ejuſdem egregii Viri eſt inſignis S. Hyacinthi effigies in proximo Sacello demortuum Matronæ filium coram confertiſſima virorum, ac fœminarum multitudine in vitam revocantis. (2) In ara huic proxima, quæ S. Catharinæ Senenſi eſt dicata, ſe ſe vivis offert, nitidiſque coloribus Chriſtus Servator eidem integerrimæ, ſibique acceptiſſimæ Virgini nubens, & ſacra Sponſalia tradito anulo confirmans. Hiſce nuptiis quamplurimi adſtant Cœleſtes Spiritus feſtive plaudentes, diemque iſtum ſolemnem veluti celebrantes. Videtur quidem hæc pictura ad Maloſſi ingenium, & excellentiam accedere, ſed ab Chriſtophoro Auguſta in illuſtri, cui Caſale Majus eſt nomen, Civitate nato eſt confecta. (3) Eodem hic, quo Maloſſus, Bernardino Campo inſtitutore cum eſſet uſus; eundemque in condiſcipulatu æmulatus, ita profecit, ut non modo Collegam æquaſſet, ſed, ut aliqui opinantur, ſuperaſſet etiam, niſi immature nimis deceſſiſſet. (4) Ad poſtremum hujus lateris Sacellum ut eſt perventum, nemo eſt, quem Sacratiſſimæ Virginis in Cœlos aſſumptio a Bernardino Campo depicta non retineat, delectetque majorem in modum. Junctis Deiparam manibus, luciditſſimæque nubeculæ inſiſtentem ſuſtinent An-

(1) *Sacellum extructum eſt a Nicolao Cambiago anno 1477. Pictum a Joanne Baptiſta Maloſſo anno 1574. Paſſerinus ibidem n. 35.*

(2) *Sacellum erectum a Bardellone Mariano anno 1470. Reſtauratum a Patribus, ab eodemque Auctore depictum anno 1599. Paſſerinus ibidem n. 36.*

(3) *Sacellum ædificatum eſt a Maffeo Moro anno 1429., inſtauratum a Patribus, ab Auguſta depictum anno 1599. Idem Paſſerinus n. 36.*

(4) *Paſſerinus ibidem, & Memor. MS. Conv. c. 3. pag. 22.*

Angeli bini, ac ſurſum evehunt, innumeris aliis eam comitantibus, & officii, obſervantiæque cauſſa ſtipantibus. (1) Tabulam hujus omnino ſimilem pinxit Bernardinus in ſacris Ædibus Capuccinorum agri Sabulonetenſis, Veſpaſiani Gonzagæ juſſu, quam Princeps, qui hoc ſtudii genere delectabatur quam maxime, ita, quoad vixit, probavit, ut nil habere videretur ea imagine carius. (2)

CAPUT QUINTUM.

Frons Templi interior, quæ aram maximam proſpicit, & primum, quod in adverſo latere occurrit, Sacellum brevi exponuntur.

DExtero Templi latere excurſo ad ſiniſtrum, quod in meridiem ſpectat, viæque adjacet regiæ, per alam majorem fit tranſitus. Hujus alæ frons, quæ aram maximam reſpicit, a portæ majoris epiſtylio ad magnam uſque coronæ projecturam, ingenti, excellentique pictura contegitur a Joſepho Pamphilo, ut alibi eſt dictum, elaborata. (3) Miro ſane artis conatu in ea tabula exprimitur inſigne prodigium, quo Romæ Beatus Dominicus Napoleonem Cardinalis Stephani a Foſſa-Nova nepotem equo dejectum, interfectumque ad vi-

 tam

(1) *Sacellum extructum a Patribus, dotatum a Camillo, & Pamphilo Golpheramis anno 1566., eorumque ſumptibus pictum anno 1568. Memor. MS. Conv. c. 3. pag. 23.*

(2) *Antonius Maria Pannius Hiſtor. Pictur. Cremonen. pag 76.*

(3) *Anno 1671. ſumptibus Antonii Mariæ Berguntii hujus Conventus alumni. Ita Petrus Maria Barbovius in Addit. ad Hiſtor. MS. Paſſerini ad ann. 1671.*

tam revocavit. Multæ ibi ſunt figuræ pereleganter expreſſæ. Sed quod eſt viſu pulcherrimum, varii ſunt Romanorum Ædificiorum circumquaque aſſurgentium ad majorem, minoremve diſtantiam, altitudinemque proſpectus gradatione luminis tanta, ut quantumvis defixos fallant obtutus. Ulnarum eſt longitudo hujus tabulæ quatuordecim, & ſemis, undecim & ſemis altitudo. Conſtitit opus totum Antonio Mariæ Berguntio hujus familiæ alumno nummis aureis centum. Inter majores, & minores portas, earumque cancellos viſuntur Beati Viri Cremonenſes Moneta, & Rolandus egregie ab eodem Pamphilo, ejuſdemque Berguntii ſumptibus picti. His viſis in ſiniſtro Templi latere Sacella totidem, quot in dextero examinavimus, perluſtranda ſuperſunt. Hæc in viam regiam, cui adjacent, protenduntur multo longius, quam quæ primum Cœnobii periſtylium contingunt; quorum ne major protractio fiat, ob quadratam periſtylii ſtructuram prohibetur. In latitudinem patent omnia pedum trium, & viginti, in longitudinem octo, & triginta. Primo hujus lateris Sacello, quod eſt permagnificum, picturis ornando quatuor egregiam operam dedere Pictores, fueruntque Julius Campus, & Angelus Maſſarottus Cremonenſes, Carolus Preda Mediolanenſis, & Joſeph Natalis eodem, quo Chriſtophorus Auguſta, Oppido natus. Sacellum eſt Catharinæ Virgini, & Martyri Sacrum. Quæ ſupra ejus aram apparent imagines Catharinæ dextrorſum, & Joannis Baptiſtæ ſiniſtrorſum Chriſto Cruci affixo militem ſiſten-

ſiſtentis, inter eximia Julii Campi opera cenſentur. (1) Super hanc tabulam in media architectura excellenti, fulgidiſſimaque luce conſpicitur Deipara una cum Virgine, cui eſt ara dicata, atque hæc iterum in ſummo Sacelli tholo mirifice nitenti Angelorum gloria circumfluens. Hæc ſunt a Carolo Preda Mediolanenſi coloribus aqua dilutis efficta ſic, ut vel ex hoc opere hic vir inter præſtantiſſimos artifices, qui udo ſolent tectorio colores inducere, ſit numerandus. Sacelli, ejuſque teſtudinis architectura graphica omnis Joſephi Natalis eſt opus illuſtre. (2) Tanto uſus eſt in ea delineanda artificio, ut non tam architectura Sacello, quam hoc architecturæ natum accommodatumque videatur. Sunt præterea in ejus ædiculæ lateribus appenſæ tabulæ duæ ſubactis oleo coloribus pictæ, magnæ porro venuſtatis, & pretii. Alexandrinam una exhibet Virginem coram Maximino tyranno intrepide adſtantem, & cum accerſitis undique Philoſophis Ethnicis, qui convictam ab Chriſti fide ad idolorum cultum perducerent, diſputantem. Omnia quidem ad vivum reddita. Sed mihi inter cætera mirabiles ſemper viſi ſunt ſenes illi capulares, qui magna ſecum lata volumina ſemel, iterumque verſantes, cum ſe denique ab imbelli puella victos, ac turpiter expugnatos

(1) *Petrus Maria Paſſerinus lib: 2 n 41., & Memorial. Conv. c 3. pag. 24. ex quibus conſtat; Sacellum hoc a Madalbertis inceptum, infecta re fuiſſe a Jo: Antonio Madalberto Patribus relictum anno 1472. Deinde Michaeli Perſico comit. conceſſum, ab ejuſq; hæredibus partim, partim a Patribus abſolutum anno 1518. Pictura illa ære Broccardi Perſici, reliqua Cœnobii ſumptibus confecta.*

(2) *Antonius Maria Pannius Hiſtor. Pictur. Cremonen. pag. 74. ad ann. 1694. Item Memor. MS. Conv. c. 3. pag. 25. ad eundem annum.*

tos agnoſcant, cogitabundi animo concidunt, conſternatique dant manus. Hæc ſunt pariter a Carolo Preda, quem memoravimus, confecta, qui pingendi arte eo uſque valebat, ut vel ipſas animorum cogitationes, perturbationeſque aperire noſſet egregie. (1) Altera, quæ ejuſdem artificis eſt, Catharinam iterum exprimit Deo Optimo Maximo gratias agentem, quod rotam crebris, acutiſque præfixam gladiis ſibi paratam improviſo confregerit. Sed illud eſt ſingulare, quod extra Sacellum in fornice eidem reſpondente, atque ad alam uſque Templi majorem extenſo ſuſpicitur. In angulis ejus concamerationis quatuor ſunt nudi homines totidem ſuperimpoſitum veluti pondus ſuſtinentes ab Angelo Maſſerotto ita picti, ut eos fere proſpexerit nemo, qui ſtatuas eſſe opere albario conficta, medioque ſui corpore prominentes inſenſibili quadam deceptione non affirmarit. Extincta nobiliſſima Perſicorum familia, cui fuerat a Noſtris Sacellum hocce conceſſum, (2) in eo picturis hujuſmodi, aurique inductione exornando nummi a Patribus argentei inſumpti ſunt ſeptingenti. (3)

CA-

(1) *Idem Pannius pag. 75., & Memor. ibidem I*
(2) *Anno 1472. Ita Petrus Maria Paſſerinus Hiſtor. Conv. lib. 2. n. 44.*
(3) *Memorial. Conv. c. 3. pag. 25.*

CAPUT SEXTUM.

Reliqua, quæ in hoc Templi latere elegantius ſunt picta, referuntur.

HUic proximum eſt Sacellum Sanctæ Cruci, ac Petro Martyri Sacrum. (1) Ad aram qui Chriſti Servatoris imaginem de Cruce pendentis, Beatumque Martyrem eo coram adſtantem inſpexerit, continere ſe minime poterit, quin piis animi ſenſibus commotum ſe intime ſentiat. Alii Campum Antonium hujus operis auctorem, alii Maloſſum veriſimilius eſſe opinantur. (2) In ea Ædicula ornanda Uberti etiam Longi Bruxellenſis præſtantia, qui multos annos hic eſt commoratus, enituit. Nam quod inter opera albaria intereſt ſpatii, id totum & majoribus, minoribuſq; tabulis pictis, & imaginibus udo tectorio ſuper inductis inſigniora Petri Martyris facta referentibus illuſtravit. (3) Sunt etiam inter coronam, & abſidem picturæ perelegantes Aloyſio Miraderio, vulgo Genuenſi tributæ. (4) Poſt hæc finitimum occurrit teſtugineatum ædificium Deiparæ Virginis Roſario conſecratum. (5) Hujus ante ingreſ-

(1) *Erectum fuit a Bartholomæo Salerno anno 1519. conceſſum ſæculo proxime elapſo S. Officii Familiaribus, & Cruce Inſignitis ad uſum.*

(2) *Antonius Pannius, Campum Antonium, Paſſerinus Maloſſum ejus imaginis auctorem eſſe opinantur.*

(3) *Petrus Maria Barbovius ad annum 1679. & Memor. c. 3. pag. 26.*

(4) *Memor. Conv. c. 3. pag. 26.*

(5) *Roſarii Sacellum erectum fuit ab Alberto Allegro anno 1495: deinde a Patribus ejuſdem Roſarii Sodalitati ad uſum conceſſum. Ibidem pag. 27., & Paſſerinus lib. 2. n. 46.*

Digitized by Google

greſſum hiſtoriæ pictæ ſunt quatuor ad vitam, & res geſtas ejuſdem Virginis pertinentes. Ad vivum exprimit una ſacra ejus cum Joſepho Sponſalia. Reliquæ injuria temporum ſunt prope deletæ. Atque hæc Lucæ Cattapani Cremonenſi, qui alia multa non vulgaria confecit, adſcribuntur. (1) Illud vero præcipue delectat intuentium oculos, quod Maloſſus in magnifico Sacelli tholo coloribus aqua dilutis mira arte confinxit. (2) Beatorum eo in loco ſuſpicitur ſedes, atque in media innumerabilium Angelorum multitudine Deus Trinus Sanctiſſimam Virginem in Cœlos aſſumptam feſtive veluti expectans. Tanta eſt pro ratione diſtantiæ colorum, figurarumque proportio, rerumque omnium oculo objectarum gradatio, ut multo majorem eſſe, quam reipſa ſit, teſtudinis altitudinem dixeris. In criſtis quatuor, quæ arcubus apte reſpondent, ſunt Angeli totidem ab eodem Maloſſo adumbrati, atque ab Hermenegildo ejus diſcipulo picti. (3) In his perficiendis Magiſtri ſui mentem Hermenegildus ita eſt aſſecutus, ut cui tribuendi ſint, dignoſci vix poſſit, ac ne vix quidem. Sub arcu, qui partem teſtudinis ſuſtinet, omnemque aram complectitur, ſunt multi egregia forma pueri a Lucca Cattapane coloribus aqua ſubactis expreſſi, quibus nil fingi poteſt elegantius, nilque modeſtius. (4) Sunt præterea ſub arcubus dextero

ac

(1) *Antonius Maria Pannius Hiſtor. Pictur. Cremon. pag.* 70., & *Paſſerinus loc. cit.*

(2) *Ibidem.*

(3)

(4) *Antonius Pannius pag.* 72., & *Paſſerinus loco citato.*

ac ſiniſtro lunulæ duæ a Pamphilo Nuvolone, & Julio Cæſare Procaccino picturis intectæ. (1) Quæ a Pamphilo eſt picta, cœleſtem exhibet nuncium, quo Virgo monetur, ad beatam immortalitatem ſe quam proxime tranſituram. Quæ a celebri Procaccino, ipſum exprimit tranſitum, quem qui paullo attentius inſpexerit, haud dubie habebit prodigii loco. In ea cernitur, quæ humano generi vitam peperit, in lectulo recubans Virgo ea frontis ſerenitate, dignitateque totius oris, & corporis, ut non tam brevi moritura, quam æternum regnatura videatur. Eam venerabundi ſimul, ac mærentes circumſtant Apoſtoli, intimumque doloris ſenſum ex imminenti Magiſtræ, ac Reginæ ſuæ jactura conceptum, variis quidem modis, ac geſtibus, ſed idem ſignificantibus, ita præſeferunt, ut quoties in eam lunulam oculos conjicio, jam mihi videar non modo Virgini adeſſe morienti, ſed communis Apoſtolorum mæſtitiæ ſocius, & particeps. Sunt denique in magnis hujus ſacelli lateribus tabulæ duæ peramplæ, quarum quæ cœlorum Reginam refert Roſaria Beato Dominico porrigentem, ipſumque Dominicum eadem Regibus, Ducibus, aliiſque principibus viris diſtribuentem, Alexandri Thiarini Bononienſis abſolutum eſt opus. (2) Altera, qua ingens deſcribitur clades a Simone Monfortienſi Albigenſium Hæreticorum copiis ſub Roſarii auſpiciis illata, Joannem Baptiſtam Creſpium, vulgo Ceramum ab oppido

(1) *Ibidem*.
(2) *Memorial. c. 3. pag. 29. & Pamuius pag. 73.*

oppido, quo natus eſt, dictum agnoſcit auctorem. (1) Aliqua in ea ſunt primis, ut ajunt, lineis a Ceramo eximio viro deſignata, ſed morte intercipiente nondum plene confecta. His omnibus accedit elegans admodum, ſuiſque numeris abſoluta Virginis, divinique Infantis ab ejus collo pendentis effigies una cum Beatorum Virorum Dominici, ac Pii V. imaginibus, quæ in ara ipſa adorantur, & Camillo Procaccino Julii Cæſari fratri natu minori tribuuntur. (2) Ædem S. Roſæ Limenſi, & quæ hanc proxime inſequitur, Vincentio Ferrerio dicatam ſatis alio jam loco deſcripſimus. (3) Quæ Sanctiſſimo Jeſu nomini eſt ſacra, inſignis eſt Joannis Baptiſtæ Maloſſi tabulà pictà. Exprimit hæc diem feſtum, quo fuit Infanti ex Virgine nato Jeſu nomen impoſitum, actionemque ipſam ſolemnem, qua fuit Infans ritu Moſaico circumciſus. Id vero tam ſcite, tam apte, viviſque adeo coloribus, ut videatur multo recentior, quam quæ noviſſimis hiſce temporibus ibidem ſunt picta, ſacelli perficiendi, ornandique cauſſa.

CAPUT SEPTIMUM.

Quod in hac Templi parte ad aram uſque maximam ſupereſt, declaratur.

Hiſce perluſtratis, ad Templi Crucem, unde diſceſſimus, reverſi ſumus. Supra oſtium Templi, quo ab

(1) *Paſſerinus, & Pannius locis laudatis.*
(2) *Ibidem.*
(3) *vide quæ docuimus ad annum* 1672. 1742. 1744.

ab hoc latere in viam regiam eſt exitus, cerneres Virginem Matrem Filiolum ſuum ſubmiſſis genibus adorantem, tum Antonium Abbatem, alioſque Sanctos Viros quos opere quidem antiquo, ſed plurimi faciendo Thomas Alenus, vulgo Fadinus in tabella lignea conformavit. (1) Hanc ſupra tabellam emicat ingens pictura æqualis, ac quæ in adverſo Crucis latere proſpicitur, amplitudinis. Illa, ut ſupra demonſtravimus, Jacobi Ferrarii, hæc Joannis Baptiſtæ Natalis eſt opus. (2) Oculos porro recreat, rapitque intuentium inſigne, quod in ea conſpicitur, patratum a Beato Dominico prodigium. In amplo, magnificiſque undique Ædificiis inſtructo foro, quo ingens Catholicorum, Hæreticorumque multitudo convenerat, accenſa ſuſpicitur pyra veritatem, quæ ab homine Apoſtolico prædicabatur, probatura. Hæreticorum itaque volumine cum ſuis deliramentis ea flamma conſumpto, injectum vides in ignem Beati Viri libellum, quo Catholica Dogmata continebantur, illæſum prorſus, & victorem evadere. Rara eſt in ea tabula exquiſitæ architecturæ præſtantia, miraque Albigenſium ex eo prodigio ſuborta perturbatio. Ad oſtii latera duo ſunt Altaria duobus e regione poſitis æqualia. Luciæ Virgini, & Martyri unum, alterum eſt Michaeli Archangelo Sacrum. (3) Nil habet illud ſingulari commemora-

(1) *Anno 1515. teſte Antonio Pannio pag. 69:*

(2) *Picta eſt ea tabula anno 1667., conſtititque Patribus nummis argenteis 108. Memorial. Conv. c. 3. pag. 35.*

P[illegible] ectum fuit anno 1590. ſumptibus familiæ Argentæ, alterum anno 1545 a Taddeo Oldovino, deinde utrumque a Patribus ornatum. Memor. c. 3, pag. 33. 34.

moratione dignum. Hoc perilluſtri ornatum eſt tabula a Camillo Boccacino Boccacii filio picta. (1) Divinum hæc refert Infantulum, qui S. Vincentio Ferrerio, cujus humero columba inſidet, adorandus a Virgine Matre, deoſculanduſque porrigitur. Sed & Michael Archangelus, cujus nomine hæc ara celebratur, adſtat ſagitta armatus, videturque ſubjectum draconem jam velle tranſfigere. Aptiſſimæ ſunt imagines iſtæ, atque optima colorum ſolutione, inductioneque pulcherrimæ. Huc proxime accedunt poſtrema Sacella duo Thomæ Aquinati, Sanctiſſimoque Parenti Dominico dicata, ſpectantque ambo in orientem Solem. (2) Nil dicam de operibus, albariis, deque auro puriſſimo, quo Patrum impenſis eſt utrumque fere totum obductum: nam hujus generis ornamenta, uti hactenus animadverſum eſt, ſunt Templi partibus pleriſque communia. Sed eſt ſingulare, viſuq; dignum Maloſſi opus Thomæ Aquinatis effigies Chriſtum de Cruce pendentem inter Apoſtolos Petrum, & Paullum orantis. Neque vulgaris eſt S. Dominici imago ab Angelis in Cœlum evecti, quam in ejus Sacelli laquearibus Ubertus Longus Flander, cujus alio loco meminimus, pinxit. (3) In erigendis hic auctor ad perpendiculum in ipſa Ædificiorum cameratione figuris videtur enituiſſe quam maxime. Perinſignis eſt denique tabula illa, quæ cernitur parieti appenſa his Sacellis ad

verſo,

(1) *Paſſerinus lib. 2. n. 60., & Pannius pag. 69.*

(2) *Sacellum S. Thomæ antiquiſſimum, erectumque anno 1398. a Venturino Summo. Ornatum, & auctum a Patribus anno 1674., & 1675. Ita Memor. Conv. c. 3. pag. 35. Sacellum S. Dominici erectum a Patribus anno 1444. & ab iiſdem ornatum. Ibidem.*

(3) *Memor. Conv. c. 3. pag. 36. Sumptibus Cypriani Minuti hujus Conv. alumni.*

verſo, Chriſtum oculis ſubjicit demortuum, & humi partim jacentem, columnæ partim adhærentem marmoreæ, ejuſdemque Matrem eo lacrymabili adſpectu triſtiſſimam, afflictiſſimamque. Picturam hanc a Bernardo Gatto, vulgo Soliaro, confectam cenſent nonnulli,(1) non modo nil ei cedere, quæ in Templo majori obſervatur Licinio Pordenonenſi tributa, ſed exquiſita colorum inductione, ac figurarum nativa quadam mollitudine anteire. Eo ſemper hæc tabula eſt habita in pretio, ut ejus exempla in varias Italiæ, Europæque partes propagata ſint plurima. Horum unum ad Deſiderium Scaliam Cardinalem, qui hoc etiam ſtudii genere delectabatur, Romam a Patribus eſt miſſum. (2) In ipſa vero Philippi IV. Hiſpaniarum Regis pinacotheca Julius Mercorus ad eum Regem legatus aliud ſimile exemplar ſe vidiſſe teſtatur. (3) Atque hæc quidem de inſignioribus Templi noſtri picturis dicta ſunt ſatis.

CAPUT OCTAVUM.

Nonnullæ aliæ ad domum hanc pertinentes imagines pictæ, quæ non ſunt ſemper in omnium conſpectu, recenſentur.

ORdo rerum, & loci nos monet, ut viſo Templo, ejus etiam Sacrarium, quod eſt Templi veluti promptuarium quoddam, introſpiciamus. Nil dicam de hujus ædificii antiquitate, nam eſt Cœnobii, Templique

(1) *Antonius Maria Pannus pag. 67., & 68.*
(2) *Paſſerinus lib. 2. n. 55., & Memor. Conv. c. 3. pag. 38.*
(3) *Petrus Maria Barbovius in Addit. ad annum 1660.*

que primordiis æquale. (1) Nil de vaſis argenteis, de veſtibus, deque omni varii generis ſupellectile, qua fuit a noſtris per omnem ætatem auctum, atque ad majorem Dei cultum, honeſtatemque loci exornatum, de his enim cum multa jam dicta ſunt, tum alia, ut res tulerit, dicentur. Nunc vero de ſacris imaginibus. Eſt igitur in hoc ſacrario ad orientem ſacellum a Benedino, & Joanne Franciſci Granelli nepotibus, ut ſupra demonſtravimus, exſtructum, Sanctiſque deinde Innocentibus pueris Herodis juſſu interfectis dicatum. Erat olim huic altari appenſa tabella picta, quæ barbaram horum puerorum cædem inelegamter admodum, & modeſte minus, quam loci dignitas pateretur, referebat. Poſterioribus ſæculis de alia decentiore, nobilioreque tabula pingenda actum eſt a Patribus, totumque negotium Joanni Baptiſtæ Tortirolio Cremonenſi demandatum. (2) Rem Tortirolius perelegan- ter confecit, multamque inde laudem eſt conſecutus. (3) Sed inter res pretii maximi, quæ hoc in loco aſſervantur, & raro admodum prodeunt, eſt celeberrima S. Catharinæ Senenſis effigies chryſtallo protecta, quæ tanto eſt Innocentum Martyrum imagine excellentior, quanto a Raphaele Urbinate, vel ab Antonio Allegro Corregienſi Tortirolius antecellitur. Horum enim præſtantiſſimorum Pictorum alterutri a pleriſque certe ſolet adſcribi. Quiſquis tamen hujus imaginis

(1) *Paſſerinus lib. 2. n. 70.*

(2) *Anno 1637. Julio Zacharia Cremonenſi Cœnobii Præfecto. Paſſerinus lib. 2. n. 75.*

(3) *Ibidem. Item. Memor. Conv. c. 6. pag. 43.*

imaginis auctor fuerit, is profecto reliquit opus totius poſteritatis admiratione dignum. Nam, ut cætera ſileamus, quæ dicendo aſſequi non poſſumus, ita pictor doloris ſenſum a corona ſpinea transfigente excitatum cum cæleſti quodam gaudio ex amore, imitationeque Chriſti concepto in ferventiſſimæ illius Virginis ore conjunxit, ut, an natura, cum virgo ipſa viveret, id melius expreſſerit, dubitare jure meritoque poſſis. Cadentes vero lacrymulas quis non abſtergeret ratus e vivo Virginis oculo expreſſas? Fuiſſe hanc tabellam ab æquiſſimis, ſolertiſſimiſque picturarum æſtimatoribus ſummo ſemper in pretio habitam inter multa hoc eſto teſtimonium. Joſephus Lichtenſtennius Oppavienſium Princeps, ac belli adverſus Gallos, & Hiſpanos Imperator deſignatus Cremona cum pertranſiſſet, (1) fuiſſetque hic aliquot dies moratus, ut erat harum quoque rerum peritiſſimus inter cæteras Cremonenſium picturas, inviſere hanc potiſſimum voluit. Cui cum ab Amadeo Cattaneo venerabili ſene (2) diligentiſſimoque æditvo fuiſſet oſtenſa, eamque clariſſimus vir attente admodum conſideraſſet, auctoris excellentiam uſque ad prodigium miratus, tantæque rei habendæ deſiderio captus, *dabo*, inquit, *ſi hanc mihi tabellam vendideris, quantumcumque abs me petendum duxeris; tibique polliceor, id me nihilominus habiturum magni in me collati beneficii loco*. Volebatque jam ſtatim quot capere ea tabula nummos aureos

I poſſet,

(1) *Anno* 1747.

(2) *F. Amadeus Cattaneus fere nonagenarius, qui hanc mihi hiſtoriam narravit non ſemel, ſed ſæpius.*

poſſet tantundem æditui numerare. Cui cum modeſte reſpondiſſet ædituus, ſi ſua id fieri voluntate potuiſſet, nulla opus fore pecunia: cæterum neminem habere ad eam emptionem auri, atque argenti ſatis; *curam igitur*, inquit Imperator, *hujus imaginis habeto quam maximam, nilque Tibi, nil Patribus hoc theſauro ſervando ſit potius*. Percunctatuſque ſenem, unde hæc Cœnobio fortuna obveniſſet, cognovit, Philippum IV. Hiſpaniarum Regem eam Julio Mercoro Tabellam dono dediſſe, cum hic magnus Vir ad eum Principem legati munere fungeretur. (1) Quæ in ſingulis Sacrarii lunulis exhibentur illuſtriora veteris, & novi Teſtamenti facta, non ſunt cum tabulis, quas hactenus memoravimus, comparanda. Aliæ tamen ſunt imagines pictæ ob excellentiam quandam in interiore Cœnobio viſendæ. Nam ut eam prætermittamus, quæ in magno extat oeco, multitudinemque exprimit Hæbreorum manna in ſolitudine colligentium (de hac enim dictum alibi eſt ſatis,) nonnullæ ſunt in præfectorum conclavi ad parietes appenſæ Chriſti Servatoris ad montem Golgotam tracti, & Joannis Baptiſtæ, & Hieronymi Doctoris Maximi, & Pii V., & Thomæ Aquinatis, & aliæ harum ſimiles, quas qui viderit, perituſque artis pingendi fuerit, non eſt dubium, quin eas facturus ſit plurimi. Itaque non immerito domus hæc a prætereuntibus principibus Viris & frequenter inviſitur, & multis laudibus celebratur. Atque hæc habui-

(1) *Teſtatur Amadeus Cattaneus id ſe a majoribus accepiſſe, nominatimque a Simone Converſo Julii Mercori in Hiſpanica Legatione Socio. Item Memor. Conv. c. 6. pag. 44.*

habuimus, quæ de inſignioribus Dominicanorum Cremonenſium picturis ſcriberemus. Nam ſi quæ ſunt aliæ (ſunt autem plurimæ) non ita ab hujuſmodi rerum ſtudioſis probantur, ut ſingulatim de iis dicere ſit neceſſe.

PARS ALTERA

De vita, & rebus geſtis Illuſtrium Virorum, qui ex Cænobio Cremonenſi Ordinis Prædicatorum Prodierunt.

Lectori Candido.

ERunt fortaſſe, qui valde mirentur, ecquid mihi in ampliſſimo Dominicanæ rei publicæ campo de Viris Illuſtribus, qui anguſtiſſimis unius tantum Cœnobii finibus concluduntur, ſcribere in mentem venerit. Hos ego, ſi qui ſunt, primum moneo, ne de alienis negotiis tantopere laborent. Deinde reſpondeo, permiſſis, quæ unius Cœnobii finguntur, anguſtiis, brevi hoc commentario id a me tantumodo fuiſſe ſuſceptum, quod virium mearum tenuitas ferret. Sentio enim quo ſim ſtomacho inſtructus: qui nempe certam cibi quantitatem concoquere quidem poſſit, majorem non poſſit. Cæterum hujus, illiuſve privatæ familiæ hiſtoriam contexere levius eſſe, quam ut ſcriptorem, lectoremve diſtinere, occupareque totum debeat, ſi qui exiſtimaverint, hi erunt fere, qui hoc ſcribendi genus

 non

non tam ex magnitudine rerum, quam ex mole, multitudineque librorum metiuntur. Levitatis ne inſimulandus Titus Pomponius Atticus, quod Marci Bruti rogatu Juniam Familiam, Marcelli Claudii Marcellorum, Scipionis Cornelii, & Fabij Maximi Corneliorum, & Fabiorum a ſtirpe ad ſuam uſque ætatem ſeparatis in libris expoſuerit? Dederunt hæ quidem Romanæ Reipublicæ magnos Viros, qui armis, qui litteris, qui magiſtratibus, qui omni officiorum genere cum ſe ipſos, domoſque ſuas, tum Patriam, remque publicam univerſam illuſtrarunt, auxeruntq;. Non diſſentio. Sed numquid non etiam poterunt ex una Sacri alicujus Inſtituti domo prodiiſſe Viri, habita, quæ par eſt, proportione quadam, cum iis conferendi? Hanc qualemcunque illuſtrium Virorum ſeriem qui legerint, non invenient hi quidem, qui in aciebus inſtituendis, explicandiſque dexteritate, in equitatu conſtituendo, adminiſtrandoque ſolertia, in arcibus communiendis ſtudio, oppugnandis contentione, propugnandis diligentia præſtiterint: non enim hæ ſunt, aliæque hujus generis divino cultui addictorum hominum partes. Sed cum animadverterint, vel ex hac una Dominicanorum Cremonenſium Familia a prima origine ad hæc uſque tempora propagatos continenter fuiſſe, qui non rem tantum litterariam editis in omni fere ſcientiarum genere voluminibus auxerint; ſed qui Urbes, ſed qui Provincias ære oppreſſas alieno ſuis ad Reges, & Principes Legationibus juverint; qui numquam a fide Catholicorum ſtrenue propugnanda ceſſarint; & ſolertiſſimos Provinciarum Præfectos,

uni-

Digitized by Google

univerſique Ordinis Moderatores , & Vigilantiſſimos Epiſcopos , & Cardinales ampliſſimos , &, quod caput eſt omnium , qui magna virtutum, & eximiæ probitatis opinione deceſſerint , ii porro non admirabuntur, nos hiſce rebus exponendis ſi minus eleganter, ac ſplendide, at certe, quoad fieri potuit, ſincere, atque accurate operam dediſſe, aliorumque Hiſtoricorum morem ſuiſſe ſecutos. Monitum hic tamen Lectorem humaniſſimum volumus , ne quid a nobis expectet , quod plane mirificum ſit, & nunquam poſt homines natos auditum. Quid enim tam ſancte, tamque egregie ab uno homine geſtum , quod ab alio fieri pari felicitate , Deo juvante, non poſſit? Numquid ſub ſole quidquam inuſitatum prorſus, & novum accidit unquam? Id ſi dixerimus, Spiritui Sancto mentiemur. Dicam itaque res laudabiles admodum, & honeſtas, &, niſi meus me fallit amor, omnino dignas, quæ ad imitandum proponantur : quod meum plane conſilium fuit, totiuſque ſuſcepti operis ratio. Dicam res domeſticas quidem, ſed non propterea falſas; multoque minus arbitrio, (quod Superi avertant) aut partium ſtudio confictas. Si qui id faciunt, quod temere utique facerent, hi viderint, ne nimio ſuarum rerum amore capti ſe, ſuaque omnia in magnam apud lectores ſuſpicionem conjiciant, ſibique denique, detecta fraude, omnem fidem derogent, etiam cum vera aliquando prædicaverint. Ego certe nil proferam, quod aut graviorum, antiquiorumque Scriptorum non fuerit auctoritate probatum, aut quod in tam recenti, præſentique memoria non ſit, ut remotis egeat monumentis;

Digitized by Google

aut teſtibus confirmari. Id unum vereor, ne de viris non paucis ejuſdem omnino inſtituti dicturus, propter rerum ſimilitudinem, ſatietatem afferam legentibus, qui novitate, varietateque plurimum delectantur. Fateor, id mihi multo moleſtius fuiſſe in ſcribendo, quam cuiquam in legendo futurum ſit. Curavi tamen, ut ſimillima quidem, & crebra, ſed non propterea tacenda diſſimili quadam ratione, quantum per me licuit, exponerentur; fieretque tali modo ſatis & hiſtoriæ integritati, & palato lectorum. Illud denique intelligant, qui hæc legerint, velim, ita me decretis Urbani VIII., aliorumque Summorum Pontificum adhærere, ut ſi quæ de clariſſimis Viris in hoc commentario narrentur, quæ vim, & conditionem naturæ ullo modo videantur excedere, his fidem, cujuſmodi adhiberi privatis Hiſtoricis ſolet, non humana majorem expoſcam.

ROLANDUS.

II. ROLANDUS Cœnobii Cremonenſis Ordinis Prædicatorum non tam alumnus, aut filius, quam inſtitutor, & parens, Cremonæ, quæ eſt periluſtris Cœnomanorum Civitas, natus. De ejus origine non ſatis conſtat. Mihi autem cum iis convenit, qui ſin minus nobili, at honeſtiſſimo ſaltem genere ortum opinantur. (1) In ea enim incidit tempora, quibus Bononienſis Academia florebat quam maxime, ad eamque fiebat ſelectæ

(1) *Stephanus de Salanachò p. 3. titul. Viri Illuſtres. Bernardus Guidonus Catalog. Scriptorum, aliiq.*

lectæ juventutis frequentiſſimus ex univerſo fere orbe concurſus. Bononiam itaque ſtudiorum cauſſa miſſus eſt a parentibus Rolandus. Atque, ut erat magna ingenii vi, incredibilique memoria, breviſſime ita profecit, ut nemo æqualium ſuorum magis. Sed pleroſque ætatis ſuæ juvenes in rebus præcipue philoſophicis aſſequendis, riteque pertractandis longe adeo ſuperavit, ut ampliſſimi, ſapientiſſimique illius Senatus conſulto (1) dignus habitus ſit, qui in eo ſtudii genere immenſæ propemodum juventuti inſtituendæ præficeretur. Præfuit autem ſumma cum laude, mira auditorum frequentia, & profectu. Erat enim cum apprime doctus, & perſpicax, tum facilis ad exponendos ſenſus ſuos, neque minus concinnus, quam eloquens, & eruditus. Ad hanc mentis excellentiam, & cultum multa animi bona acceſſerunt. Nam in tanta periculorum multitudine conſtitutus, quanta eſſe ſolet in magnis Urbibus, loco, perſonis, temporibus ſapientiſſime uſus eſt. Affabilis, comis, officioſus, idemque continens, modeſtus, & gravis admirandum in modum. Quo factum eſt, ut principes illius Civitatis, & Academiæ Viri, qui cum eo verſabantur, jam non ſolum ſperare cœperint, ſed prædicere, talem futurum, qualem poſtea cognoverunt. (2)

II. Accidit interea, ut ab amicis, quorum conſuetudine frequentius utebatur, ad nuptiale convivium fuerit

I 4 voca

(1) *Echard. tom. 1. Scriptor Ord. pag. 125. Sigonius de Epiſcop. Bononien lib. 2. pag. 105. Altamura Bibliot. Dominic. ad annum 1218. Rovetta Bibliot. Lombard. p. 3. ad annum 1224.*

(2) *Humbert. de vitis Fratrum p. 1. c. 5. §. 1. Sigonius loco cit., quibus addi poteſt Memorial. MS. Conv. S. Dominic. Cremon. c. 11. pag. 70.*

Digitized by Google

vocatus. In eum amicorum conventum cum veniſſet, diemque totam inter epulas, & pocula, aliaque hujuſmodi tripudia, uti occaſio tulerat, inſumpſiſſet, domum ad multam noctem reverſus, facti pœnitens, in ea temporis jactura, rerumque humanarum caducitate animo verſanda, deplorandaque tota nocte reliqua vigilavit. (1) Suborta erat per hoc idem tempus in Dominicanistum Bononiæ, & ubique naſcentibus vehemens adeo, ac turbulenta, Dæmone inſtigante, commotio, ut eorum nonnulli jam de tranſitu ad mitiora, antiquioraque Inſtituta ſerio cogitarent veriti, ne, quod ſuſceperant, velut res nova, nimis aſpera, & rigida, parumque firmata conſiſtere diu minime poſſet. Itaque duo natu majores ab Ugolino Legato Apoſtolico enixe petierunt, obtinueruntque litteras, quibus ab ordine, cui nomen dederant, recedere ſibi liceret, ſeque ad Ciſtercienſes Monachos conferrent. His Reginaldo Aurelianenſi Bononienſium per eos dies Dominicanorum Præfecto exhibitis, ab eodemque publice lectis, adeo ſuccrevit, incaluitque jam orta perturbatio, ut Reginaldus de grege ſibi commiſſo non tam augendo, quam firmo, incolumique ſervando deſperaret. Qua re animadverſa Clarus Sextius (nam uni eorum Fratrum hoc nomen erat) in jure civili, & canonico egregie verſatus, neque minore eloquentia, quam auctoritate, & exiſtimatione vir, nil morandum eſt arbitratus, quin ſocios adlocutione aliqua recrearet, atque a præcipiti, in quam temere corruerant, ſententia dehortaretur. Habita igitur ex tempore præclara, & ferventi

(1) *Ibidem, & quotquot de Rolando ſcripſerunt.*

venti admodum oratione dejectos, ac prope fractos eorum animos erexit, atque in propoſita, ſuſceptaque vivendi ratione confirmavit. (1) Nondum dicendi finem fecerat Clarus, cum Rolandus, qui ea integra plane nocte de negotiis humanis omnino abdicandis ſerio egerat, ſeque in locum aliquem ſeceſſurum, ubi liberius rebus operam dare divinis poſſet, in animo conſtituerat, ad Reginaldum, ejuſque Socios ſolus, & improviſus advenit, atque ad eorum pedes humillime provolutus, depoſito ſplendido, quem gerebat, ornatu, in eorum ſe adſcribi numerum enixe adeo, impatienterque flagitavit, ut Reginaldus ea novitate, ac proſpero eventu majorem in modum lætatus nil expectans, dum veſtes ad id opportunæ afferrentur, proprium ſibi caputium detraxerit, ejuſque collo, lacrymis præ lætitia proſilientibus; impoſuerit. Sacro, ut moris eſt, ære pulſato, & confluente ad pium ſpectaculum incredibili Virorum, & Mulierum multitudine tanti Viri improviſa deliberatione, & exemplo commota, omnis ſedata Fratrum perturbatio eſt, atque in ingens gaudium, animique in propoſito firmitatem converſa. (2)

III. Arctiorem hanc noſtram, excellentioremque vitæ conſuetudinem amplexatus tali modo Rolandus, mirum.

---

(1) *Præter laudatos Scriptores vide Theodoricum de Apoldia p. 3. c. 3. Leandrum Albertum lib. 5. de Vir. Illuſtr. O. P. pag. 183. edit. 1517:, Caſtilium p. 1. lib. 1. c. 37. pag. 73. edit. 1626.*

(2) *Vid. Annal. O. P. tom. 1. lib. 2. pag. 510. ad ann. 1219. ubi in eam rem confirmandam laudantur cum alii plures, tum etiam Antonius Touronus Hiſtoire Abregee des Diſcipl. de S. Dominique liv. 5. pag. 570. Taegius Chron. ampl. pag. 11.*

rum eſt, quantum virtute, ac ſapientia profecerit. Legum vel minimarum cœpit eſſe diligentiſſimus cuſtos: iiſdemque omni accuratione ſervandis facile adeo aſſueverat, ut levia omnino, quæ a ſuſcepta novi ſacri Inſtituti ratione præſcribi ſolebant, ac ſolent, viderentur homini ferventiſſimo. Nihil propterea tam arduum, tam aſperum, tamque inuſitatum, quod ad corporis ſui adflictationem, animique culturam non excogitaret in dies, & majorum ſuorum, quorum nutu regebatur, adprobatione impetrata non perficeret. Ad hæc ſtudium addidit rerum præcipue divinarum impigerrimum, ut eam inde ſibi compararet doctrinæ copiam, qua non ad hominum gloriam, auramque captandam, ſed ad vitam recte agendam, alioſque homines inſtituendos uteretur. Probe enim norat, ſe in eorum eſſe ſocietatem virorum cooptatum, quorum vitæ genus eo potiſſimum ſpectat, ut non ſibi unis inſerviant, ſed aliis etiam, reique publicæ proſint. Cœpit itaque Præfectorum ſuorum imperio Theologiam docere cum palam cujuſvis generis adoleſcentes, qui ad eum ventitabant, tum privatim ſuos & Bononiæ primum, &, ut opus eſſet, in aliis etiam Italiæ locis. (1) Idque tanta doctrinæ, atq; omnigenæ eruditionis vi, & ubertate præſtabat, ut nemo ei illa ætate anteponi, pauci pares eſſe poſſent. Nil enim in Sacris Litteris, & traditione Majorum continetur, quod ille non haberet plane perſpectum memoriæque altiſſime inſculptum. Nulla propterea tam difficilis,

tam-

(1) *Id conſtat cum ex aliis Scriptoribus, tum ex Echardio tom. 1. Scriptorum Ord. pag. 125.*

tamque implicata quæſtio inter docendum, diſputandùmve oriebatur, de qua ille diſerte, ſapienterque non diceret. Sed cum eximius Theologus, tum orator fuit eloquentiſſimus; neque ita cathedras coluit, ut in ſacros ſimul ſuggeſtus frequentiſſime non conſcenderet. Ex his conciones habuit plurimas, quibus modo ad vitia fugienda, modo ad virtutem, pietatemque ſectandam, amplificandamque, quotquot aderant, incitaret. Tanto id egit ſtudio, eruditione, facundia, tamque uberi, ac veraci auditorum fructu, ut vere dici poſſit, ad eum audiendum acceſſiſſe neminem, qui melior, atque in propoſito firmior non diſceſſerit. Erat enim in homine ſumma gravitas, magna ſuavitas oris, atque ſermonis, ut vel adſpectu ipſo gravidiſque, quibus utebatur, verbis, atque ſententiis in divinum homines amorem incenderet. (1)

IV. Hæc cum a Rolando in Italia agerentur, Jordanus Theutonicus, vir clariſſimus, & ſummus poſt Beatum Dominicum vita functum univerſæ Prædicatorum Familiæ Moderator comitia generalia Lutetiæ Pariſiorum habenda, quibus Rolandum intereſſe voluit, indixit: (2) Erat hic annus a partu Virginis milleſimus, ducenteſimus octavus, ut cenſet Jacobus Echardius, & viceſimus. (3) Relictis Cremonæ, quo biennio ante ad ponenda Inſtituti ſui fundamenta venerat, aliquot ſociis;

(1) *In vitis Fratrum p. 1. c. 5. §. 1. & ſequent: Item Memor. MS. Conv. S. Dom. Cremon. c. 11. pag. 71., & ſeq.; & atib.*

(2) *Echardius loco laudato, qui alterum multorum utitur teſtimonio Scriptorum.*

(3) *Echardius cum alii ibidem.*

ciis, qui opus perficerent, Luteriam Pariſiorum recta profectus eſt, indictiſque comitiis conſtituto tempore interſuit. His abſolutis cum tanti viri fama illuc etiam fuiſſet perlata, Ægidio Anglo Doctore Sorbonico promovente, Theologiæ Baccalaureus ab univerſa Academia Pariſienſi ſalutatur. (1) Tum Petri Lombardi ſententias, uti fieri ea ætate ſolebat, tanta ſui nominis celebritate interpretari eſt exorſus, ut paullo poſt primus e Familia noſtra in Doctorum Sorbonicorum numerum ſit cooptatus. 2) Pariſiis triennio circiter immoratus eſt, innumeroſque ibidem habuit auditores, quos inter enituit maxime Hugo de S. Charo (3), quem poſtea Innocentius IV. primum ex Ordine Prædicatorum in almum purpuratorum Patrum Collegium retulit. (4) In Toloſatibus interea, quos B. Dominicus ante luſtraverat, atque in evertendis Hereticis Albigenſibus annos ſeptem inſumpſerat, multis, ut de eo proditur, ad partes Catholicorum adductis, invaleſcere iterum, ac vires in dies capere videbatur hæc lues, huic fovendæ, confirmandæque plurimum conferentibus, qui prælio ſupererant Murelliano. Ad eam igitur omnino delendam Rolandus mittitur. Cumque annos ante octodecim jam fracta, ac prope extincta fuiſſet improborum eorum hominum

(1) *Echardius loco jam laudato.*
(2) *Chronicon. Magiſtr. Gener. Ord. c. 4 pag. 13. edit. 1690., & Scriptores cæteri.*
(3) *Echardius ibidem cum Salanacho, Bernardo Guidonis, aliiſq, quos nominat.*
(4) *Chron. Magiſtr. General. Ord. c. 6. pag. 19. ejuſdem edit. Cavallerius tom. 1 pag. 23 n. 50.*

num vis, & protervia ad Murellum Simone Montfortio Catholicarum copiarum duce, (1) non opus illi erat armis ad dimicandum. Satis itaque duxit, eam Theologiæ partem publice tradere, quæ ad eorum ſophiſmata diluenda, erroreſque convellendos opportunior videretur. Horum ergo Magiſtros, & Proceres cœpit Toloſæ vir ſtrenuus omni argumentorum genere, omnique ingenii conatu adoriri, his in publicas concertationes ſæpiſſime adductis, ſemperque victis. Sed illud eſt perilluſtre, quod a Guillelmo Pelhiſſo de Rolando Toloſæ commorante traditum accepimus. (2) Fato ceſſerat in Suburbio Joannes Petrus Donatus S. Saturnini Canonicus hæreſi, quam nunquam ejuraverat, infectus, ſepultuſque, Collegis id ignorantibus, in clauſtro cum ſuperpelliceo fuerat. Ea re cognita Rolandus cum aliquot Fratribus, & Clericis illuc venit, extumulatumque hominis cadaver ad ignem trahi, comburique more eorum temporum juſſit. Pari modo in corpus cujuſdam Galvanni, magni Vvaldenſium Archimandritæ, quod in Cemeterio Villæ novæ humatum fuerat, animadvertit.

V. Rebus apud Toloſates ita confectis, in Italiam rediit anno, ut veriſimilius opinatur Echardius (3) milleſimo ducenteſimo triceſimo tertio; ſtatimque a Gregorio IX. Romano Pontifice Placentiæ, aliiſque circumjacentibus oppidis datus eſt fidei Quæſitor menſe Octobri quo

(1) *Antonius Touronus in Vita S. Dominici c. 21:*

(2) *F. Guillelmus Pelhiſſus de Toloſa O. P. Rolando æqualis in ſuo Libello de initiis Ord in Francia, ac præſertim Toloſæ ad annum 1231.*

(3) *Echardius tom. 1: pag. 125., & ſeq. cum aliis a ſe laudatis.*

quo in munere Petro Veroneuſi, qui poſt annos aliquot martyr occubuit, peæivit. (1) Ejuſdem Gregorii Pontificis Maximi hortatu, & auctoritate adverſus Ezelinum ſævientem tyrannum, alioſque hujus generis fidei, & Eccleſiæ perturbatores qua voce, qua ſcriptis, qua etiam Romanis cenſuris ſe geſſit invicte. (2) Accidit vero, ut, cum in foro templi maximi Placentini ad immenſam fere populi multitudinem, quæ templo capi non poterat, concionem haberet, atque ad deteſtanda Hæreticorum deliramenta ingenti argumentorum copia, & efficacitate hortaretur, ob eamque rem in magnam veniſſet adverſariorum invidiam, hi turmatim in eum adhuc loquentem irruerint, e ſuggeſtu dejecerint, graviterque ita percuſſerint, ut divino ſuperſtes prodigio univerſim habitus ſit. (3) Sed tanti pœnam facinoris homines nefarii effugere minime potuerunt. Nam juſſu Vicedomini Placentinorum Epiſcopi, capti ſunt, in carcerem truſi, ejuſdemque Antiſtitis mandato, & Rolandi opera Romam ad Pontificem miſſi. (4)

VI. Non propterea ab inſectandis Hæreticis, praviſque hominibus deſtitit unquam, eodem, quo ſemper conſueverat, veritatis ſtudio, non malo in quempiam animo; & quacumque per ea tempora iter faceret, cum

(1) *Ibidem. Tum F. Cyprianus Ubertus Inquiſitor Vercellenſis in Indice Inquiſitorum Ord., & Ubertus Locatus in Hiſtor. Placentin. ad ann. 1233.*

(2) *Echard. ibidem.*

(3) *Petrus Maria Campius Hiſtor. Placent. lib. 17. pag. 149. ad annum 1233 ex antiquo MS. Placent.*

(4) *Idem Petrus Maria Campius loco laudato.*

eum omnibus ſtrenue conflixit, eorumque neminem, niſi victum dimiſit. Hujus rei, & ſi cætera deeſſent, erit hoc ſatis teſtimonium (1) Anno a Chriſti Servatoris ortu milleſimo ducenteſimo octavo, ac trigeſimo, quo Fridericus Cæſar Romano Pontifici infenſiſſimus a Menſe Julio ineunte ad finem uſque Septembris Brixiam Cænomanorum Urbem obſederat, nec unquam expugnarat, Cremonæ agebat Rolandus. In Cæſarianorum exercitu cum hic intellexiſſet, eſſe Philoſophum Friderici Cæſaris familiarem, qui Romanos Theologos deſpiceret omnes, ſeque ab eorum nemine vinci poſſe gloriaretur, quod horum paucos, qui minus parati erant, diſceptando ſuperaſſet: *ſternite*, inquit, *mihi aſinum*, (podagra enim laborabat, qua, ne iret pedeſter, uti ſemper ſolebat, prohibebatur) quo ſtrato Brixiam brevi pervenit: Atque, ut magno in honore habebatur a pleriſque Cæſarianorum, in horum caſtra facile ſe ſe conjecit; congregatiſque multis, quæſitum eſt de Philoſophio. Huic ſuperbe adventanti, atque hominem ex habitu irridenti, *ut diſcas*, inquit, *Theodore* (hoc enim Argutulus ille appellabtur nomine) *Ordinem hunc, in quem me adſcitum vides, non carere Philoſophis, optionem do, ut vel me propugnatorem habeas, vel oppugnatorem*. Cui cum ſe oppugnaturum ille dixiſſet, Rolandus Theodoro objicienti ita reſpondit, ut quid ultra ille opponeret, ne data quidem temporis copia eidem unquam in mentem venerit.

VII.

(1) *Memor. antiq. MS. Conv. S. Domin. Cremon. c. 11. pag. 72. Petrus Martyr Feſtus in ſuo Chron. MS. ejuſdem Conv. c. 12. pag. 19. Echard. loc. citato. Odoricus denique Raynaldus Annal. Eccleſ. ad annum 1238. n. 71.*

VII. Sed omnia hujus viri facta perſeqni non poſſumus; tum quod non omnium rerum ab eo geſtarum certum, & ratum teſtimonium habeamus; tum quia non ſingula quæque, ac leviora deſcribere, ſed exprimere dumtaxat quoquo modo imaginem, atque conſuetudinem vitæ Rolandi conſtituimus. Hoc vero quoniam dignum ſingulari memoria viſum eſt, non prætermittendum cenſemus: tantam ſcilicet Deum Optimum Maximum ei vim, & poteſtatem in Dæmones contuliſſe, ut acerrimo, quod cum communi hoſte geſſit, bello non vinci modo, expugnarique unquam potuerit, verum etiam aliorum hominum corpora ab eorum moleſtia liberare conſueverit familiariſſime. Conclamare autem improbi Spiritus, cum è corporibus ejiciebantur, ſolebant, ſe ob eam præcipue cauſſam Rolandi imperio parere, ab hominibuſque extemplo diſcedere, quod ejus virginitatem vehementiſſime pertimeſcerent. (1) Quo factum eſt, ut ab ejus fere uſque ætate conſuetudo invaluerit pingendi Rolandum lilium manu tenentem, ac malum dæmonem pedibus proculcantem. Ex ea vero cæleſti, ac prope divina virtute, quam ad mortem uſque impenſiſſime coluit, conjicere poſſumus reliquas. Interdiu ſcilicet, noctuque ſupernis rebus exercere ſe ſe, nunquam vero mentem ſuam ad hæc caduca, & peritura, quæ ſemel abdicaverat, convertere, divinis perpetuo vacare ſtudiis, va-

care

(1) *Petrus Martyr Feſtus Chron. MS Conven. . Domin. Cremon. c. 12. pag. 19 Memor. MS ejuſdem Conv. c. 11 pag 72. Joſeph Breſſianus Coron. Viror. Illuſtr. Cremon. L. 1. p. 1. pag. 14. Merula Collect. Sanctorum Cremon. pag. 22. aliiq*

care laudibus; neque jejuniis, aut vigiliis, aut flagellationibus parcere, ut carnis arrogantiam compeſceret, Deoque ſe ſe totum ſubjiceret, res ei fuit familiaris adeo, & intima, ut prius animam efflaverit, quam ab ea vivendi ratione ceſſarit. Singulari fuit in Deiparam Virginem pietate, eamque ſtudioſe adeo venerabatur, ut cum aliquam ejus imaginem ſalutaret, præ vehementi, quo in eam commovebatur, affectu a lacrymis abſtinere non poſſet. Nil vero tam laborioſum, & arduum ei unquam eſt viſum, quod commemorato vel ſolo Mariæ Virginis nomine, ſumma non obierit facilitate, deliciarumque non habuerit loco. (1) Animo cum eſſet tum omni cupiditate, & metu, tum omni ægritudine, & iracundia, omnibuſque terrenis perturbationibus vacuo, æque modeſtus in proſperis, ac fortis, & conſtans in adverſis, ſuique ſemper ſimillimus fuit. Quid dicam de ejus in omnes indulgentia, & charitate? In eo, quo functus eſt, fidei Quæſitoris munere, & multo quidem tempore, & iis præſertim diebus, quibus hocce poteſtatis genus æquo ferri animo non poterat, injurias, molitiones, moleſtias, contumelias non modo tulit innumeras, ſed ita tulit, ut ferventius pro illis orare ſoleret, eoſque diligeret ardentius, ab quibus graviora pateretur. (2) Eas denique animi dotes, atque virtutes, quas a natura veluti cum lacte ſuxiſſe videbatur, in Ordinem

(1) *Joſeph Breſſianus in ſua Corona Viror Illuſtr. Cremonen. lib. 1. p. 1. pag. 14., & 15. laudatque in hanc rem Antonium Campum pag. 54. Leandrum Albertum pag. 364. Michaelem Plodium, Ambroſium Gazzeum, Seraphinum Razzium, alioſque plures, qui hæc de Rolando ſcripſerunt.*

(2) *Colligitur luculenter ex commemoratis Scriptoribus.*

Prædicatorum poſtquam ſe recepiſſet, perenni quadam exercitatione, divinoque præſertim auxilio, a quo manat omne, quod eſt optimum, adeo coluit, auxit, nobilitavitque, ut Vir Sanctus non modo, cum viveret, haberetur, ſed etiamnum, ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate, habeatur.

VIII. His igitur moribus cum vixiſſet, & annos fere ſeptuaginta compleſſet, Bononiæ in eum incidit morbum, quem extremum ſibi futurum facile intellexit. Qua animi fortitudine, atque in Deum, quem unice amaverat, fiducia, poſtrema hæc incommoda pertulerit, ex eo dignoſcere poſſumus, quod omnes norunt, quodque eſt in veteri proverbio, qualis quiſque vixerit, talem moriturum. Itaque cum omnibus Eccleſiæ ſe ſe myſteriis communiviſſet, omniaque dediſſet beatæ immortalitatis jam jam conſequendæ argumenta, ſanctiſſime deceſſit. Non me latet Echardium (1) Rolandi obitum ad annum milleſimum, ducenteſimum, circiter, & quinquageſimum conſignaſſe. Sed ego in hac re potiſſimum credo Leandro Alberto, (2) quod & antiquior ſit, & eorum utatur teſtimonio Scriptorum, qui ad Rolandi tempora propius acceſſerunt. Is autem ait, anno fere milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono Rolandum obiiſſe IV. Kalendas Septembres. (3) Funus ejus, collacrymantibus omnibus bonis, & magna hominum frequentia curatum. Multa dicuntur cum ante, tum poſt

ejus

(1) *Echard. tom. 1. Scriptor. Ord. pag. 126.*

(2) *Leander Albertus lib. 5. de Vir. Illuſtr. O. P. pag. 182. cum antiquioribus a ſe laudatis.*

(3) *Kalendarium Joannis a S. Maria ad diem 29. Auguſti 1259.*

ejus mortem prodigia facta, quæ illius ſanctitatem ſignificarent. (1) Præter maximum ſui deſiderium egregia quoque reliquit doctrinæ ſuæ monumenta, quorum pleraque credimus injuria temporum, & hominum negligentia periiſſe. Horum præcipuum eſt illa rerum theologicarum collectio, quam ab ejus nomine Summam Rolandinam appellant. Hanc, ut quod Nobis inexploratum eſt, ſileamus, certe ſcimus, ab iis, qui de eo ſcripſerunt non mediocriter commendari. Sed de Rolando hactenus.

MONETA.

VEnio nunc ad clariſſimum Virum, omniumque Æqualium ſuorum facile principem paucis admodum exceptis. Is eſt Moneta Cremonenſis, vel, ut alii vocant, (2) Monetus. Quo ſit ortus genere, incertum plane, & obſcurum. Ejus enim gentis nullum Cremonæ monumentum eſt reliquum. Audio Mediolani honeſtam eſſe, ac liberalem ejuſdem nominis familiam illuc fortaſſe ex Cremonenſi deductam. Antonio Senenſi, & S. Antonino viſum eſt, quem nos Monetam dicimus, aliis Simonetam eſſe, & vocari. (3) Sed de ejus genere ſatis. Nil enim periculi plenum, & involutum magis, quam vetuſtatem inveſtigare, nobilitatemq;

 fami-

(1) *Vide Joſephum Breſſianum loco ſupra citato, Fontanam Theatr. Dominic. p. 2. titul. 4. num. 3. & p. 3. c. 1. titul. 3. n. 18. alioſque.*

(2) *Philippus Labbeus in nova Biblioth. MS. par. 1. pag. 27.*

(3) *Antoninus Senenſis in Chron. ad ann. 1230. S. Antoninus 3. p. Hiſtor. titul. 23. c. 6. §. 2.*

familiarum. Quanquam ſi hæc Monetæ deeſſet, id certe non defuit, quod multo pluris eſt apud cultas nationes, ſummum ſcilicet ingenium, atque ad omnia capeſſenda mirifice comparatum. Eodem, quo Rolandus, ſtudiorum cauſſa, cum eſſet miſſus, ita brevi exſplenduit, ut quam Cremonæ expectationem de ſe concitaverat, Bononiæ non æquaverit modo, ſed ſuperarit. Niſi etiam velimus, (1) in patria eum adeo floruiſſe, ut graviſſimi ſtudiorum Bononienſium Præſides magno jam ejus nomine permoti Bononiam evocarint, elegerintque, qui in celeberrima illa Academia Philoſophiam doceret. Docuit autem per annos aliquot incredibili ſui nominis celebritate, nec minore auditorum ad eum confluentium fructu. Erat enim in homine præter ſummam ingenii vim mira in dicendo facilitas, ut non ſolum celeriter exciperet, retineretque, quæ a ſe legerentur, ſed etiam docendo clariſſime pronunciaret. Verbo dicam, quod pluribus perſequi non vacat, eo in munere Monetam adeo excelluiſſe, ut omnes illius ævi Philoſophos, & Juris Conſultos communi omnium conſenſione anteiret. (2) Cum tamen hac doctrinæ laude floreret, id a nonnullis ei vitio vertebatur quod ſolam fortaſſe nimiam ſtudiis operam profanis daret, ſacris autem & divinis prope nullam. Tum quod ita viveret rebus humanis, ut æternarum immemor omnino videretur; ab iis propterea Sanctis, doctiſque hominibus diligentiſſime caveret;

(1) *Joſeph Breſſianus Coron. Viror. Illuſtr. Cremon. lib. 1. p. 1. pag. 15. aliique ab eo laudati.*

(2) *Ibidem.*

ret, quorum convictu, aut conſuetudine, ab ea, quam ſibi propoſuerat, vivendi ratione diſtrahi quoquo modo poſſet. (1)

II. Roma Bononiam venerat præſtantiſſimus Vir Reginaldus Aurelianenſis, quem alibi commemoravimus. Erat autem hic annus a partu Virginis milleſimus ducenteſimusdecimus octavus. (2) A Beato Dominico fuerat in hanc Urbem ampliſſimam miſſus, ut Cœnobio recens erecto, qua valebat, doctrina, pietate, ac conſilio præeſſet; omnemque daret operam Bononienſibus ad virtutem colendam incitandis, & Ordini, quem paullo ante inſtituerat, propagando. Ferventiſſimas itaque cœpit, ac fere quotidianas ad eum populum habere conciones, quibus brevi ita valuit, ut non ingentem modo vulgi multitudinem, ſed nobiles etiam, doctoſque Viros a mala, ut tum ferebant tempora, vivendi conſuetudine abduxerit, eorum multis ad clauſtra perductis. Hæc cum Moneta animadvertiſſet, ſibique jam in animo conſtituiſſet, ſe nulli unquam Sacro Inſtituto nomen daturum, in eaque, qua cœperat, vivendi libertate perpetuo manſurum, veritus, ne ſi quando Reginaldum audiſſet, ejus dicendi vi, & argumentorum copia vinceretur, idque tandem ſibi contingeret, quod alii fuerant experti, animum diligentius, quam conſueverat, attendit ad cavendum, ne in hominis illius incideret, ut ipſe ajebat, inſidias, omneſque amicos & voce, &

 exem-

(1) *Echard. tom. 1. Scriptorum Ord. pag. 122., & 123. Humbertus in Vitis Fratrum p. 4. c. 9. S. Antoninus 3. p. Hiſtor. titul. 23. c. 5. §. 2. Altamura ad annum 1222.*

(2) *Echard. loco citato cum aliis multis, quos laudat.*

exemplo, ut eodem modo ſe gererent, hortabatur. (1)

III. Accidit interea, ut die, quæ eſt Stephano Protomartyri ſacra, domo exierit lectiſſima, uti plerumque ſolebat, Diſcipulorum manu ſtipatus. Hi cum eſſent celebratiſſimi Oratoris audiendi percupidi, Monetam etiam atque etiam rogant, flagitantque, ne hanc diei feſti opportunitatem abire ſinat. Nullam, inquiunt, adduci poſſe cauſſam Reginaldi non audiendi: non ſcilicet exercitationes ſcholaſticas, non publica, privataque negotia, non aliud denique quidquam, quod aliis diebus aliquo eſſe ſolet ad id impedimento. Eruditorum eſſe virorum, ut oratores audiant identidem ad judicium ſaltem de oratione ferendum. Poſſe, ſi velit, ab ea excerpere, quod maluerit, quod ſibi non ſapit, rejicere. Hoc ſi animo adjerit, nil eorum, quæ fortaſſe veretur futurum. Hæc illi. Quibuſcum ne illiberaliter ageret, id ſe denique facturum ſpopondit: ſed una monitos voluit, ſe nondum rei ſacræ, cui præcepto obſtringebatur, interfuiſſe. Huic cum ſatisfeciſſet, quocumque ierint, obſecuturum. Adeunt igitur S. Proculi Templum; ubi poſt unum, & alterum, moras de induſtria trahente Magiſtro, tertium quoque Sacrum excipiunt. Confidebat enim, ſe ad locum denique perventurum abſoluta re, dimiſſoque auditorum conventu. At res pro voto non ceſſit. Nam eo ut eſt ventum, Reginaldum invenerunt adhuc è ſuggeſtu dicentem; circumfuſamque denſam adeo

(1) *Præter memoratos ſcriptores, ejus rei meminit etiam Petrus Martyr Feſtus in ſuo Chron. MS. c. 12. pag. 19., & 20. ſimiliter Memor. MS. Conv. S. Domin. Cremon. c. 11. pag. 74. & 75.*

adeo Bononienſium multitudinem, ut in Templum, quod erat Bononiæ maximum, nemini amplius pateret aditus introeundi. Stetit ille quidem ad valvas: at non potuit, quin tandem incideret in hæc Reginaldi fere verba „ Ecce video Cœlos apertos, ecce in præſentia „ aperti ſunt Cœli introire volentibus. Væ miſeris, „ qui Deo claudunt cor ſuum! Veniet hora, quando „ Regnum Cœlorum eis claudetur, & introire volent, „ nec poterunt. „ (1) Divino quodam conſilio videtur factum, ut Moneta accedente in ea orator verba prorumperet. His enim auditis, occulta quadam vi ita ſe motum, atque intus concuſſum Moneta perſenſit, ut eo ipſo in loco, quo ſtabat, firmiſſima voluntate decreverit, ea ſe omnia quamprimum abdicaturum, quibus veluti cœno involutus, graviſſimoque pondere fere obrutus plane cognoſcebat, ſe in beatiſſimam illam ingredi Urbem non poſſe, quam omnibus introire volentibus apertam oſtenderat Reginaldus. Huic igitur è pulpito deſcendenti, domumque redeunti obviam factus, quis, & cujus vitæ antehac fuerit, ſignificat, rationem aperit conſilii ſui, vovetque ſe in ejus Ordinem ſeceſſurum, mox ut familiaribus rebus, gravioribuſque domi negotiis proviſum ierit. His itaque rite procuratis, quo tempore in ſuis ædibus perinde ſe habuit, ac ſi in Cœnobio ipſo vixiſſet, poſt annum circiter unum, novam illam vitæ rationem, cui ſe voto obſtrinxerat, ſuſcepit. (2)

 IV.

(1) *Humbertus in Vitis Fratrum p. 4. c. 9. iiſdem fere verbis. Cui conſentiunt Altamura, Leander Albertus, S. Antoninus, Echardius, aliique Locis laudatis.*
(2) *Anno 1220. ut cenſet & Echardius tom. 1. pag. 122., & 123.*

IV. Ordini adſcriptus quantum ſanctitate, ac doctrina profecerit, haud facile dictu. Mira vivere cæpit continentia, & ſeveritate. Ne vero quid temere moliretur, ſe ſe totum in Majorum ſuorum inſtitutionem contulit, & diſciplinam: Sanctiſſimumque Parentem Dominicum adhuc in terris agentem ſibi imitandum, ejuſque imaginem in ſe ipſo, quoad poſſet, exprimendam propoſuit. Atque ut a doctrina ejus ordiamur, cum jam eſſet Philoſophus maximi nominis, ac ſummæ Juriſconſultus auctoritatis, (1) reliquum erat, ut parem etiam in Theologia laudem conſequeretur. In hoc igitur ſtudii genere brevi tantus evaſit, ut viſus ſit illa ætate non tam ad Urbem, aut Provinciam, quam ad Orbem univerſum mirifice erudiendum natus. Innumeri propterea auditores ad eum certatim confluebant, ut in ejus ſe magiſterium traderent; quodque eſt Monetæ noſtro perilluſtre, cum ipſe per ſe ſe remotis gentibus adeſſe non poſſet, ad eum inviſendum, conſulendumque, dum Bononiæ commorabatur, veniebant Romani optimates, litteratique ab aliis etiam regionibus viri. (2) Cum vero, ut paullo ante dicebamus, Parentis, atque Inſtitutoris ſui Dominici ſummus eſſet imitator, odium ab eo maximum in Hæreticorum perfidiam hæreditate quadam accepit; atque ut ille Albigenſibus, ita hic Vvaldenſibus, & Catharis perpetuum bellum indixit. (3) Hoc belli genus

(1) *Joſeph Breſſianus Coron. Viror. Illuſtr. Cremonen. lib. 1. p. 1. pag. 15. Cavitellus Annal. Cremonen. pag. 82. &c.*

(2) *Leander Albertus pag. 184 Petrus Martyr Feſtus in ſuo Chron. MS. c. 12. pag. 20. Echardius loco cit. aliique.*

(3) *Taegius in Monument. Ord. apud Fontanam p. 1. c. 2.*

Digitized by Google

genus ut, quo ſuſcepit alacrius, eo fortius gereret, Mediolanenſibus, & circumfuſis Inſubribus datus eſt Moneta, qui in hæreticam pravitatem inquireret. (1) Ea poteſtate adverſus memoratos Catholici nominis hoſtes infenſiſſimos late per Inſubriam effuſos ita eſt uſus, ut in principes, & potentiſſimos etiam viros ea lue contaminatos invicte animadverterit, ut aliquanto poſt dicemus.

V. Hi erant ex hominum genere, (ſi quem hæc delectat non ignorare) quibus varia fuerunt agnomina, errores varii, ſed vitia fere communia. A Petro Vvaldo Vvaldentes ſe te dicebant, a Joanne Lugdunenſi Pauperes de Lugduno, nunc Catharos, nunc Cataphryges, atque a regionibus etiam, quas incolebant, Piccardos, Bulgaros, Lombardos, Boemos, & ſi qui ſint ejuſmodi. nam longum eſſet horum infectorum ſeminum propagines commemorare ſingulas, neque videtur id hujus eſſe loci, & inſtituti. Eo tamen omnes ſpectabant, ut Manicheiſmo, qui multo jam tempore latitarat, in lucem evocato, noviſque machinationibus, & erroribus aucto, Romanum Pontificem, ejuſque gregem opprimere ſi armis non poſſent, perpetuis tamen inſidiis quietem ejus, pacemque turbarent. Horum omnium origines, ethimologias, propagationes, errores, & turpitudines diligenter adeo, ornateque deſcripſit clariſſimus Thomas Auguſtinus Ricchinius in ſuo illo volumine, quo Monetæ Theologicam Summam edidit, atque illuſtravit,

(1) *Idem Taegius loco laud. cui omnes conſentiunt, licet non in unum, eundemque annum, quo id acciderit, conveniant.*

ſtravit, ut nil ſupra eſſe poſſit. (1) In eam igitur gentem arma ſumpſit Moneta, & qua voce, qua ſcriptis, qua privatis, qua publicis concertationibus eam cœpit ubique adoriri, magno ſemper hæreticorum detrimento; qui animo certe eum pati minime poterant bono; quod ſcirent talem ſe hoſtem habere, cui & reſiſtere non poſſent, & qui paratus eſſet prius animam ponere, quam a bello deſiſtere cum Heterodoxis.

VI. Unus inter hos eminebat, cui nomen Peraldus nobilis in primis, potens, factioſus, & vafer. Hic, quod implacabile in Monetam odium ſuſceperat, poſteaquam doctrina eum vinci, opprimique non poſſe animadvertit, inſidiis interficere ſtuduit. Uti autem conſtituit homine facinoroſo, qui pollicitus eſt ei, ſe Monetam interfecturum, modo certo ad id pretio eſſet conductus, fidemque Peraldus ea de re dextera dediſſet. Id rerum ut Moneta reſcivit, divino, ac ſubito quodam ſpiritu excitus, aſſumpta Chriſti de Cruce pendentis imagine, parvoque ſtipatus Catholicorum numero Peraldum cum ſicario cepit, vinxitque in carcere: atque utrumque tentati facinoris convictum foro tradidit regio; a quo, ut vivi comburerentur, ea, quæ tum obtinebat, lege ſancitum eſt. Qua ex re Cathari, & Vvaldenſes cæteri ita ſunt perterriti, ut unum poſthac Monetam pertimeſcerent. (2)

VII. Atque hic tantus Vir, tantiſque ſtudiis, & occupa-

(1) *Thomas Auguſtinus Ricchinius de Vita, & Scriptis Ven. P. Monetæ Cremonenſis.*

(2) *Idem Ricchinius ibidem cum Scriptoribus, quos laudat.*

cupationibus diſtrictus nonnihil etiam temporis tribuit negotiis ſui Ordinis procurandis, & promovendis. Cremonam anno poſt Chriſtum natum milleſimo ducenteſimo, ac triceſimo acceſſit, (1) & Cœnobium, cujus fundamenta paullo ante jecerat Rolandus, auxit, ornavitque majorem, quo licuit, in modum. Tanta fuit hujus doctiſſimi, ſanctiſſimique Viri in hanc Urbem expectatio, deque ejus in Patriam adventu gratulatio omnium Civium ſuorum, ut hi omnes, quos potuerunt, illis honores habuerint. Quo tempore mirum eſt, quantum hic Inſtituti noſtri exiſtimatio creverit, & cultus. (2) Quamdiu Cremonæ ſit commoratus, res eſt haud ſatis perſpecta. Sed certe, cum diſceſſit, eum ſic univerſa Cremonenſium Civitas eſt proſecuta, ut lacrymis deſiderii futuri dolorem indicaverit (3) Illud tamen eſt exploratum; Mantuam triennio poſt ſe contuliſſe, ibique ut Cœnobium ſui Ordinis erigeretur, auctorem fuiſſe. (4) Quod vero memoriæ prodit Cavitellus, (5) primum Ordinis domicilium excitaſſe Monetam in Brutiis, idque in annum milleſimum ducenteſimum, ac ſexageſimum incidiſſe, difficile crediderim; cum ad ea uſque tempora eum vixiſſe nemo hactenus ſcripſerit eorum, qui rem hanc diligentius examinarunt. Etſi vero tam diu vixiſſet,

(1) *Petrus Martyr Feſtus in ſuo Chron. MS Conv. S. Dom. Cremon. c. 2. pag. 4. Memorial. MS. ejuſd. Conv. c. 11. pag. 76.*

(2) *Præter Feſtum loc. cit. Cavitellus, aliique Cremon. Scriptores.*

(3) *Ibidem.*

(4) *Præter Breſſiani, Feſti, Ariſii &c. teſtimonia, extat ejus rei memoria in tabulario Ord. noſtri Mantuano.*

(5) *Cavitellus in Annal. Cremon. pag. 82.*

ſet, nemo ſibi perſuaſerit, hominem jam viribus fractum, cæcum, ſenio detritum tot itineribus, tantoque operi perficiundo parem futurum. Enim vero cum familiæ noſtræ ſe adjunxit, annum certe fere quadrageſimum attigerat. (1) In Brutios itaque, ſi recte ſupputaveris, octogenarius ſe conferre debuiſſet. Ut ut tamen ſit, nolo hic ſcrupuloſius agere, quam ut purum deceat Hiſtoricum. Sunt etiam, qui velint, (2) Monetam primum ex noſtris Theologiam Lutetiæ Pariſiorum publice tradidiſſe. Aſt cum nemo alius præter Bononienſes id aſſerat, hi Monetam cum Rolando confundunt, eique tribuunt, quod huic uni deberent.

VIII. Sed ad Vvaldenſes, & Catharos revertor. Ab his namque inſectandis, quocumque iret Moneta, aut quibuſcumque negotiis diſtineretur, ſi re, nunquam tamen animo deſtitit; & qua vi cum iis confligeret, profligaretque, interdiu, noctuque cogitabat. Quinque igitur libros confecit, qui uno ſatis amplo volumine continentur, quod ſummam vocant Monetæ. His magno quodam veluti armorum apparatu, acieque optime inſtructa omnes ſimul adverſarios ſuos adortus eſt; atque ita cum iis pugnavit, ut vel ſuis hoſtes armis confoderit, nulla evadendi ſpe omnino relicta. Singula in iis libris, ac vel minima eorum machinamenta detegit, univerſamque eorum ſtructuram convellit, & a fundamentis demolitur. Dum vero præcipua Fidei noſtræ capita, rituſque, ac cæremonias tuetur, & vindicat, quibus

(1) *Colligitur haud obſcure ex ſupra memoratis Scriptoribus.*
(2) *Videatur præ cæteris Echardus, & Ricchinius ſuis quiſque in locis.*

bus armis Catharos, & Vvaldenſes jugulat, iiſdem recentiores Hæreticos petit, qui ex illorum cineribus prodiere. (1) Quod autem dificillimum videtur, & ſi ſtudium Sacrarum Litterarum, & principum Theologorum ſero, ut ſupra monuimus, arripuerat, in eo tamen ita profecit, ut vel in hoc uno opere non faci le reperire poſſis, neque de veteri, neque de novo fædere, ne de ſacra quavis re, quod ei fuerit prorſus incognitum. Stylo autem uſus eſt humili, ac ſimplici, quod illi cum iis hominibus res eſſet, qui, ut in infimum ſe vulgus inſinuarent, eadem dicendi, ſcribendique ſimplicitate uterentur. Scio, non defuiſſe, qui cum hoc hominum genere pugnarint: Sed ſi eos cum Moneta noſtro conferre velis, qui tanta rerum copia, & argumentorum pondere de illis plane triumpharit, invenies neminem. Agere igitur gratias Ricchinio, quas poſſumus, maximas debemus, quod Monetæ opus ſane aureum e Bibliothecarum pluteis erutum in publicam tandem lucem ediderit, eruditiſque ſuis notis illuſtrarit.

IX. Ad Monetæ virtutes quod attinet, & ſi cætera deeſſent laudationis argumenta, hoc ſatis videretur idoneum, ut eas diceremus, cum multas fuiſſe, tum excellentes, quod Sanctiſſimi Parentis Dominici imitator fuerit, ut ſupra monitum eſt, accuratiſſimus. Nam & ab eſu carnium perpetuo abſtinere, & noctes pene ducere inſomnes, & nudum corpus flagellis affli-

(1) *Videatur Ricchinius de vita, & ſcriptis Ven: P. Monetæ Cremonen. O. P. in Præfatione operis.*

affligere, & humi cubare, & ſi quæ ſunt hujuſmodi, arctiſſimæ vitæ exercitationes in deliciis habuit. Cum hac tamen vivendi ſeveritate miram comitatem, cum gravitate facilitatem ita conjunxit, ut difficile eſſet intellectu, utrum, qui ejus conſuetudine utebantur, eum magis venerarentur, an amarent. Neque vero vel ſecundis, vel adverſis rebus a ſuſcepto vitæ inſtituto deterreri, aut vel minimum diſtrahi unquam potuit. Tanta erat in arrepto perfectionis itinere conſtantia! Cum autem magno in honore, & exiſtimatione eſſet, nunquam viſus eſt vultu tam hilari, & jucundo, quam cum ab aliquo deſpiceretur. Patientia quoque fuit ſingulari. Nam cum aſſiduitate lectionis, & frequentiſſima lacrymarum effuſione in gravem adeo morbum oculorum incidiſſet, ut neutro denique uti poſſet, (1) moleſtiſſimam hanc invaletudinem ad mortem uſque patientiſſime tulit. His tot, tantiſque virtutibus cum valeret, nihil ſpei in ſe, plurimum in Deo collocabat; quodque in doctiſſimis viris rarum admodum videtur, & ſingulare, cum & Philoſophus eſſet, & Theologus plane ſummus, fidei noſtræ miſteriis ita firmiter adhærebat, ut omnia tormentorum genera pati mallet, quam aliquid dicere, ſcribereque, quod Catholicæ veritati minus conſonum videretur. Quid plura? Bononiam poſtquam Beatus Dominicus perveniſſet, (2) ibique ſe brevi moriturum intellexiſſet, cum neque lectulum, in quo decumberet, neque tunicam alteram ab ea,

quam

(1) *Quotquot de Moneta ſcripſerunt.*
(2) *Anno 1222.*

quam diu geſtaverat, haberet, maluit a Moneta quam ab aliis Fratribus utrumque mutuari, (1) ut inde judicari poſſit, in amicitia, hominibuſque copulandis magis, quam quodvis aliud vinculum, valere morum ſimilitudinem bonorum. Quæ procul dubio Parentis in Filium benevolentia creviſſet in dies, ſi Pater diutius vixiſſet. Hoc tamen dictum volumus, non ut quidquam reliquis Dominici filiis, qui tum Bononiæ commorabantur, detrahamus, ſed ut declaremus, Sanctiſſimum illum virum aliquid in Moneta noſtro excellentius fortaſſe, & amabilius, quam in cæteris inveniſſe. Hæc de doctrina, & ſanctitate Monetæ. Ceterum eum multo majora egiſſe credimus; quorum notitia idcirco caremus, quod illorum temporum ſcriptores rerum præclare geſtarum copia inopes veluti fecerit, atque indiligentes. Minime tamen prætereundum putarunt, Monetam, cum diuturna oculorum cæcitate laboraſſet, eadem ſemper mente, animoque fuiſſe, nilque unquam eorum prætermiſiſſe, quæ ſeverioris ſunt diſciplinæ; non jejunia, non vigilias, non flagellationes, non denique aliud quidpiam, quoad poſſet, quod ad veterem conſuetudinem pertineret. Quod effecit, ut ejus fama Sanctitatis majus in dies augmentum caperet, & diffunderetur quotidie latius.

X. Patriæ Beatorum aptiſſimus eum denique morbum eſt nactus, qui fuit illi poſtremus. In eo perferendo mira animi moderatione cum fuiſſet uſus, mor-

(1) *Stephanus de Salanacho P. 3. titul. viri Illuſtr. Leander Albertus pag. 184. Ambroſius Altamura ad annum 1222. & ſcriptores cæteri.*

mortis nuncio jucundiſſime accepto, ac ſacris omnibus religioſe procuratus Bononiæ ita deceſſit, ut qui ſemper vixerit ad moriendum paratus. Vulgato ejus obitu haud difficile creditu eſt, confertiſſimam Bononienſium multitudinem ad ejus funus celebrandum convolaſſe, ejuſque feretrum circumveniſſe, ut inde aliquid, quodcumque illud eſſet, ad tanti viri memoriam, & cultum ſurriperet, inque domum ſuam quiſque deportaret. Nam id plerumque evenire ſolet in funere illorum virorum, qui magna Sanctitatis opinione ex hac vita diſcedunt, præſertim ſi, eum viverent, aut in morte ipſa, multa eorum ope beneficia fuerint a Deo impetrata, ut de Moneta narratur. (1) Sunt qui ejus obitum ad annum referant milleſimum, ducenteſimum triceſimum quintum. Sed hi libros a Moneta conſcriptos non legerunt. Horum ſi legiſſent librum tertium, & quintum, (2) inveniſſent, eum anno milleſimo ducenteſimo, & quadrageſimo adhuc ſcribentem. Opere igitur abſoluto cum in cæcitatis morbum incidiſſet, in eaque adverſa valetudine annos aliquot vitam duxiſſet, palam fit, ejus mortem ad annum ſaltem milleſimum ducenteſimum, & quinquageſimum veriſimilius eſſe protrahendam. Sed ſatis hoc. Reliquos ordiamur.

BONI-

(1) *Narratur id ab omnibus, qui de Moneta ſcripſerunt.*

(2) *Vide Monetæ ſummam adverſus Catharos, & Valdenſes lib. 3. c. 3. §. 2. & lib. 5. c. 1. §. 4. Item Ricchinii Præfation. in ea n.m.cm.*

BONIFACIUS.

I. BONIFACIUS ſæculo XIII. ferme exeunte Cremonæ natus. Hujus quoque cognomen, & genus nobis incertum; quod eſt hominibus remotiſſimorum illorum temporum fere commune. In præcipuis tamen habendus eſt viris, qui Ordinem illuſtrarunt, & Patriam. Cum a cæteris ſcriptoribus, tum eximie ab Antonio Poſſevino collaudatur, atque omnibus optimarum artium ſtudioſis ad imitandum proponitur. (1) Ab honeſtis, piiſque parentibus ita in pueritia, & adoleſcentia eſt educatus, ut cum adhuc in paternis ædibus ageret, morum integritate non minus, quam ſingulari politiorum litterarum laude floreret. (2) Late per ea tempora propagatus jam fuerat Ordo a Beato Dominico inſtitutus; ex quo cum in univerſis totius fere Chriſtiani orbis Provinciis, & Urbibus clariſſimi omnium virtutum opibus viri prodierant, tum Cremonæ inter cæteros Moneta & Rolandus. Horum Bonifacius exemplo permotus, ut erat indolis ad bona quæque amplectenda optime comparatæ, indita ſibi divinitus mente ſerio cœpit de eo Ordine capeſſendo deliberare. Qua in ſententia denique confirmatus, ſpretis omnibus, & rejectis, quibus abduci ab hac voluntate quoquo modo poſſet, exploratiſque a Patribus præter eximiam ingenii vim, aliis etiam

L artis

(1) *Antonius Paſſerinus in Apparatu Sacro tom. I*

(2) *Taegius p. 1. Monument. Altamura Bibliotec. Domin. ad annum 1350. quo creditur Bonifacius obiiſſe. Rovetta ad eundem annum 1350. Atque.*

artis, & naturæ ſubſidiis, quibus ad bene, ornateque dicendum valebat, Ordini, uti enixe petierat, adſcriptus eſt.

II. Tyrocinio poſito, riteque abſoluto, Ticinum primum, tum Bononiam ſtudiorum cauſſa profectus eſt. (1) Eo ſimul atque pervenit, cœpit non tempori, non vigiliis, non laboribus parcere, ut altioribus diſciplinis perpetuam operam impendens, eam ſibi ſacræ, ſolidæque doctrinæ ſupellectilem compararet, qua ſibi poſſet, aliiſque prodeſſe. Quos nactus ſit inſtitutores, altum eſt apud ſcriptores ſilentium: Hoc tamen haud dubium in ſtudiis ſuis perficiendis eo brevi deveniſſe, ut inter principes illius ævi Philoſophos, & Theologos haberetur. Sacrarum vero litterarum, totiuſque antiquitatis ſtudium cum amavit ſummopere, tum coluit impenſiſſime. Ex quo factum eſt ut nulla ei tam difficilis quæſtio ex ſacris litteris, aut ex traditione Majorum proponeretur de qua diſerte, ſapienterque dicere non valeret. Admirabantur propterea in homine, quotquot eum audiebant rarám admodum ingenii aciem, incredibilemque memoriam. (2)

III. Tam uberi rerum cognitarum apparatu communitus dicendi artem, ad quam natura, & ingenio, antequam Ordinem ingrederetur, valere ſe plurimum ſignificaverat, mirifice exercuit; habituſque eſt orator eorum temporum eloquentiſſimus. Sed cum in omni-

(1) *Altamura loco cit. Memor. Conv. M. S. c. 17. pag. 133. Franciſcus Ariſius Cremon. Litterat. tom. 1. pag. 168.*

(2) *Ibidem.*

omnibus eloquentiæ partibus excellens, tum plane fuit argumentorum inventione ſingularis. (1) Id quod in eo indicabat & maximam doctrinæ, eruditioniſque copiam, & ſummam ingenii felicitatem. Ad hæc cum accederet conjuncta cum dignitate ſuavitas ad pronunciandum, fiebat, ut nil ei prorſus deeſſet, quod ad præſtantiſſimum oratorem conſtituendum deſideraretur. Si quid vero ad id muneris rite, abſoluteque obeundum morum probitas confert, in eo fuit utique non vulgaris. (2) Ut inde quiſque facile conjicere poſſit, non tam diſertum fuiſſe Bonifacium, quam fructuoſum. Vix enim, ac ne vix quidem credi poteſt, quantam ex ſanctitate dicentis vim, & efficaciam capiat elegantia ſermonis.

IV. Ejus in dicendo præſtantiæ teſtimonium eſt luculentiſſimum volumen illud vere aureum, quod poſteritati reliquit in partes diſtributum. (3) Sermones ibi exhibet uberrimos, atque elegantiſſimos, quos de tempore inſcripſit. Tum orationes quamplures mira quadam ſuavitate contextas, quibus eos commendat, qui probata ſanctitate deceſſerunt; atque ita commendat, ut qui legerit, non poſſit ad eos quoquo modo imitandos, & impenſius colendos non excitari. At vero ſermones, quos diebus Deiparæ Virgini ſacris aut habuit ipſe, dum viveret, aut tantum non recitatos elucubravit, editos jam fuiſſe teſtatur Ma-

(1) *Præter Poſſevinum, Taegium &c. idem aſſerit Michael Plodius 2. P. L. 3. pag. 103. Viror. Illuſtr.*

(2) *Apud Eoſdem Scriptores.*

(3) *Alphonſus Fernandez in Concertatione Prædicatorum Poſſevinus, Altamura cum cæteris.*

raccius. (1) Eo denique volumine nil poteſt eſſe dulcius iis, qui aliqua cupiditate tenentur rerum cœleſtium, & notitiæ Sanctiſſimorum Virorum. Bonifacii Cremonenſis meminere ſcriptores fere omnes, qui de rebus Dominicanorum præclare geſtis quidpiam ediderunt. Horum autem, qui paucis quidem, ſed preſſioribus verbis non ſcripſerit, eum fuiſſe cum doctiſſimum, tum piiſſimum virum, eſt nemo. Cum vero unus fere ſit Michael Plodius, (2) qui Bonifacium referat ad annum milleſimum quingenteſimum ſeptimum, ad milleſimum vero tercenteſimum, & quinquageſimum cæteri, his potiſſimum credo, quod ſunt & numero plures, & plerique antiquiores. Sed facile videtur Plodius, & qui eum ſunt ſecuti, corrigi, conciliarique cum reliquis poſſe. Nimirum minime animadverterunt, Bonifacios fuiſſe duos ad diverſa illa tempora referendos: ac primum quidem, de quo in præſentia eſt ſermo, atque ut ea ferebat ætas, ſine cognomine, alterum vero Bonifacium Sperantium, patria, ordine, doctrina, & elocutione, editiſque a ſe operibus priori ſimillimum, (3) ut qui unum cognoverit, alterum quoque perſpectum habeat, neceſſe ſit. Utut tamen ſit de ætate, qua floruit, ac Bonifacii duo utrum ſint, an unus tantumodo (nam ſi quis in hoc diſcrepat, numeris diſſentit, non rebus) eum denique magna doctrinæ

(1) *Maraccius in Bibliotheca Mariana tom.* 1.

(2) *Michael Plodius* 2. *P. lib.* 3. *pag.* 103. *Michaelem Plodium ſecutus eſt Ariſius tom.* 1. *pag.* 168.

(3) *Memorial. MS. Conv. S. Domin. Cremona c.* 17. *pag.* 133. & 136.

trinæ, eloquentiæ, religioſæque vitæ opinione deceſſiſſe, (1) omnes in unnm congruère ſententiæ.

NICOLAUS TINCTUS.

NICOLAUS TINCTUS Raymundi excellentiſſimi Juris conſulti filius Cremonenſis, non tam ſanguinis, quam doctrinæ, multarumque virtutum claritate conſpicuus. Adoleſcens liberaliter, pieque educatus, ut erat indolis, & naturæ ad majora compoſitæ, miſſis omnibus domeſticis commodis, humaniſque ſolutus impedimentis, ſe ſe totum divinis rebus in ſacro Dominicanorum Ordine devovit. Poſitis novæ vitæ rudimentis ſacriſque votis emiſſis, nullam non curam, diligentiamque adhibuit, ut pietate in dies, ac doctrina proficeret. Non enim ignorabat, hanc eſſe mentem debere, hoc unum eorum conſilium, qui ſacrum aliquod Inſtitutum complectuntur, ut perficiant ſe ſe, perpetuoque debeant ad quandam vitæ excellentiam conniti. Secus ſi fecerint, cur e paterna domo in clauſtra ſeceſſerint, non eſſe cauſſam. Hac igitur mente, animoque, ſtudium rerum Philoſophicarum, ac præcipue divinarum cum accuratiſſima legum, quibus ſe obſtrinxerat, obſervatione conjunctum arripuit avidiſſime. Quo in ſtudii genere eos brevi progreſſus fecit, ut ad alios erudiendos nobiliores Italiæ Urbes ei fuerint a Moderatoribus decretæ. Sed fuit & ſacer

(1) *Bonifacii, de quo loquimur, obitus a pleriſque omnibus refertur ad annum* 1350.

Orator illius ævi perquam diſertus; videbanturque optimæ Oratoris partes in eo cum excellenti oratione certare. Nam præter ſingularem ad inveniendum facilitatem, & vim ad convincendum, inerat Tincto magna ſuavitas oris, & vocis, quæ ad flectendos animos valebat plurimum. Cumque eſſet etiam vir probus, moribuſque incontaminatis, quiſque facile intelliget, quanto populorum fructu id muneris obierit. Cum hac vero tam difficili, & ardua exercitatione ſeveriorem Inſtituti diſciplinam ita conjunxit, ut ne leges ejus vel minimas violaret, ſemper, & ubique caverit diligentiſſime. (1)

II. Hiſce rebus effectum eſt, ut per univerſam Italiam admodum inclaruerit, & in magnam venerit omnium ordinum opinionem. Sed cum multis principibus viris, tum maxime Innocentio hujus nominis VII. Pontifici maximo ob eximias, eique perſpectas, quibus erat ornatus, animi dotes, cariſſimus fuit. Ab eo propterea Epiſcopus Iſclanus (quod eſt Oppidum in Inſula Ænaria) renunciatus, initiatuſque eſt. (2) Eſt autem Inſula parva illa quidem, ſed gentis Davalæ Marchionatu, & Epiſcopali titulo inſignis, in ſinu Puteolorum haud amplius ſex millibus paſſuum ab Urbe Neapoli ſita. Iſclæ, vel Iſchiæ Oppidum inſigne, quod in eam arcem edito in monte politam ſe ſe receperit

Hiſ-

(1) *Vincentius Maria Fontana in Theatr. Dominican. pag. 207. Joſeph Breſſianus in Roſis, & Violis pag. 69. Franciſcus Ariſius tom. 1. Cremon. Litt. pag 220 Memor. MS. Conv. c. 13. pag. 87. aliique multi.*

(2) *Ughellus Ital. Sacra tom. 6. pag. 27 Jo: Michael Cavallerius tom. 1. pag. 234. Joſeph Breſſianus in Roſis, & Violis pag. 69. aliique.*

Hiſpaniarum Rex Ferdinandus, cum Carolus VIII Francorum Rex Neapolitanum Regnum victricibus armis occupavit. (1) Eo igitur Nicolaus Tinctus ut pervenit, demandatam ſibi Provinciam ita moderari orſus eſt, ut nihil in victu, & veſtitu, & omni reliquo vitæ apparatu unquam admiſerit, quod humilem ſerverioris Inſtituti virum non deceret. Diem vero nullum ſibi elabi patiebatur, quo paſtorali muneri non vacaret ſtudio, ſollicitudineque tanta, quantam in primis Eccleſiæ Paſtoribus legimus fuiſſe. (2)

III. Sed diu in Inſula Ænaria conſiſtere minime potuit. Nam difficillimis illis temporibus, ob graviſſima Romani Pontificatus negotia ab eodem Innocentio VII. ad plures Italiæ Principes cum poteſtate Apoſtolica legatus eſt miſſus: (3) Quarum porro legationum non obivit ullam, que non in magnam Eccleſiæ ceſſerit honeſtatem. Mantuæ anno milleſimo ſexto, & quadringenteſimo cum eſſet, perpetuam dierum quadraginta indulgentiam, ut vocant, iis omnibus conceſſit, qui die Beato Dominico ſacra ejus Aram apud noſtros inviſerent. (4) Idem ad quartum circiter ab Urbe Mantua lapidem Templum, quod eſt Gratiarum Virgini Sacrum, magna pompæ celebritate, confertiſſimaque populi frequentia conſecravit. (5) Hujus

 Dedi-

(1) *Cavallerius ibidem, & Pontanus lib. 2. de Bello Neapolitano.*

(2) *Laudati Scriptores iiſdem fere verbis.*

(3) *Breſſianus Aliique locis cit. Memor. M. S. Conv. c. 13. pag. 87.*

(4) *Jo. Michael Cavallerius tom. 1. pag. 214., qui in hanc rem Bullæ meminit in Cœnobio noſtro Mantuano ſervatæ.*

(5) *Præter Breſſianum loco cit. vide Trajanum Tinctum, Hiſtor. Eccleſ. P. Donesmundi p. 1. lib. 5. p. 318. & Fabagroſſa in ſua Familia Tincta pag. 325.*

Dedicationis monumentum exſtat apud Cœnobii illius incolas verbis ampliſſimis.

Die 15. Auguſti 1406.

„ Pontificatus SS. P. N. Innocentii Papæ VII. anno II.
„ Conſecrata fuit per Reverendiſſimum Patrem F. Ni-
„ colaum de Tinctis Epiſcopum Solanum præſentibus,
„ & aſſiſtentibus Reverendiſſimis DD. Domino Joan-
„ ne de Mantua divina miſeratione, & ſanctæ Sedis
„ Apoſtolicæ Patriarcha Venetiarum, Dalmatiæque
„ Primate, & Domino Antonio De Ubertis Dei gratia
Epiſcopo Mantuano.

Quod vero Solanus hoc loco nominetur, neminem movere debet. Nam Ænarienſes ab Iſcla Oppido nunc Sclani, nunc Selani, aut Solani, vel Solanenſes conſueverant corruptis, variatiſque nominibus appellari (1)

IV. Hiſce negotiis, legationibuſque confectis ad ſuum rediit Tinctus Epiſcopatum, quem multos ſubinde annos ſumma cum laude adminiſtravit. Sed illud hoc loco minime præteribo, quod eſt Nicolao Tincto admodum illuſtre. Inſula Ænaria, cujus finibus Epiſcopatus Iſclanus continetur omnis, hominumque capita non plura numerat, quam quindecim millia, (2) cum duobus menſibus incendio continenter è terræ viſceribus excito ante Nicolai tempora conflagraſſet; (3) & ejus incolæ ſuis facultatibus lapſi, & tenuiores illius Sacerdotii proventus effecti ſic, ut non amplius Epiſcopus, quam nummis

(1) *Cavallerius ibidem aliorum uſus auctoritate ſcriptorum.*
(2) *Ughellus Ital. Sacra tom 6 pag. 271., & Pontanus lib 2. de Bello Neapolitano*
(3) *Ughellus loco cit. illud incendium refert ad annum 1302., adhibetque teſtem Collenuccium.*

nummis earum partium argenteis mille in annos ſingulos uti poſſet (1) Nihilo, tamen, ſecius cum Tinctus, ut ſupra monebamus, parciſſime viveret, pauperes, quibus abundabat locus, recreabat, habuitque etiam, quo ſponſam ſuam omni ſacra ſupellectile ornaret. Nulli denique fides ejus, nulli opera, nulli ſubſidium defuit. Quo factum eſt, ut ab Ænarienſibus non tam Epiſcopi, quam amatiſſimi Patris familias loco haberetur. Cum itaque tali modo ſe præſtitiſſet, atque bene, optimeque de omnibus merendo conſenuiſſet, haud mirum, ſi jucunda denique illi fuerit mors, Oppidanis vero ſuis, univerſæq; Inſulæ acerba. Vita ceſſit anno milleſimo quadringenteſimo decimo octavo, Martino V. Summo Pontifice, cui acceptus admodum fuerat, regnante. (2)

PAULLUS MANNA.

I. PAULLUS MANNA Cremonenſis nobili genere ortus, neque minus illuſtris Cœnobii Prædicatorum Cremonenſium alumnus. Hic quoque ab natura ingenium ſortitus eſt perſpicax, facile, & aptum ad artes optimas. His naturæ viribus egregia, ut ea ferebant tempora, inſtitutio cum acceſſiſſet, jam nil erat adeo bonum, & laude dignum, quod de ſe non polliceretur. Adoleſcens, humanis rebus omnibus magna animi fortitudine valere juſſis, Sacrum in Patria Dominici Inſti tutum

(1) *Ibidem*.

(2) *Cavallerius tom. 1. pag. 214. ad annum 1418. & Ughellus tom 6. pag. 277. ad eundem annum. Non enim Ughellus vocaret Beneventanum, ſi monumenta Cremonenſia legiſſet.*

tutum amplexus eſt. Annuo Tyrocinii curriculo emenſo, altioribuſque ſtudiis admotus vires, & nervos omnes intendit, ut in iis proficeret quam quod maxime poſſet. Atque ut celerius in ſcholaſtico itinere, quod ſuſceperat, progrederetur, ac tutius, non tam legendi, quam audiendi, quod tali modo facillime diſci arbitrabatur, ſtudioſiſſimus fuit. (1) Inſtitutores nactus eſt eos viros, quos ætas illa vere aurea ferebat. Qua temporum felicitate, facilitateque ingenii ſui ita uſus eſt, ut præſtantiſſimos inter Theologos non modo haberetur a noſtris, verum etiam ab omnibus, qui eum auditum, conſultumve de rebus graviſſimis conveniebant. (2) Cum enim multi, quos inſtitueret, ſibi a Majoribus concrediti ſunt, tum cæteri quoque Juvenes innumeri ejus doctrinæ fama permoti in ejuſdem ſe diſciplinam, inſtitutionemque tradiderunt; omneſque ad unum & magnam in eo docendi vim admirati ſunt, & fructum plerique inde uberrimum ceperunt.

II. Sed artis etiam bene, ornateque dicendi, optimarumque litterarum omnium cultor fuit perpetuus. In eam enim incidit ætatem, qua plerique ſtudioſorum hominum, & ingenuorum in rem litterariam nativo ſplendori, & aureæ dignitati reſtituendam connitebantur. More igitur æqualium ſuorum genus eloquendi ſcribendique ſecutus eſt elegans, & temperatum, vitatis ineptiis, atque inconcinnitate. Sacras orationes in multis

Italiæ

(1) *Memor. M. S. Conventus S. Domin. Cremon. c. 17 pag. 135 Joſeph. Breſſianus coron. viror. Illuſtr. Cremon. pag. 185.*

(2) *Echard. tom. 2. pag. 124. ad annum 1545. Idem affirmant Memor., & Breſſiann locis laudatis.*

Italiæ locis recitavit plurimas non ſine ingenti auditorum certatim confluentium delectatione, ac profectu. (1) Si vero ſunt, qui velint, Paullum Manam ſacram quoque Poeticen attigiſſe, (2) id non levi dictum fundamento arbitramur; nam ad omnia mirifice compoſitum predicant, qui de eo memoriæ prodiderunt. Fuit etiam vir probus, Inſtitutique ſui amator, & cuſtos diligentiſſimus. Sed idem comis, urbanus, dexteritateque, ac prudentia ſingulari. His animi dotibus cum valeret, Cœnobio ſui Ordinis Cremonenſi præficitur. Erat autem hic annus poſt Virginis partum milleſimus quingenteſimus, ſextus, & quadrageſimus. (3) Verum hanc Præfecturam, quam gerere ſumma omnium Patrum voluptate, reique familiaris incremento cœperat, non diu tenuit: nam gravi, eademque extrema correptus infirmitate immature deceſſit, biennio ſuæ adminiſtrationis nondum expleto. (4) Elatus eſt more ſuorum, eum flentibus Patribus, Civibuſque univerſis, quorum dolor, & luctus ſatis declararunt, quantum Ordini Virum, & Patriæ ornamentum amiſerint.

III Rerum theologicarum peritia, qua præſtitit, maxime elucet in comentariis, quo communi Theologorum commodo in univerſam Thomæ Aquinatis Summam nitido, cultiſſimoque ſtylo confecit. Philoſophum.

(1) *Joſeph. Breſſianus, & Memor. Conv. locis memoratis.*

(2) *Breſſianus ibidem. Tum Andreas Rovetta in Bibliotech. chronol. ad annum 1545. ex monument. M.S. Vincentii Rivallii in Catalog. Illuſtrium Scriptorum Provinciæ Lombardiæ. Ricchinius in Catalog. Priorum Conv. S. D. Cremon.*

(3) *Ibidem ad annum 1546.*

(4) *Idem.*

ſophum vero non obſcuri nominis fuiſſe teſtimonium eſt volumen illud, quo res Philoſophicas pari felicitate eſt interpretatus. (1) Sed dolendum magnopere, quæ tam erudite, eleganterque ſcripſit, in lucem edere Mannam immatura morte præventum non potuiſſe: quæ ſi vulgata fuiſſent, non dubito, quin æquis, doctiſque litterarum amatoribus probarentur, atque in publicis eruditorum Actis plurimum commendarentur. Illud denique accedit incommodi, ea eſſe ab Auctore exarata caractere lectu adeo difficili, ut præter quæ injuria temporum perierunt, quæ ſuperſunt, legi vix poſſint. Atque hæc habui, quæ lectoribus Paulli Mannæ ſtudioſis exponerem.

HIERONYMUS POLITIUS.

I. HIERONYMUS POLITIUS Cremonæ natus, ex honeſtiſſima Politiorum in Cremonenſem Dominicanorum Familiam cooptatus magno fuit Ordini, & Patriæ ornamento. Sacris Deo votis obſtrictus virtutibus, & litteris excolendis aſſiduam adeo, diligentemque dare operam cœpit, ut evolare in utroque pietatis, & ſapientiæ curriculo, non progredi videretur. Philoſophiam primum deinde Theologiam de more tradere juſſus; quo in magiſterio ſe ſe ad multos annos exercuit, mirum eſt, quantam ſibi laudem pepererit, exiſtima-

(1) *Echard. tom. 2. pag. 124., ubi laudat Rovettam, Plodium, Altamura, alioſque, qui de Paullo Manna ejuſque operibus ſcripſerunt. Quibus addo Memor. M. S. Conv. S. Com. Cremon. c. 17. pag. 135.*

ſtimationemque doctrinæ. Sed hæc ſtudia quamquam graviſſima ſint, ac perutilia, non ejus tamen animum abripiebant ſic, ut nil temporis, quod ſacræ eloquentiæ tribueret, ei eſſet reliquum: ſentiebat enim ſe nativa quadam proclivitate ad eam artem non tam allici, quam vehementer impelli. Horis itaque aptiſſime diſtributis ita utebatur, & ingenio, ut cum jam eſſet Theologus pereruditus, non minoris orator utilitatis evadere niteretur. Duo igitur, ut ait Cicero, cum ſint in Oratore neceſſaria, unum ſubtiliter diſputandi ad docendum, alterum graviter agendi ad permovendum, utrumqne Politius obtinuit. (1)

II Neque minus prudentia, conſilio, ac vitæ integritate floruit, quam eruditione, & Doctrina. Quibus mentis, animique dotibus cum valeret, latiſſimam ad præfecturas, & magiſtratus ſibi viam aperuit. Delectus, ut Familiæ ſui Ordinis Mantuanæ præeſſet, hanc ut regere uſque ad finem conſtituti biennii poſſet, cum eſſet una ſimul Fidei Quæſitor Cremonenſis, neque Quæſitoribus per id tempus diutius, quam par eſſet, huic muneri deeſſe permitteretur, facta ſibi dimittendæ alterutrius dignitatis optione, maluit ſe huic perpetuo abdicare, quam a ſuſcepta Mantuani Cœnobii adminiſtratione diſcedere. (2) Accidit interea, ut Michael Ghislerius Cardinalis ampliſſimus, & ſummus in Romana Curia Inquiſitor egeret viro, qui in ſollicitudinum

(1) *Memor. M. S. Conven S Dom. Cremon. c. 13. pag. 86. Joſeph Breſſianus Corona Viror. Illuſtr. Cremon. lib 1 p. 2. pag. 104. Idem in Roſis & violis pag. 97 Cavitellus Annal. Cremon. pag. 393. ec.*

(2) *Michael Plodius p. 2. l. 4. pag. 251. Cavallerius t. 1 pag 440., & ſeq. Altig.*

num ſuarum partem vocaretur, ſibique & Theologi loco, & a ſacris Confeſſionibus eſſet. Qua de re ſcripſit Ghiſlerius ad Jacobum Laudenſem Provinciæ utriuſque Lombardiæ Præfectum, ab eoque petiit, ut eum ad ſe mitteret probatæ virtutis, atque doctrinæ virum, quem maluiſſet. Tanta erat Ghiſlerii Cardinalis in ſui Ordinis Moderatores reverentia. Cui cum fuiſſet a Provinciæ Præſide reſponſum, inter cæteros habere ſe Hieronymum Politium Cremonenſem, (1) ſibique ad id muneris obeundum apprime aptum videri, hic ad Ghiſlerium miſſus eſt, cui & cariſſimus, & probatiſſimus fuit.

III. Jam vero haud ita multo poſt, eadem ejus opera, & conſuetudine uti voluit Cardinalis Carolus Borromeus Pii IV. Summi Pontificis ex ſorore nepos; cui a Ghiſlerio amico ſuaviſſimo ægre quidem, ſed liberaliter denique conceſſus eſt, quod & Borromeum amabat ſummopere, & probe norat eam eſſe Pontificis voluntatem. Ita vero Politius Nepotis benevolentiam, & Avunculi gratiam eſt conſecutus, ut ab eodem Pio IV. peridoneus habitus ſit, qui ad Epiſcopatum Trivicanum promoveretur in Hirpinis. (2) eſt autem Trivicum (ſi quis forte id ignoraverit) parva Civitas in Principatu Ulteriori a tribus vicis conjunctim poſitis dicta, in monte præcelſo, & fere inacceſſo ſita, frigido cœlo, ventorumque flatibus obnoxio, ut non alii,

(1) *Apud Memorial. M S. Conv. t. 16. pag. 110. alius eſt Politius hic, de quo agitur, ab alio ejuſdem nominis Politio, qui per eadem fere tempora ter præfuit Cœnobio Cremonenſi, & Madiolani deceſſit Fidei Quæſitor.*

(2) *Cavallerius loco cit., & Ughellus Ital. Sacra tom. 8. pag. 544.*

alii, quam indigenæ morari ibi poſſint incolumes. Habet tamen Epiſcopus Flumarium Caſtellum duobus circiter millibus paſſuum ab Civitate ſejunctum, quo difficilioribus anni tempeſtatibus ſecedere ſolet mitioris, ac ſalubrioris aeris ſpirandi cauſſa. (1) Trivici meminit Horatius his verſibus.

.... Tendimus hinc recta Beneventum.
Incipit ex illo montes Apuliæ notos
Oſtentare mihi, quos torret Atabulus, & quos
Nunquam erepſſemus, niſi nos vicina Trivici
Villa recepiſſet.

Trivicana igitur inſula honeſtatus, initiatuſque eſt Politius IX. Kalendas Novembres anni a Virginis partu milleſimi quingenteſimi quarti, & ſexageſimi; (2) fuitque inter ejus Oppidi Antiſtites primus Ordine, & viceſimus.

IV. Ad Epiſcopatum ſuum ut pervenit, Paſtoralem illam vigiliam ſic eſt auſpicatus, ut Trivicani omnes intellexerint, quæ vitæ ejus ratio eſſet futura. Omni enim officioſa ſuperfluitate prætermiſſa, ad valetudinaria pergere, ac morbis conflictatos incredibili charitate ſolari; homines in carcerem conjectos humaniſſime inviſere; ſacras per ſe vel infimæ plebis confeſſiones excipere; rem divinam curare, promovereque accuratiſſime; in ſe duriuſculum eſſe, quam maxime ſobrium, & auſterum, in alios ſuavem, benignum, & liberalem; omniaque denique iis legibus moderari, quæ Sa-

(1) *Ughellus Ital. Sacra tom. 8. pag. 536.*
(2) *Idem Ughellus pag. 544.*

Sacrorum Canonum decretis conſentirent, prima, ac potiſſima fuere piiſſimi, & vigilantiſſimi Antiſtitis ſtudia. (1)

V. Dum hæc a novo Paſtore inita Trivicani gregis procuratione gerebantur, ecce nuncius affertur, Michaelem Ghislerium, quem ſupra memoravimus, ingenti omnium Cardinalium voluntate ad Summi Pontificatus apicem evectum fuiſſe, Pii V. nomine adſcito. Quo nuncio vehementer commotum, perturbatumque exiſtimarunt nonnulli Politium, quippe quem certiſſime ſcirent, præmia longe Majora ſperare a Ghislerio potuiſſe, ſi ab eo minime diſceſſiſſet. (2) Verum hæc, ut alii veriſimilius opinantur, leviora ſuere, quam ut in hominem caderent, qui de ſe cum demiſſe ſentiebat, tum erat animo ab humanis, caducisque rebus tam alieno, quam quod maxime. Qui ſecus fuerit de Politio opinatus, is erit fortaſſe in eorum numero, qui judicare de cæteris plerumque ſolent, ut ſunt affecti. Cæterum cum nihil haberet Politius, quod ſuum arbitraretur, eſſetque annuus Trivicanæ Eccleſiæ cenſus nummorum argenteorum dumtaxat octingentorum, (3) ea proventuum tenuitate ita utebatur, ut & quo ſuſtentaretur ipſe, & quod pauperibus erogaret, ei nunquam deeſſet. Epiſcopatum denique ſibi concreditum adminiſtavit annos undecim ea morum integritate, prudentia, atque in omnes charitate, ut univerſorum animos ſibi devinxerit

---

(1) *Conſtat ſparſim ex Scriptoribus hactenus memoratis.*

(2) *J: Michael Cavallerius tom. 1 pag. 441.*

(3) *Ughellus tom. 8. Ital. Sacr. pag. 537.*

xerit Trivicanorum, qui in uno Politio, & vigilantiſſimum Paſtorem experti ſunt, & patrem amantiſſimum. (1)

VI. Hujus de vita, & moribus plura perſecutus eſt pereleganti oratione, quam de ejus laudibus habuit, Vincentius Villa Placentinus: (2) quare Hieronymi Politii ſtudioſos ad eam orationem delegamus. Illud tantum addimus, quod uni Carolo Cartario viſum eſt homini erudito. Nempe aſſerit, in celebri Romana Academia, quam Sapientiam vocant, Theologiam ingenti auditorum plauſu tradidiſſe Politium annos tres, antequam Epiſcopus conſecraretur. (3) Doctrinæ, & eruditionis ejus monumentum eſt perilluſtre volumen unum, quo multa & ſcitu digna, & diligenter ornateq; expoſita continentur. Divinæ voluntatis vim, & naturam explorat, ejuſque infinitam amplitudinem, atque in omnia efficacitatem. Tum humanæ libertatis indolem mirifice exponit, confinia conſtituit, virtutes recenſet, & vitia; & ſi quæ ſunt alia, quæ huc ſpectare videantur. Sed de Sanctorum etiam virorum ſempiterna loquitur felicitate, deque beatis aliquando eorum corporibus, tum de aliis multis. Atque hæc omnia capitularim, preſſe, eleganterque ab eo ſunt dicta. Attigit quoque Aſtronomiam, aliuſque amæniores artes, ut inde conjicias, quantus fuerit ille Vir. (4) Extrema de-

 mum

(1) *Cavitellus Annal. Cremon. pag. 393. quem refert Joſeph. Breſſianus Coron. Viror. Illuſtr. lib 1. p. 2. pag. 105.*

(2) *Vincentius Villa O P. oratione 4.*

(3) *Carolus Cartarius in Athenoo Roman. MS.*

(4) *Vide præter cæteros Franciſcum Arſium Cremon. Litter. tom. 2. pag. 336.*

mum correptus infirmitate, viribuſque fractis, naturæ debitum reddidit anno a Chriſti Servatoris ortu milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo quinto, (1) ſepultuſque eſt magna populi frequentia, & opinione virtutum.

ANGELUS ZAMPIUS.

I. HIc quoque dignus eſt, qui inter illuſtres Cremonæ Cives, & Dominicanæ Familiæ ejuſdem Civitatis alumnos connumeretur. Eloquentiam, ſtudiaque liberalia ab ætate prima cupide, ac laborioſiſſime exercuit. Ad altiores deinde ſcientias ſibi comparandas, poſteaquam noſtris adjunctus eſt, evolavit. His autem impenſe, feliciterque adeo incubuit, ut nihil eſſet, quod ad rem theologicam pertinere quoquo modo videatur, divinarum nil ſcripturarum, a veteribuſque Patribus traditum nihil, quod ipſe poſt annos aliquot non haberet plane cognitum, atque perſpectum. (2) Quo factum eſt, ut non diu latere potuerit Zampius: nam ut varias prætereamus in Ordine procurationes, qua præſtabat, prudentiæ laude, rerumque agendarum peritia egregie geſtas, cum ejus doctrinæ, ac morum integritatis fama longe, lateque fuiſſet vulgata, a Pontifice Maximo Paullo hujus nominis IV. ad univerſam Provinciam Mediolanenſem in Fide Catholica continendam eſt miſſus. (3) Magiſtratum hunc arduum ſane eo tam turbido

(1) *Cavallerius, & Ughellus locis laud., quibus alii conſentiunt.*
(2) *Vincentius Rivallius in Catalog. MS. Scriptor. Lombard., & Echard. tom. 2. p. 107.*
(3) *Præter memoratos vide Andream Rovetam in ſua Bibliot. Chron. pag 115.*

do tempore, ac perdifficilem egit Zampius annos plures, invicta animi conſtantia, mira æquitate, ac inſigni orthodoxæ veritatis tuendæ, propagandæque ſtudio.

II. Omnes fere occupaverant Helvetios, Rhætos, vulgo Griſones, alioſque finitimos Populos impiiſſimæ Lutherianorum, ac præcipue Calviniſtarum Hæreſes; jamque in noſtram etiam Inſubriam clam cœperat ſerpere hæc lues. Cum his igitur Catholico nomini infenſiſſimis hominibus erat pugnandum. Animo non concidit Zampius: ſed qua voce, qua ſcriptis eos ubique inſectatus eſt, neque cum ullo eorum manum unquam conſeruit, quin victum, expugnatumque dimiſerit. Curiæ, quæ eſt princeps Rhætorum, ſeu Griſonicæ Ditionis Civitas, publicum iniit cum Auguſtino Mainardo vaferrimo Apoſtata certamen, eumque vario argumentorum genere ita perſtrinxit, ut cum ille Machabæorum libros è numero Canonicorum expungeret, in ſuam eum denique ſententiam adduxerit, inque ſinum Eccleſiæ revocarit. (1) Haud abſimili prælio Tirani, quod eſt Hæreticorum Volturenæ, ſeu Vallis, ut vocant, Tellinæ Oppidulum, horum Miniſtros & auctoritate, & ratione, iiſdemque, quibus ipſi utebantur, armis confodit. Ab his vero Zampius, poſt ſuum ab ea Valle diſceſſum, cum fuiſſet iterum ad pugnam ſcripto provocatus, edito ſtatim a ſe volumine, (2) ita reſpondit, ut non modo animorum ſtatum, quem Purgatorium appellamus, fir-

 miſſime

(1) *Præter Rovettam, Plodium; alioſque Scriptores id luculentius apparet in Memor. MS. Conv. S. Dominic. Cremon. c. 16. pag. 116.*

(2) *Edita eſt ea reſponſio Genuæ apud Antonium Bellonum anno 1559. & aſſervatur in noſtra Bibliotheca Bononien.*

miſſime ſtatuerit, invictiſſimeque demonſtrarit, verum etiam Adverſariorum tela retuderit, nulla prorſus vi ad inſiſtendum relicta.

III. In horum etiam hominum improbitatem ſeveriſſime animadvertiſſe Zampium, teſtimonium eſt minime contemnendum, quod affert Ariſius (1) à Lazaro Auguſtino Cotta Juris Conſulto Mediolanenſi ad ſe miſſum. Legitur, inquit ille, Mediolani in Domo Suburbana extra Novam Portam ſita hæc inſcriptio.

XIII. Maii M. D. L. X. X.
R. P. M. Angelus Zampa de Cremona O. P. Inquiſitor
Ex multis, boniſque Hæreticorum confiſcatis
Hunc fundum emit, incultum coluit, Domum erexit:
Ad ſuſtentationem Officii S. Inquiſitionis.
Benedictus Deus.

Quo ſane monumento ſatis intelligitur, & magna munitum non minus Regia, quam Pontificia poteſtate fuiſſe Zampam, ſive Zampium, & eandem in unum Fidei præſidium, & commodum exercuiſſe. Ceterum, ut erat in homines contumaces, & perditos ſeverus, & aſper, ita comis, & facilis omnibus, qui mente ingenua, & bona ad ſe petitum conſilium, aut officii cauſſa veniebant: Quo fiebat, ut dubitaretur plušne amarent, ſuſpicerentque eum boni, an mali pertimeſcerent. Quot annos vixerit, non eſt plane exploratum. Illud tamen haud dubium, anno milleſimo quingenteſimo

(1) *Franciſcus Ariſius Cremon. Litter. tom. 2. pag. 161.*

ſimo quinto circiter, & ſeptuageſimo (1) eum ita deceſſiſſe, ut virtutum, & ſapientiæ fama adhuc nobiſcum verſetur. Quod vero ſcribit Ariſius (2) delectum anno milleſimo quingenteſimo ſeptimo, & quinquageſimo a Romano Pontifice fuiſſe Zampium, qui Meliteuſibus Fidei Quæſitor daretur, in eaque Inſula annos omnino tres commoratum, vix, ac ne vix quidem adduci poſſum, ut credam. Nam cum Genuæ volumen illud, quod ſupra declaravimus, ediderit biennio poſt, (3) eum Melitæ per hoc idem tempus fuiſſe, nimis arduum videtur. Sed de hoc ſatis.

DANIEL BARBOVIUS.

I. DANIEL BARBOVIUS Americi Filius Cremonenſis non tam generis nobilitate, quam virtutum & doctrinæ ſplendore Patriam, & Ordinem, cui adſcriptus eſt, illuſtravit. Ab humanis, caduciſque rebus, vel in ipſa pueritia abhorrere quodamodo videbatur: eratque animo ab iis omnibus, quibus ætas illa delectari ſolet, adeo alieno, ut ne earum adſpectu quidem moveretur. Adoleſcens politioribus litteris a Parentibus, optimiſque Inſtitutoribus excultus ita proficiebat, ut ab æqualium nemine ſuperaretur, pleroſq; antecelleret. Sed ut erat non tam liberaliter, quam pie educatus, nulli pietatis officio deeſſe, quantum per ſe poſſet, ſtudebat.

M 3 (1)

(1) *Quotquot de eo ſcripſerunt, uno excepto Ariſio, qui ejus mortem conſignare videtur ad annum* 1573.

(2) *Franciſcus Ariſius loco citato.*

(3) *Anno, ut ſupra monitum eſt* 1559.

(1) Sacerdotes cum univerſim, tum eos potiſſimum, qui ſacris addicti ſunt Inſtitutis, magno in honore & habebat ipſe, & ut reliqui haberent, hortator erat perpetuus. Hos propterea viros, ac præ cæteris S. Dominici Alumnos, quod horum vitæ genus a ſe quam maxime probaretur, quotidianus fere cultor adibat. Quo denique factum eſt, ut eorum pia, erudita, atque ingenua conſuetudine illectus ſeſe iiſdem adjunxerit Cœnobii Cremonenſis nomine.

II. Magna igitur Patrum, ſuique voluntate Ordinem amplexus raro admodum, & facili, quo valebat, ingenio, quantus brevi futurus eſſet, non obſcure ſignificavit. Præclaræ indoli egregia inſtitutio cum acceſſiſſet, ſublimiores ſcientias ab Inſtitutoribus ita arripiebat, ut clarius, quam ii, quorum condiſcipulatu utebatur, in hoc ſtudii genere exſplendeſceret. Theologiæ lauream non diu poſt conſecutus non unam in Urbem Majorum ſuorum miſſu ſe contulit, ut quam doctrinæ ſupellectilem comparaverat, cæteris impertiretur. Quo in munere pleriſque omnibus admirationi erat videre Juvenem ſumma facilitate docere, explicareque ea, quæ multi, qui & provectiſſimi, & ſapientiſſimi habebantur, evolvere, expedireque vix poſſent. Auditores propterea, quos inſtitueret, nactus eſt plurimos non tam eorum, qui ſibi a Provinciæ Moderatoribus tradebantur, quam qui ad eum, ut docentem audirent, ſua ſponte confluebant.

(1) *Memor. MS. Conv. c.* 13. *pag.* 86., *&* 87. *Joſeph Breſſianus in ſua Corona &c. pag.* 81. *Plodius lib.* 4. *pag.* 252. *Antonius Campus lib.* 3. *pag.* 72. *Cavallerius tom.* 1. *pag.* 415. *denique Ariſius tom.* 2. *pag.* 298.

ebant.(1) Cum cæteris vero diſciplinis, quibus erat majorem in modum inſtructus, ſacram quoque eloquentiam mira felicitate conjunxit; fuitque ob hanc cauſſam orator ea ætate graviſſimus. (2) Nam præter ſuavitatem oris elegantiamque ſermonis, ſingularis in eo fuit morum probitas, eaque vitæ conſuetudo, ut qui Barbovium auditum conveniebant, difficile internoſcere poſſent, magis ne verbo, an opere, & adſpectu ipſo ad recte agendum impellerentur. Quibus, aliiſque rebus effectum eſt, ut Barbovii nomine in omnem partem vulgato, cum delectus fuiſſet, qui ad Ferdinandum I. Imperatorem conciones haberet quotidianas, eum plurimi fecerit Cæſar, deque rebus graviſſimis in conſilium non ſemel, ſed ſæpius adhibuerit. (3)

III. Accidit interea, ut vita functo Petinenſium Epiſcopo, de novo creando illius gregis ſpirituali Cuſtode ageretur. Eſt ea Civitas in Iſtriæ Provincia ad fontes Arſiæ fluvii ſita, ab Julia Pietate in Boream mille paſſibus duobus, & viginti, Juſtinopoli in Eurum triginta, a Germanis Alpibus quindecim; eſtque Auſtriacæ Gentis Dominio, & Patriarchatui Aquilejenſi ſubjecta. Scripſit itaque Ferdinandus Cæſar ad Pium IV Pontificem Maximum quam accuratiſſime, quandoquidem Petinenſis Eccleſia ſuo eſſet viduata Paſtore, diligenter quidem pro ſua parte circumſpexiſſe ſe, quem nominaret aptum ei muneri, neque ullum inveniſſe aptiorem Daniele

(1) *Colliguntur hæc omnia ex memoratis Scriptoribus.*
(2) *Ibidem, & maxime ex Memorial. Conv. pag.* 86., & 87.
(3) *Ibidem.*

Barbovio Dominicano Cremonenſi; cujus doctrinam, prudentiam, ac morum integritatem multis eſſet in rebus expertus. Optare igitur ſe, ac vehementer petere, ut hunc Virum Epiſcopatu Petinenſi initiare quamprimum ne gravaretur. Annuit Pontifex Ferdinandi Cæſaris litteris humaniſſime: conſecravitque Barbovium anno a Virginis Partu milleſimo quingenteſimo tertio, ac ſexageſimo exeunte. (1) Hoc vero propenſi in Danielem animi argumento non contentus uno Ferdinandus Joannem Baptiſtam Barbovium Danielis gentilem Equeſtri titulo decoravit (2)

IV. Ejus Daniel in Eccleſiæ procuratione de illo vitæ inſtituto, quod tum primum, cum in Ordinem Prædicatorum ſeceſſerat, tenuit, nihil unquam diminuit. Nihil in ejus victu, & veſtitu, in ejus Palatio nihil, quod delicias, aut pompam referret, vidiſſes, ſed ſummam ſimplicitatem. Domeſticam Familiam, quam pro cenſuum tenuitate mediocrem alebat, ita ſemper eſt moderatus, ut ne famuli, ne adminiſtri quidquam dono acciperent perpetuo caverit ſeveriſſime, atque agentem ſecus illico ab officio dimiſerit. Id vero non tam verbo, ac lege a ſe lata, quam factis, & exemplo præſtitit ſumma fide, animique magnitudine. Ajebat enim identidem, inſtitutos a Deo fuiſſe animarum Paſtores, ut gregem quidem paſcerent ſibi concreditum, non ut ab eo paſcerentur, multoque minus, ut ejus ſanguine emuncto

(1) *Jo: Michael Cavallerius tom. 1. pag. 415.*
(2) *Antonius Campus lib. 3. pag. 72. relatus etiam ab Ariſio tom. 2. pag. 298.*

ĉto pingueſcerent. Nil denique Barbovius in ſe, ſuiſq; familiaribus requiſivit unquam præter juſtitiam, pietatem, & optimos mores. Domum igitur ſuam cum ita conſtituiſſet, conjicere facile inde poterit quiſque, quantam in domo Dei componenda diligentiam, ſollicitudinemque adhibuerit. Rem divinam pontificio ritu cum ſæpiſſime faciebat, tum gravitate, majeſtateque tanta, ut Eccleſiæ Miſteriis vim quandam, ſi fieri poſſet, & auĉtoritatem addere quodamodo videretur. Frequentiſſimus propterea fiebat, eo ſacra faciente, adſtantium concurſus, & in dies augebatur in Deum pietas, atque in Romanam Eccleſiam religio. Sed nullum fere ſibi elabi patiebatur diem feſtum; quo non è ſuggeſtu conciones haberet ad populum eruditas, & graves; & ſacras etiam non confeſſiones exciperet. Quotidie vero infirmos præſentia ſua recreabat, morientibus aderat; pauperum anguſtiis collata ſtype occurrebat. In ſuo denique munere obeundo ita erat accuratus, & anxius, ut nulla re affligeretur magis, quam ſi vel inconſiderate prætermiſiſſet, quod ſuarum partium eſſe judicaſſet. (1)

V. Jam vero cum in omnibus procurandis, quæ ad publicam gregis utilitatem pertinerent, fuit apprime ſollicitus, tum illud præcipue curavit, ut Miniſtri Sacrorum tales eſſent, quales eos Eccleſiaſtici Canones præſcribunt eſſe oportere. Cæterum, ut erat in eo genere paullo difficilior, ita illud ipſum, quod negabat, tanta cauſſarum, quas afferebat, efficacitate, ſuavitateque ſermonis temperare

ſolebat

(1) *Haud obſcure indicantur hæc omnia a pleriſque, qui de Barbovio ſcripſerunt.*

Digitized by Google

ſolebat, ut qui repulſam inde tuliſſent, non modo non contemptos ſe exiſtimarent, ſed æque victi pacatique diſcederent, ac ſi quod vellent, omnino impetraſſent. Inter hæc decreta Barbovio a Romano Pontifice ad Venetum Senatum Legatio. (1) Quo in munere nil fuit tam arduum, tamque implicatum, quod non obierit ſumma induſtria, animique alacritate, ac fortitudine non expedierit. Sunt etiam qui ſcripſerint, abſoluta ad Venetos legatione Barbovium, atque ad Petinenſes ſuos reverſum, deſignatum denique fuiſſe, qui Alphonſi Caraffæ Neapolitani Archiepiſcopi jam ſenio confecti vices gereret, eique vita functo ſufficeretur. Ad exitum vero deducta minime res eſt. Nam eodem anno, qui fuit milleſimus quingenteſimus ſeptuageſimus ſeptimus, ab inito vero Epiſcopatu decimus tertius, (2) eo correptus eſt morbo, cui denique cedere coactus eſt. Sacris itaque omnibus rite, ſancteque procuratus, meritiſque magis, quam ætate provectus ita deceſſit, ut boni, doctique omnes eum diu ſuperſtitem deſiderarint.

PETRUS MARTYR RUSCA.

I. DEſcendimus nunc ad magnum Senem Petrum Martyrem Ruſcam, quem fortuna in hanc noſtram Societatem advexit. Is erat in Præfectura Luganenſi acerrimorum ingeniorum Parente feraciſſima

(1) *Franciſcus Ariſius tom. 2. pag. 298. & Memor. Conv. c. 13. pag. 87. & c. 18. pag. 140.*

(2) *Joſeph Breſſianus in Roſis, & Violis pag. 81. cum eoque cæteri conſentiunt.*

ma ad Lacum Cereſium natus. Adoleſcentem ferunt (1) oſtendiſſe jam quantus eſſet futurus. Magna illi inerat ingenii vis, docilitas ad omnes artes, & memoria ſingularis. Animi vero magnitudo, prudentia, & morum gravitas major, quam ætas ferret. Dominicanorum Ordini ut ſe devovit, nobiliores ſcientias, quas valebat mentis acie, ita coluit, atque eſt aſſecutus, ut cum eo natas dixiſſes, non ſtudio acquiſitas. Neque, poſteaquam Doctoris laurea eſt inſignitus, minore eas tradidit facilitate auditoribus, quam celeritate a Præceptoribus arripuerat. In divinarum præcipue litterarum, totiuſque ſacræ antiquitatis ſtudio perpetuus fuit, nilque habuit hoc exercitationis genere carius. Illis denique ſe armis munivit omnibus, quæ ſibi viderentur ad Fidei Catholicæ defenſionem, propagationemque, qua nil habebat potius, aptiora. Et cum probe noſſet, quantum juris utriuſque notitiam inter, & Fidem ſartam, tectamque tuendam interſit neceſſitudinis, in jure quoque Civili, & Canonico diu verſatus eſt. (2) Sed non tam doctus fuit, & eruditus, quam ſimplex, & probus: Severus, & aſper exteriorem ſpeciem intuenti, ſed idem facilis, comis, & benignus omnibus, qui eum convenirent. Earum vero legum vel minimarum, quibus ab adoleſcentia obſtrinxerat ſe ſe, cuſtos fuit ad mortem uſque vigilantiſſimus, ut neſcirent, qui ejus conſuetudine utebantur, quid in homine admirarentur magis, utrum

(1) *Petrus Martyr Feſtus in Chron. MS. Conv. S. Domin. Cremon. c. 12. pag. 23., & Memor. MS. ejuſdem Conv. c. 15. pag. 101. Vide Franciſcum Ariſium tom. 3. pag. 205. alioſq.*

(2) *Petrus Martyr Feſtus in ſuo Chron. MS. laudato.*

Digitized by Google

utrum doctrinam, an vitæ integritatem.

II. His itaque cognitis, latiſſimeque vulgatis, non modo inter ſuos, verum apud etiam extraneos inclaruit ſic, ut hi fere cum illis de honore aliquo eidem habendo certarent. Suis igitur, ut a Domeſticis ordiamur. quinquies præfuit diverſis, ſeparatiſque temporibus, ter ſcilicet Cœnobio Cremonenſi; ſemel Bononienſi, univerſæ vero utriuſque Lombardiæ Provinciæ ſemel, (1) Quas ille Præfecturas non tam hortationibus, aut novis a ſe latis legibus eximie geſſit, quam omnium virtutum, diſciplinæque ſeverioris exemplo, quo ſe vivam legem, in quam omnes ſuæ curæ ſubjecti oculos, animumque converterent, præſtitit. Sed a Summis etiam Pontificibus, ad quos fuerat ejus fama perlata, delectus eſt, qui Novocomi primum, tum Cremonæ in hæreticam perfidiam inquireret. (2) Quo quidem munere Comi annos ſex, Cremonæ annos duos, intermedio ſex, & viginti annorum ſpatio, cum diligenter, & ſtrenue, tum magno Eccleſiæ commodo, & honeſtate eſt perfunctus.

III. Neque tamen eo annorum interſtitio, quod commemoravimus, conquievit unquam. Nam præter inſignes Ordinis Præfecturas, de quibus dictum eſt, egregie adminiſtratas, ad graviores extra Ordinem curas eſt evocatus. Etenim, ut erat Vir omni virtutum genere commendatiſſimus, Romam accitus, deſignatuſque a Paullo IV. Summo Pontifice eſt, ut ſibi a ſacris Confeſſio-

(1) *Conſtat ex Catalogis Priorum, & Provincialium noſtrorum.*

(2) *Vide Petrum Martyrem Feſtum, & diſtinctim Syllabos Inquiſitorum.*

feſſionibus eſſet. (1) Veritusque Pontifex, ne ejus operâ propter Cœnobii Minervitani diſtantiam, & ingraveſcentem hominis ætatem ſibi eſſet aliquando defutura, in Palatio eum Apoſtolico commorari, ſuiſque ali ſumptibus voluit. Quo tamen in loco ita Ruſca eſt verſatus, ut non tam in Aula Pontificis, quam in ſeceſſu quodam, atque ab omni ſtrepitu remota ſolitudine conſidere videretur. Eo autem in munere obeundo præconceptæ de ſe expectationi apprime reſpondiſſe, ac fidem, diligentiam, conſilium, integritatem, cæteraſque ejus virtutes majore ſemper in pretio fuiſſe habitas, hæc ſunt teſtimonia. Fato ceſſit per hoc idem tempus (2) Stephanus Uſuſmaris univerſæ Dominicanorum Familiæ Magiſter Generalis quadrageſimus ſextus. Huic Petrum Martyrem Luganenſem idem Paullus IV. Vicarium ſuffecit, ea lege, ut Ordinem quidem univerſum regeret; apud ſe tamen, ſuſceptoque in munere maneret. (3) Quæ duo invicem ne pugnarent, auxilio ei dedit Vincentium Juſtinianum Chium Provinciæ Anglicanæ Præfectum, Virum in primis gravem, rerumque Ordinis peritiſſimum.

IV. Indicta ſunt interea Romæ Comitia, quibus de Stephani Succeſſore eligendo deliberaretur. Illuc jam conveniebant ex ſingulis Orbis Provinciis Patres omnium graviſſimi, ad quos ſuffragii ferendi jus pertineret: Congregatique tandem in magno Cœnobio Minervitano,

(1) *Chron. Magiſtr. General. Ord. Præd. c. 17. pag. mihi 99.*
(2) *Anno 1557. Ibidem.*
(3) *Idem Chron. Magiſtr. General. Ord. loco cit., & Feſtus in Chron. MS. c. 12. pag. 23.*

no, conjunctis ſtudiis, & animis Petrum Martyrem Ruſcam Luganenſem, cujus doctrinam, prudentiam, & morum gravitatem eximiam ſatis perſpectam habebant, Ordini univerſo haud dubie præfeciſſent, niſi hæc eorum voluntas Romano Pontifici innotuiſſet. Accerſitis hic ad ſe Patribus; *Cogitate*, inquit, *vos de alio Familiæ veſtræ capite inſtituendo, nam Luganenſem Nobis gravioribuſque Reipublicæ Eccleſiaſticæ negotiis reſervamus*. (1) Hiſce intellectis domum reverſi aliud conſilium inierunt, atque ut ſibi videbantur de ſublimiore aliqua dignitate, quam Luganenſi conferre Pontifex vellet, ſecuri, in eam denique ſententiam ierunt, ut ad ſupremum Ordinis Magiſtratum proveherent, quem ſupra memoravimus, Vincentium Juſtinianum Chium. (2) Erat hic annus a partu Virginis milleſimus, quingenteſimus octavus, & quinquageſimus. Anno poſtero cum Paullus IV. inopinato fere obiiſſet, de utroque Luganenſi honore actum eſt; ut quiſquis intelligat, magnæ virtutis non ſemper comitem eſſe fortunam. Sed hæc leviora fuere, quam ut Petrum Martyrem Ruſcam dejicerent animo, perturbarentque. Nam ut infra æſtimationem omnium ſe metiebatur, honoreſque ſibi prorſus indebitos exiſtimabat, ita erat vir fortis, & conſtans, qui neque ſecundis, neque adverſis rebus, quo modo ſe haberet, intelligi poſſet.

V. Cremonam igitur rediit, ſe ſeque in Cœnobium ſuum recepit eo libentius, quo certior erat, nihil eſſe opta-

(1) *Idem Feſtus loco cit.*, *& Memor. MS. Conv. c.* 15. *pag.* 101.

(2) *Chron. Magiſtr. General. Ord. loco laudato.*

optabilius, quam vitam privatam agere, difficilius, ac periculoſius nihil, quam aliis eminere; aut præeſſe. Sed neque hoc loco diu ſibi vivere potuit. Nam licet provectiſſimæ jam eſſet ætatis, hanc Sacræ Inquiſitionis Præfecturam ſibi a Majoribus demandatam maluit ſubire, quam non parere. Verum, ut ſupra monitum eſt, biennio tantum huic præfuit poteſtati. (1) Cum enim oculorum cœcitate ita laborare cœpiſſet, ut neque ſcribere, neque legere ei quidquam liceret, ab hoc magiſtratu, cui bene, accurateque gerendo ſe imparem omnino cognoverat, abdicavit. In ea vero moleſtiſſima ægrotatione ferenda, animi moderatione, magnitudineque uſus eſt tanta, quantam in homine patientiſſimo conjicere poſſumus, unumque ut doleret, quod abſtinere Sacrificio cogeretur. Immo cum ad graviſſima cœcitatis incommoda illud etiam accederet annorum fere centum pondus, quo premebatur, ea fuit ad extremum uſque ſpiritum in iis, quæ ad Inſtituti noſtri rationem pertinent, accuratione, ut eſſet; qui non eum ſuſpiceret, ſibique tamquam abſolutum virtutis exemplar non proponeret; nemo. Quid plura? Invaluerat adeo ejus fama, exiſtimatioque virtutis, ut ſive a Noſtris, qui cum eo verſabantur, ſive ab exteris, quibus erat admodum cognitus, ſeverioris diſciplinæ Magiſter appellaretur. (2)

VI. Fuit hic magnus Vir de Familia noſtra Cremonenſi, in quam fuerat cooptatus, bene adeo meritus, ut nil ſupra fere eſſe poſſit. Emolumentorum, quæ ſibi Romæ,

(1) *Ex Catalog. Inquiſitorum Cremonenſium, & Ariſio tom. 3. pag. 205.*
(2) *Memor. MS. Conv. c. 15. pag. 101. & ſeq.*

Romæ, aliiſque in locis obvenerant, cum nil unquam, quod ſuum eſſet, exiſtimarit, multum habuit, quod in hujus Cœnobii utilitatem conferret. Domos, & fundos emit, Bibliothecam voluminibus auxit, aliaque id genus fecit, quorum fructum, & commodum etiamnum experimur. (1) Cum igitur tali modo annos ut ſupra dicebamus, fere centum compleſſet, animam placidiſſime efflavit, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, (2) magna ſuperſtite ejus nominis celebritate.

LUDOVICUS STANGA.

I. EX Nobiliſſima Stanga Familia Cremonæ ortus eſt Ludovicus Stanga Ludovici filius, cui nomen erat, antequam in Ordinem Prædicatorum in Patria ſecederet, Jacobus Antonius. (3) Hujus de prima ætate conſtat, acerrimo, feraciſſimoque, quo erat, ingenio, & optima eorum temporum inſtitutione indicaſſe jam, quantum Patriam, univerſamque litterariam Rempublicam eſſet quamprimum illuſtraturus. Ad artes, & ſcientias omnes aptiſſimus quidem, ſed ad Rhetoricam maxime viſus eſt, & Poeticam natus. (4) In eo adhuc Adoleſcente, atque in ſæculi periculis conſtituto quædam emicabant bonæ, ac religioſæ mentis indicia,

eum-

(1) *Petrus Maria Paſſerinus Hiſtor. MS. Conv. S. Domin. Cremon. lib. 1. c. 1. n. 105. & 178. & tot. lib. 8.*

(2) *Petrus Martyr Feſtus Chronic. MS. c. 12. pag. 24.*

(3) *Liber MS. Receptorum ad Ordinem, & Profeſſorum, in Tabulario noſtro aſſervatus pag. 3. ad ann. 1538.*

(4) *Cavitellus in Annal. Cremon. pag. 427. Joſeph Breſſianus Coron. Viror. Illuſtr. Cremon lib. 1. p. 3. pag. 185.*

eumque gravis coquebat cura, quid acturus eſſet, & quod denique vitæ genus eligeret. Ac multa ſecum animo agitanti venit illi tandem in mentem, e re ſe facturum, ſi in eum virorum Ordinem ſe recepiſſet, in quo rerum humanarum illicio, occupationeque ſolutus, liberius ſtudiis, quorum erat amore vehementer incenſus, operam dare ſuis poſſet. Explorata igitur & per ſe ſe, & per conſcientiæ ſuæ moderatores ſupremi Numinis voluntate, ſacrum B. Dominici Inſtitutum ſuſcipere indita ſibi divinitus mente conſtituit. Regebat per eos dies Cremonenſe Prædicatorum Collegium Maximus Figatus vir apprime doctus, & prudens, cui quatriennio poſt univerſæ fuit Provinciæ adminiſtratio decreta. Huic Ludovicus, quid Deo inſpirante decreverit, quidque velit, omnibus precibus, omnique animi ſubmiſſione ſignificat. Nil cunctati ſunt Patres, quominus egregie adoleſcentis poſtulatis obſequerentur. In concilium itaque venerunt eumque noſtris indutum veſtimentis una cum Dominico Manario ex nobilibus item parentibus orto in Ordinem, & cætum hunc receperunt. (1)

II. Tirocinio poſito, Deoque mancipatus, in eo ſtudiorum genere, quo noſtri exerceri ſolent adoleſcentes, atque in eo præcipue, in quod natura ipſa proclivior eſſe ſolebat, progreſſus certe longe majores fecit, quam ætas ferre videretur. Nam cum eſſet annorum trium, & viginti, (2) tanta jam valebat facilitate, ſuavi-

 tate-

(1) *Die 25. Mertii 1538. hora 24. Ita. ex L. M. S. Recep. ad Ord. p. ad cum ann.*

(2) *Ariſius tom. 2. pag. 381. Cavitellus, & Breſſianus loc. cit.*

tateque ſermonis latini, & Etruſci, ut appareret, in eo nativum quendam leporem eſſe, non adſcitum. Idem orationes, & poemata conficiebat, pronunciabatque etiam ex tempore & italice, & latine ſic, ut omnes vel doctiſſimos viros in ſui venerationem, admirationemque pertrhaeret.(1)

III. Hiſce rebus effectum eſt, ut cum Mediolani eſſet Carolus V. Cæſar litteratorum hominum Mœcenas ampliſſimus, acerrimique judicii vir, Ludovicum Stangam annos tres & viginti natum laureo diademate ſuamet manu coronarit. (2) Facti autem ſeries, & ratio fuit. Mediolani in ædibus Eustorgianis cum eſſet Ludovicus ſtudiorum cauſſa, atque ob eximiam animi, & corporis indolem, rariſſimamque ingenii præſtantiam ſummo in honore, ac pretio a viris principibus haberetur, in intimam potiſſimum gratiam venit, amicitiamque Diomedis Vincentii Caraffæ Metulanenſium Ducis, & Alphonſi Davali Mediolanenſium rerum pro Cæſare Adminiſtratoris. Hi quod in aula quotidie verſabantur, utebanturque familiari Cæſaris conſuetudine, eum edocent, qualem habeat Mediolani Juvenem, Dominicanum Ordine, Cremonenſem Patria; quem ſi adduci coram ſe minime gravetur, non modo non dubitare ſe, verum etiam polliceri, fore, ut in eo uno agnoſcat, admireturque longe præter, quam ab ætate expectari poſſit, oratorem abſolutiſſimum, excellentiſſimumque poetam. Diem prop-

(1) *Ibidem.*
(2) *Anno 1541. uti apparet in laudatis Scriptoribus.*

propterea, quæ ſibi ad hanc rem aptior fuerit viſa, decernat; venire ad ſe hominem jubeat; de quo dicturus ſit, arbitratu ſuo, atque uti maluerit, conſtituat. Id ſi fecerit, incredibilem porro voluptatem ex eo naturæ, & artis prodigio ſe percepturum. Annuit hac novitate motus Imperator. A Diomede igitur Caraffa, & Alphonſo Davalo Ludovicus, quem uti modeſtum Juvenem veriſimile admodum eſt id ægre tuliſſe, introducitur honorifice ad Cæſarem. Eo coram, & confertiſſima optimatum, lectiſſimorumque virorum frequentia cum adſtitiſſet, propoſito ſibi themate, orationem e loco, quo ſtabat, & carmina inſtituit, recitavitque eleganter adeo, & appoſite, graviter, & erudite, ut illa ipſa in aula, in qua hæc geſta ſunt, eum ſtatim Carolus prodigioſo Juvenis ingenio captus Ludovico honorem habuerit, quem ſupra nominavimus.

IV. Dimiſſo a Cæſare conventu, amici quotquot aderant, quique tanto Juveni gratulandi miro quodam deſiderio tenebantur, arctiſſime amplexati ſunt hominem, & ſuaviſſime deoſculati. Tum eodem, quo Imperator eum coronaverat, laureo diademate præcinctum domum reducunt, ingenti comitante Mediolanenſium multitudine triumphi ſpeciem referente. Hoc Ludovicus honoris genere, quod utique perrarum eſt, non intumuit, neque ad otium, & ignaviam delapſus eſt, ſed magis, magiſque in ſtudiorum ſuorum proſequendorum ſententia eſt confirmatus. (1)

N 2 Itaque

(1) *Memorial. MS. Conv. S. Domin. Cremon. c. 17. pag. 135. Idem affirmant Cavitellus, Breſſianus, Ariſius &c. locis cit.*

Itaque, quibus jam conſueverat, artibus, & ſcientiis dare operam non modo non deſtitit, ſed eaſdem majore in dies alacritate & perpetuo coluit, & aliis innumeris undecumque conquiſitis cognitionibus ornavit, & auxit.

V. Summo, quo valebat Ludovicus, ingenio, ſuaque amabili conſuetudine cum alios innumeros clariſſimos viros, tum Diomedem præcipue Vincentium Caraffam ita ſibi devinxit, ut ei unus ante omnes illorum temporum fuerit perpetuo cariſſimus. Mediolano interea Diomedes cum Neapolim rediiſſet, ſuaviſſimaque Amici præſentia careret, cœpit de illo ſecum habendo cogitare. (1) Scripſit itaque litteras ad Provinciæ Præfectum officii pleniſſimas, quibus illi ſignificabat, rem ſibi gratiſſimam fore, ſi Ludovicum Stangam, quem pro veteri amicitia ſecum vehementer optabat, Neapolim auctoritate ſua miſiſſet. Id ſi, uti ſperabat, feciſſet, ſe ſe immortali beneficio obſtrictum & illi, & Ordini univerſo futurum. Præfectus vero, quem non latebat, quanti faceret caraffam Carolus Cæſar, & quæ utilitates, & commoda ex procurata illius Familiæ benevolentia redundare in Ordinem poſſent, hanc utique præclaram ſibi opportunitatem elabi e manibus minime paſſus eſt, cui ſimilem fortaſſe nullam eſſet in poſterum habiturus. Itaque reſpondit, nil ſibi accidere optatius poſſe, quam ut tam juſtæ, atque honorificæ petitioni ſatisfaceret; adeoque non modo pati, Ludovici conſuetudine uta-

(1) *Id legitur luculentiſſime in laudatis Hiſtoricis.*

Digitized by Google

utatur ipſe, ſed orare etiam ſe, ut hominem, & Ordinem in ſuam fidem, & patrocinium ſuſciperet. Hoc accepto reſponſo lætus majorem in modum Metulanenſium Dux Ludovicum Stangam expectabat in dies. Cognito ejus acceſſu, & occurſu invicem facto, vehementi adeo voluptate perfuſi ſunt ambo, ut mutuis complexibus, & oſculis animum exſaturare, & præ lætitia lacrymas cohibere non poſſent. Tanti deinde Advenæ nomine, & fama Urbem Diomedes implet univerſam. Docet, ſi qui forte neſcirent, quid Mediolani Ludovicus egerit, quantam cum Alphonſo Davalo amicitiam inierit, quibus a Carolo Cæſare ob vere ſingularem ingenii præſtantiam cumulatus honoris inſigniis aliaque id genus de eo prædicat multa. Quibus effectum eſt, ut magna omnium Ordinum virorum, præſertim qui doctrinæ, & eruditionis laude florebant, ad eum inviſendum, audiendumque confluere cœperit multitudo. (1) Neapoli diu commoratus clariſſimis ejus Metropolis viris cum ſe probaſſet, innumeraque ingenii ſui cum dicendo, tum ſcribendo experimenta feciſſet, omnium Neapolitanorum oculos, animoſque ita in ſe unum converterat, ut nemo eſſet, qui non eximiam Ludovici ſapientiam ſuſpiceret, non haberetque portenti loco. Gratulabantur propterea omnes Diomedi Vincentio Caraffæ, & quod in tanti viri cognitionem, familiaritatemque veniſſet, & quod ut ejus conſpectu ipſi quoque fruerentur, curaſſet.

VI. Quanta valeret Ludovicus Stanga doctrinæ, &

 eru-

(1) *V. de Laudatos Scriptores, præſertim Cavitel., & Breſſian. locis citatis.*

eruditionis copia, ſatis oſtendunt egregia illa volumina, quæ poſteritati reliquit. Præter carmina varia, eaque elegantiſſima, quæ italice, ac latine confecit, origines texuit in uno volumine cognominum, & familiarum Cremonenſium, earumque propagationes, honores, dignitates, & gradus, ut nil eſſe poſſit dulcius iis, qui aliqua cupiditate tenentur notitiæ clariſſimorum virorum. In aliis quoque libris de orbe condito, de Conditore, deque puris ſpiritibus agit. Cœlos, & elementa conſiderat; herbarum, plantarum, lapidumque vim, & naturam inſtroſpicit; quibus Imperiis, Regnis, Provinciis, Civitatibus, & pagis, orbis conſtituatur univerſus exponit. Sed & animantium quæ aere, terra, marique gignuntur, fere omnium vires, & affectiones examinat; qua membrorum compage homines conſtent, quibus obrui vitiis ſoleant, quibus ornari virtutibus; quo denique artium, ſcientiarum, dignitatum, graduum, & officiorum apparatu rem juvare publicam poſſint, ut mirum ſit, res tantas, eaſque tam varias potuiſſe ab uno homine tam facile declarari. Opera quidem adeo erudite conſcripta, cum inedita ſint, tum a nobis deſiderari vehementer dolemus. Cæterum ea fuiſſe a Ludovico elaborata Præter Cavitellum, qui eadem, qua Ludovicus Stanga, vixit ætate, Joſeph quoque Breſſianus, qui ad eam proxime accedit, confirmat. (1)

VII. Atque hæc habuimus, quæ de Ludovico Stanga

(1) *Cavitellus Annal. Cremon. pag. 427. Joſeph. Breſſianus in ſua Corona lib. 1. p. 3. pag. 185. quibus Memor. MS. Conv. & Ariſius conſentiunt.*

ga ſcriberemus. Non enim aliud quidquam accipere potuimus ab iis, qui notitiam ejus aliquam prodiderunt. Illud tantum accepimus, Neapolim poſtquam fuit ab Inſubria evocatus, diu in ea Civitate in ſumma Caraffæ Gentis familiaritate manſiſſe, maximaque ſui nominis celebritate claruiſſe. Et ſi vero ejus obitum ad annum milleſimum quingenteſimum octogeſimum tertium, aut quartum referre plerique videantur, quo tamen obierit loco, altum eſt apud omnes ſilentium.

JULIUS FERRARIUS.

I. Julius Frerarius Petri Joannis filius nobilis Cremonenſis. (1) De ejus pueritia, & adoleſcentia dicere cum non eſt neceſſe, tum ex iis, quæ reliqua egit ætate, qualis tunc eſſet, ſe ſeque futurum polliceretur, facile aſſequi poſſumus. Illud tamen eſt certum ingenio fuiſſe Julium ad omnia compoſito. Blandam ſæculi felicitatem tamquam infidum, & æſtuoſum mare deſpiciens, portum in Ordine Prædicatorum, & Cœnobio Cremonenſi quæſivit, ac tenuit (2) Studiis, quibus Adoleſcentes noſtri inſtitui ſolent, maturus, quæ ſibi ad diſcendum proponebantur, non minore cupiditate, quam felicitate arripiebat, eratque memoria adeo præſtanti, ut quæ ſemel didiciſſet, difficillime oblivіſceretur; judicatuſque propterea fuerit aliquanto citius, quam alii conſueſcant, ad docendum idoneus.

(1) *Liber MS. Receptorum ad Ordinem pag. 3.*
(2) *Idem liber ad diem 13. Aprilis ann. 1537.*

Adoleſcentes itaque non una in Urbe quam plurimos eodem, quod ipſe jam ſuxerat, atque in optimum ſuccum converterat, lacte enutrivit. In extricandis, explanandiſque rebus vel difficillimis, atque implicatiſſimis perſpicuitate fuit, facilitateque tanta, ut qui eum auditum, conſultumque convenirent, non tam accipere ab homine, quæ ab eo proferebantur, quam ea veluti in nitidiſſimo ſpeculo intueri ſibi viderentur.

II. Theologiæ Magiſterium conſecutus gravioribus reipublicæ negotiis gerendis admotus eſt. Cognita Dominicani Cremonenſes præclara ejus indole, atque ad regendum habilitate, veriti, ne ſibi præriperetur, in eam quam primum ſententiam coierunt, ut Julium Ferrarium ſibi, ſuiſque rebus omnibus præficerent. Ea autem in præfectura, quæ prima omnium fuit, eique anno milleſimo quingenteſimo ſexto, & quinquageſimo decreta (2) jam ſatis oſtendit, ſe non uni Cœnobio, ſed Provinciæ, ſed orbi regendo parem. Ab omni faſtu, imperioſiſque moribus erat animo vehementer alieno: & quod difficillimum, atque perrarum eſt, lenitatem ita gravitate temperabat, ut neque facilitas de auctoritate, neque auctoritas quidquam de facilitate, ſuavitateque detraheret. Si quid vero præciperet, omnes ſtatim dicto audientes habebat, quod hi ſibi viderentur plus rogati, quam juſſi. Erat enim citra omnem

levi

(1) *Memorial. MS. Conv. c. 16. pag. 110., & ſeq. Breſſianus in ſua Corona lib. 1. p. 3 pag. 167. aliique.*

(2) *Catalog. Priorum Conv. S. Domin. Cremon. ad ann. 1556.*

levitatem, & ineptias benignus, & comis admirandum in modum. Quibus aliiſque de cauſſis effectum eſt, ut non ſemel, ſed quinquies (quod uni Ferrario contigit) huic Familiæ præfuerit diverſis, interruptiſque temporibus, ingenti ſemper Fratrum ſuorum voluntate, reique domeſticæ, ad diſciplinæ incremento. (1)

III. At vero non diu potuit Ferrarii fama unius tantum Cœnobii finibus contineri. Nam in Comitiis anno millesimo quingenteſimo quinto, & ſeptuageſimo Fori Cornelii habitis, cum de Viro univerſæ Provinciæ utriuſque Lombardiæ præficiundo ageretur, in unum Patres convenere Ferrarium, eumque, licet eſſet Fidei Quæſitor in Patria, in ejus Provinciæ Præſidem elegerunt. (2) Præfuit autem huic poteſtati annos tres, priore Magiſtratu per Vicarium opportunis facultatibus adminiſtrato. (3) Qua vero fide, prudentia, & quam impenſo promovendæ diſciplinæ ſtudio rem geſſerit publicam, cum ex ejus indole, quam paullo ante declaravimus, ad regendum aptiſſima, tum ex eo potiſſimum conjicere poſſumus, quod ob egregiam ejus gubernandi formam adminiſtratio hæc præter veterem conſuetudinem fuerit ei in annum tertium extracta. Peracto hujus procurationis triennio Placentiam primum, tum Mediolanum.

(1) *Petrus Martyr Feſtus in ſuo Chron. MS. Conv. S. Domin. Cremon. c. 12. pag. 29. & Catalog. Priorum ejuſdem Conv.*

(2) *Catalog. Provincialium utriuſque Lombardiæ ad ann.* 1575.

(3) *Feſtus ibidem; & Memorial. Conv. ad eundem annum.*

lanum Inquiſitor eſt delegatus. (1) Fuiſſe autem Ferrarium in hoc etiam munere obeundo, ac pro rei dignitate ſuſtinendo, Ordini, & Eccleſiæ ornamento, ac præſidio, teſtimonium eſt minime tacendum, quod ex Franciſco Zava placet hic interponere duobus verſibus comprehenſum:

Quæſitor ſcelerum Ferrarius adſtitit unus
Julius Antiquæ Religionis honos. (2)

IV. Inter ipſam vero Familiarum noſtrarum, Fideique orthodoxæ procurationem, cui potiſſimum inſerviit, non exiguam partem curarum aliis quoque negotiis impertiit. Ut Ædes in primis, quas Cremonæ Fidei Quæſitores incolerent, in eam fere formam, quæ nunc viſitur, a fundamentis extruerentur, auctor fuit. (3) Hanc autem rationem iniit rei ad exitum perducendæ. Officinas aliquot ad Cœnobium pertinentes, & menianum, ſeu ſolarium eiſdem ſuper extructum emit a Patribus, ſolvitque pro fundo, & lapidibus nummos argenteos quingentos, & amplius, Severino Septempedenſi Cœnobii Præfecto. (4) Id tamen & aſſentiente Romano Pontifice, & ea lege, conventioneque peractum eſt, ut ſi quando cauſſarum Fidei agendarum poteſtas a Noſtris transferri in alios contigiſſet, emptio illa venditioque nullius omnino ponderis, & momenti haberen-

(1) *Petrus Martyr Feſtus loco laudato pag. 26, & Catalogi Inquiſitor Placent. & Mediolanen.*
(2) *Franciſcus Zava in Carmin. lib. 2.*
(3) *Petrus Maria Paſſerinus Hiſtor. MS. Conv. l. 2. n. 146.*
(4) *Paſſerinus ibid. n. 138., & 146., & Archiv. Conv. lib. O. fol. 399. Vide quæ diximus Hiſtoriæ lib. 2. c. 8.*

berentur .(1) Hunc itaque in modum Ædes illæ excitatæ, ſucceſſioneque temporis ad præſentem ſtatum perductæ. Deerat quoque locus & amplior, & honoratior, quam rei dignitas poſtularet, librorum collocandorum. Hujus etiam operis jamdiu meditati molitio ut perficeretur maximo Ferrarius adjumento fuit: Nam nummos aureos quadringentos, quos a Gente Ferraria jure quodam hæreditatis exegerat, in communem illam pecuniæ ſummam contulit, quæ ad inſignem hanc Bibliothecam ædificandam parabatur. (2) Sed et Cœnaculum illud permagnificum, quod nunc extat, fuiſſe magna ex parte Ferrarii impenſis extructum, vetus hæc oſtendit inſcriptio, quæ in ipſo Cœnaculo legitur.

Incept. & Perfect.
Generali Reverendiſſimo P. Magiſtro
Caballo Brixienſi
Provinciali Reverendiſſimo P. F. Julio Ferrario
ore jubente, ac ære juvante.

V. Dolendum eſt maxime virum in omni ſtudiorum genere apprime verſatum, quos ſcripſit in rem Philoſophicam, & Theologicam Commentarios non edidiſſe. Difficillimi enim cum ſint caracteris, ac vetuſtate pene corroſi, legi a poſteris vix, ac ne vix quidem poſſunt. (3) Ac de Julio Ferrario quidem (quod me.

(1) *Petrus Maria Paſſerinus loco cit., & Archiv. Conv. lib. I. fol.* 26.
(2) *Petrus Martyr Feſtus Chron. MS. c.* 3. *pag.* 7. *Paſſerinus lib.* 2. *n.* 101. & 102., & *Hiſtor. noſtr. lib.* 2. *c.* 9.
(3) *Memor. MS. Conv c.* 16. *pag.* 111. *Breſſianus Corn. &c. pag.* 167. *Ariſ. tom.* 3. *ad annum* 1575.

me non fugit) alia narrantur, quæ cum non ſint admodum explorata pro certis perſequi nec volumus, nec debemus. Hoc unum minime præteribimus. Mediolani cum eſſet, inter cæteros hominem quedmam Gaudentium nomine, captioſum, & vafrum, qui Catholicorum caſtra deſeruerat, ſeque Dæmone certe inſtigante in Lutheriana receperat, inita cum eo diſputatione, argumentorum vi adortus eſt tanta, ut falſi, deceptique convictum in priſtinum Eccleſiæ ſinum, a quo deſcriverat, revocarit. (1) Hæc igitur de Ferrario libavimus; quæ licet ſint pauca, tamen ſatis eſſe videntur, ut quiſque intelligat, quantus fuerit ille Vir. Graviſſimo tandem morbo correptus, quo mortem ſibi jam imminere perſenſit, divinis enixe petitis, adhibitiſque ſibi remediis, ſeptuagenario major Supremum Spiritum fudit, anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſeptimo, vel ut alii cenſent octavo exeunte, abſoluta jam quinta Cœnobii Cremonenſis Præfectura. (2)

LACTANTIUS RAMFOLDUS.

I. IN ea Brixienſis agri parte, quam Ollius Fluvius alluit, Urceis Novis non ignobili Venetorum Oppido Lactantius Ramfoldus honeſtis Parentibus natus eſt. Adoleſcens cum ſe ad ſacrum aliquod vitæ genus interno

(1) *Franciſcus Zava Carminum lib. 2., & Memor. MS. Conventus Noſtri c. 16. pag. 112.*

(2) *Conſtat ex Catalog. Priorum hujus Conv., & ex Memor. laudat. loc. cit.*

interno quodam ſpiritu ſentiret interdiu, noctuque quodamodo impelli, inita cum arbitris conſcientiæ ſuæ matura conſultatione, iiſdemque votum probantibus, in Ordinem Prædicatorum ſeceſſit. Sacro devinctus Inſtituto Brixiam primum Studiorum cauſſa, tum Bononiam cum eſſet miſſus, eos brevi progreſſus fecit, ut inter primos ſacrarum præcipue diſciplinarum Magiſtros & eſſet, & haberetur. (1) Fuit etiam perraræ prudentiæ, magnique conſilii vir earumque legum, quibus obſtrinxerat ſe ſe, accuratiſſimus cuſtos. Quare ne quid admitteret, quod eſſet a religioſa vivendi conſuetudine alienum, diligentiſſime cavebat, atque ut Ordinis decus, quoad fieri poſſet, promoveretur, quantum per ſe liceret, curabat.

II. His, aliiſque hujus generis cum jam longe, lateque emicare cœpiſſet animi dotibus, non ſemel delectus, cui frequentiorum Provinciæ Familiarum cura demandaretur, fuiſſet, niſi Socius Commiſſarii, ut vocant, Sanctæ Inquiſitionis in Urbe deſignatus Romam demigraſſet. (2) Quo in munere virtutum opinionem ſibi brevi conciliavit, exiſtimationemque tantam, ut vita functo paullo poſt Commiſſario, fuerit ſtatim a Gregorio XIII. in ejus locum, & dignitatem ſuffectus. (3) Per hoc idem tempus, cum antea ad Cœnobium Urcea-

(1) *Memorial. MS. Conv. c. 16. p. 108. Ariſius tom. 2. pag. 403. ad annu. 1588 Echard. tom. 2. pag. 285. Fontana Theatr. Dominic. p. 3. n. 8. Rovetta Bibliot. pag. 148. &c.*

(2) *Apud eoſdem Scriptores.*

(3) *Anno 1582. Ibidem.*

Digitized by Google

Urceanum pertineret, inter Dominicanos Domicilii Cremonenſis alumnos adſcriptus eſt (1) id confirmantibus anno poſtero Comitiorum Generalium Romæ celebratorum Patribus (2) Quæ ſane Ramſoldi in hanc Familiam cooptatio effecit, ut de eo quoque, quæ memoriæ digna ſunt, jure quodam meo perſcriberem.

III. Eo igitur magiſtratu auctus, cum de rebus graviſſimis ageretur, quærerentque ab Lactantio Ramſoldo, Supremi Fidei Quæſitores, quid ſentiret, ita ille occurrebat, ut uni ejus judicio, quod ab eo nonnumquam proferebatur ex tempore, conquieſcerent. Tanta erat ejus ſapientiæ, & eruditionis opinio. In referendis, exponendiſque cauſſis, quæ in eo purpuratorum Patrum, & Summorum Virorum Conventu tractari, definirique ſolent, cum maxime accuratus erat, tum brevis, idemque facilis, & perſpicuus ſic, ut qui eum audirent, jam ſtatim quam de re propoſita ſententiam ferre deberent, intelligerent. Pari modo ſe gerebat, cum de negotiis, quæ ad Magiſtratum ſuum pertinerent, certiorem eſſet ipſum Summum Pontificem facturus. Ad hæc, aliaque hujus generis multa cum accederet morum gravitas, vitæque ſeveritas quædam quæ non eſſet a comitate, facilitateque ſejuncta, fiebat, ut internoſci vix poſſet coleretur ne magis a Romanis, an ama-

(1) *Liber Receptorum ad Ord. pag. 23. ubi hæc habentur*: Anno 1582 menſe Decembri affiliatus fuit Conventui Cremonenſi Reverendiſs. P. Lactantius de Urceis Commiſſarius S. Inquiſitionis in Urbe-

(2) *Lib. MS. Receptorum ad Ordinem pag. 23., ubi hæc habentur poſt ſuperius allata verba*: *Quæ affiliatio confirmata fuit in Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1583.*

amaretur. (1) Interea dum majora Lactantio pollicebantur amici, in eum incidit morbum, cui præmature cedere coactus eſt XV. Kalendas Junias anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo octavo, cum vix ſextum attigiſſet ſuſceptæ procurationis annum, ætatis vero quintum ſupra quadrageſimum compleſſet. (2) Elatus eſt more Prædeceſſorum ſuorum in lecticula, ſepultuſque in Templo S. Sabinæ in Monte Aventino, ubi hæc legitur in ejus laudem inſcriptio.

In memoria æterna erit Juſtus.
P. M. F. LACTANTIO RAMFOLDO
Ex Urceis Brixiæ Ordinis Prædicat.
Provinciæ Lombardiæ
Sacræ, & Univerſalis Inquiſitionis
Generali Commiſſario
Sanctæque Fidei Zelatori
M. F. Petrus Vicecomes Tabien. Ejuſdem Ord.
Atque in S. Officio Socius poſuit.
Ob. MDLXXXVIII. Die XVIII. MAII.

Ejus in funere Orationem habuit elegantiſſimam Bonaventura Dolzonus Ordinis Prædicatorum Orator illorum temporum diſertiſſimus: (3) Ad quem, qui politiorem Ramfoldi vitam deſiderat, mittimus.

IV. Mirum ſane eſt, hominem tot, tantiſque curis

(1) *Vide præteris Vincentium Mariam Fontanam in Theatro Dominic. p. 3. c. de Miniſtris S. Inquiſitionis, & Rovettam ad annum* 1588.
(2) *Conſtat cum aliunde, tum ex ejus imagine picta, qua Cremonæ ſervatur.*
(3) *Ottavio Roſſi Elogj Storici di Breſſiani Illuſtri pag.* 399.

ris diſtrictum, atque immature adeo Nobis ereptum nonihil etiam temporis habuiſſe, quod voluminibus tribueret conſcribendis. Extant aliquot ejus libri in Bibliotheca noſtra Bononienſi latine confecti. In his quid rebus, & Cœremoniis ſingulis ad Sanctum Altaris Sacrificium pertinentibus contineatur, exponit exquiſitiſſime. Apoſtolorum Symbolum articulatim ita declarat, & explicat, ut magnam illi lucem afferat, quin ne minimum quidem ejus detrahat ſimplicitati. Eam vero precandi formulam, quam Orationem Dominicam vocamus, quod a ſupremo omnium Domino ſit inſtituta, ita eſt in uno volumine interpretatus, ut qui ejus explanationem legerit, incredibilem porro capiat ex eo precationis genere voluptatem. (1) Hæc ſunt, quæ de Lactantio Ramſoldo comperimus memoriæ tradita poſterorum. Cæterum his plura, potioraque haberemus, ſi diutius ille vixiſſet, fuiſſentque, qui de eo ſcripſerunt, paullo diligentiores.

CORNELIUS PEDRONUS.

I. Bozzuli, quod eſt Oppidum ſatis nobile, & frequens in Cremonenſium, & Mantuatium finibus, natus eſt Melchiore Patre, homine liberali, & ingenuo Cornelius Pedronus. (2) Ephebus poſtquam eſt factus, ut erat animo terrenis omnibus cupiditatibus

(1) *Andreas Rovetta ad annum 1588. citans Cozzandum in Bibliotheca Brixiana.*

(2) *Liber MS. Receptorum ad Ordinem pag. 3. Archiv. Crem.*

bus vacuo, atque ad res cœleſtes nativa quadam indole, optimaque educatione compoſito, de nulla re magis, quam de ſeceſſione in Sacrum Prædicatorum Ordinem cogitabat: Multa enim de hoc Inſtituto cum legerat identidem, tum audierat ſæpiſſime, quibus ad illud capeſſendum vehementius in dies incitaretur. Moderabatur per id tempus (1) Cremonenſem Prædicatorum Familiam venerabilis Senex, de quo ſuperius eſt dictum, Petrus Martyr Ruſca Luganenſis plurimorum ejuſdem Domus alumnorum parens, & nutritor egregius. Hujus igitur Cornelius magni Viri fama permotus, aliorumque Patrum ad eundem cœtum pertinentium, qui ingenti doctrinæ, virtutumque exiſtimatione florebant, exemplo, auctoritateque captus Cremonam acceſſit. Huc ut pervenit, Ruſcam Præfectum, gravioreſque Cœnobii Patres adiit, quibus & qui eſſet, & quid poſt longas, & ſerias conſultationes, exploratamque divini Numnis voluntatem, & Parentum aſſenſum ſe tandem facturum conſtituiſſet, fidenter aperuit. Ingenuam Adoleſcentis indolem, piumque deſiderium poſteaquam Patres intellexerunt, cognitamque ſingularem ejus docilitatem, & ingenii vim habuerunt, magnam in eo ſpem collocantes communi animorum conſenſione eum ſibi adjunxerunt. (2)

II. Sacris B. Dominici Legibus ſolemni ritu devinctus nullam non operam, diligentiamque adhibere cœ-

(1) *Anno 1541. ex Catalogo Priorum Cremonen.*

(2) *Die 25. Aprilis ann. 1544 ut conſtat ex Libro MS. Receptorum ad Ordinem & hunc Conv. pag. 3.*

pit, ut ſacrarum præcipue litterarum ſtudio, pietateque, ac vitæ integritate proficeret. Nullis itaque ferventiſſimus Juvenis ſolebat laboribus parcere nullis vigiliis, precationibus nullis, quibus utrumque conſequeretur & ſanam doctrinam, & veram, ac ſolidam pietatem, cum non ignoraret utramque eſſe homini, qui non tam ſibi uni, quam aliis prodeſſe velit, ſummopere neceſſariam. Licet ergo humanis, diviniſque Scientiis, quibus Noſtri erudiri ſolent, modo perdiſcendis, modo in Diſcipulos pro ratione muneris transfundendis eſſet vehementer intentus; non inde tamen abs legum vel minimarum obſervatione, vel a charitatis cæterarumque virtutum officiis ſe ſe minime patiebatur abduci. Amore propterea in Deum erat, quanto par eſt eum eſſe, qui ipſius Dei gratia res terrenas omnes ſponte valere juſſerit. In ſe ipſum diutiuſculus, in proximos ſuaviſſimus, effuſæque miſerationis, atque liberalitatis. Atque hi mores, & horum ſimiles incredibile eſt, quantum illi conciliarent exiſtimationis, & pretii: ut enim quiſque intimus erat Cornelio, ita ſuſpiciebat eum maxime. Hæc vero ſtudiorum ſuorum cum accuratiſſima vivendi diſciplina conjunctio brevi effecit, ut doctrina, & probitate ſingularis, & eminens non tam a Noſtris, quam ab exteris haberetur. (1) Cjus porro rei etſi cætera deeſſent teſtimonia, hoc eſſe poſſemus contenti uno.

III. Urbano VII. poſt dies Pontificatus treſdecim vita

(1) *Memor. MS. Conv. c. 15. pag. 103. Franciſcus Ariſius tom. 3. pag. 205. aliique non pauci.*

vita functo Nicolaus Sfondratus Patritius Cremonenſis ingenti Catholicorum gaudio ſuffectus eſt. (1) Atque ut annos ante ſeptem fuerat a Gregorio XIII. in Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium cooptatus, Gregorii XIV. nomine voluit appellari. Eccleſiam Cremonenſem cum ſanctiſſime rexiſſet anno triginta (2) Cornelium Pedronum, qui Cremonæ per id tempus interdum eſt commoratus, familiariter norat; atque ut erat acerrimi judicii Vir jam probe animadverterat, quanta Cornelius doctrinæ laude, conſilio, ac vitæ integritate valeret. Eum propterea, & amaverat impenſe, & plurimi ſemper fecerat. In ſummo igitur illo ampliſſimæ dignitatis faſtigio conſtitutus cœpit illico de viro graviſſimo eligendo cogitare, qui ſibi tot tantiſque curis implicito a privatis conſiliis, atque a ſacris potiſſimum Confeſſionibus eſſet. Circumſpectiſque multis eam occaſionem fortaſſe quærentibus, ſe ſeque ad id honorifici muneris obeundum ſponte offerentibus, Cornelium Pedronum, qui ab Urbe aberat, nilque expectabat minus, cæteris omnibus anteferendum judicavit. (3) Romam itaque accitus cum ab optimo Pontifice humaniſſime exceptus eſt, tum multis de ſummo Pontificatu verbis ultro citroque habitis, pleniſſimam Confeſſio-

 num

(1) *Die 6. Decembris ann. 1590. Ita Platina Vit. Summ. Pontific. pag. 333. Ciacconius tom. 2. pag. 1837. aliiq.*

(2) *Pellegrinus Merula Catalog. Epiſcop. Cremon. pag. 72. cui cæteri conſentiunt.*

(3) *Præter Memor. MS. Conv., & Franciſcum Ariſium loc. laudat., luculentius id declarat Petrus Martyr Feſtus Cornelio Pedrono fere æqualis in ſuo parvo Chron. MS. c. 12. pag. 24.*

num ejus excipiendarum poteſtatem accepit: qua ſtatis temporibus & magna ſui laude, & intimo Pontificis gaudio, piiſſimæque delectationis ſenſibus eſt uſus. (1)

IV. Igitur Cornelius, ut erat Gregorio apprime carus, ita ab omnibus hominum ordinibus magno habebatur in pretio. Tanti enim Principis gratia, quam maximam inierat, ſic utebatur, ut non modo, quod eſt perdifficile, in invidiam non venerit Romanorum, ſed eorum ſine offenſione benevolentiam, venerationemque perpetuo conſervarit, & auxerit. Verum cum optima ſpe Ordinem jam impleſſet univerſum, brevi ea cunctis evanuit. Siquidem Gregorius XIV. menſibus decem, ac diebus totidem, quam Pontifex declaratus eſſet, e vita migravit Idibus Octobris. Hujus poſt obitum cum & in aula, & in Urbe tota ſuborta fuiſſet, uti evenire ſemper hiſce in caſibus ſolet, ingens animorum perturbatio, rerumque improviſa commutatio, eadem Cornelius Pedronus animi tranquillitate, qua Romam acceſſerat, Cremonam reverſus eſt.

V. In priſtinam, neque tamen Romæ admodum intermiſſam vitæ conſuetudinem reſtitutus, reliquam ætatem perpetua omnium fere virtutum exercitatione tranſegit. Quamvis ea, quam diximus, dignitate, quæ ſummorum videtur eſſe virorum, fuiſſet ornatus, de ſe tamen ita demiſſe ſentiebat, ut, cum ſe omnium infimum, atque ad omnia ineptiſſimum exiſtimaret, de honorificentiſſimo illo munere, quo fuerat Romæ perfunctus, ne verbum quidem fieri pateretur. Cæteros vero

(1) *Ibidem.*

vero, qui aliqua præſertim virtute præſtabant, non diligebat modo, ſed colebat, habebatque tamquam vitæ ſuæ inſtituendæ magiſtros, & duces. De moribus ejus facillimis de liberalitate, de charitate in omnes effuſa quid plura commemorem? Ut erat ad omnem urbanitatem non tam excultus & factus, quam natus, mirum eſt, quam eſſet in loquendo prudens, & circumſpectus. Non modo neminem carpſit, neminem ſugillavit unquam, ſed ita cum omnibus eſt verſatus, ut & majores debita obſervantia ſit proſecutus, & æquales, minores, & infimos habuerit honeſtiſſime. Quanti vero faciebat omnes, tantundem avebat, ſe pro nihilo reputari. Quo fiebat, ut ſi quid diceret, ageretque palam, quod ſibi aliqua videretur commendatione dignum, nullam prætermitteret induſtriam, qua ſin minus ex toto, at ſaltem ex parte obtegeretur. Cæterum difficile dictu eſt, quibus artibus uteretur, & modis, ut nemini opera, nemini conſilio, nemini officio deeſſet. Erat denique, cujus animus Cornelii verbis, aut factis non caperetur, nemo. (1)

VI. Ad religionem ejus quod attinet, Deum ſemper, ac divina ſic coluit, ut quam ab honeſtis, religioſiſque Parentibus hauſerat, integerrimam pietatem, ad extremum uſque ſpiritum pertraxerit, & creſcente in dies ætate firmarit. Meditationibus ſupernarum rerum, precationibuſque conſuetis, quibus interdiu noctuque

(1) *Haud obſcure colliguntur ea omnia ex ſupra laudatis Scriptoribus, & & maxime ex Memor. MS. Conven. Chron. MS. Petri Martyris Feſti loc. cit.*

ex inſtituto intereſſe ſolemus, aderat ille perpetuo, ſumma cum gravitate, modeſtia, ac dignitate. Sed dolendum eſt maxime, quæ ſecreto egerit piiſſimus hic Vir, non eſſe Nobis, qui ſcribere explorata omnia conſtituimus, admodum comperta. Eſt tamen vetuſtiſſima in hoc Cœnobio Cremonenſi ejus imago picta, ex qua quæ fuerit ejus vitæ privatæ ratio haud obſcure conjicitur. Adſtat Cornelius coram Chriſto Servatore de Cruce pendente, junctis manibus, demiſſis oculis, extenuata facie, ſingularemque in Deum charitatem, ſuique contemptum, tota corporis habitudine ſpirans. Quam quidem effigiem archetypo æqualem qui diligentius inſpexerit, facile intelliget, præter diurnam, nocturnamque Cornelii Pedroni in Deo colendo aſſiduitatem, maciem illam, quæ in eo apparet, non tam ex infirma quadam valetudine, quam ex vigiliis, jejuniis, & voluntaria corporis maceratione profectam. Nam & flagella viſuntur prope Chriſti Imaginem ſuper abaco ligneo picta. Atque hæc habuimus, quæ de hoc Viro Lectoribus traderemus. Quæ quidem pauca, & ſummatim dicta non video, cur ſatis eſſe non poſſint, ut dicamus, inter illuſtriores Ordinis & Familiæ Cremonenſis Alumnos eum eſſe connumerandum. Anno a Virginis Partu milleſimo quingenteſimo octavo, & nonageſimo ſeptuagenarius, qua vixerat virtutum opinione pie, ſancteque deceſſit. (1) Elatus eſt incredibili Civitatis concurſu, certaruntque e populo multi, ut ex ejus reliquiis

(1) *Memor. MS. Conv Cremonen. c. 15. pag. 103., & Feſtus in ſuo Chron. loco ſæpius laudato.*

reliquiis aliquid ad venerandum decerperet. (1) Tantum valent in omnem Cœtum religioſa Sanctorum Virorum exempla.

PETRUS MARTYR FESTUS.

I. PETRUS MARTYR FESTUS, vel ut alii vocant Feſta Joannis Filius, cujus perilluſtri teſtimonio frequentiſſime in hoc Opere uſi ſumus, Urceis Novis eodem, quo Lactantius Ramſoldus, Oppido natus eſt. (2) Huic fere cum eſſet æqualis, arctioribuſque vinculis cum eo conjunctus, eidem Prædicatorum Ordini, in quem ille ſeceſſerat, ſtatuit ſe nomen daturum. Cremonam igitur cum veniſſet, ſeque Julio Ferrario, qui per id tempus Cœnobio præerat, obtuliſſet, magna ſui, & Patrum voluntate in hanc Familiam adlectus eſt. (3) Perſpicaciſſimo ut erat ingenio, & ſcientiarum amore vehementer incenſus, ſtudiorum ſuorum curriculum cum auſpicatus eſt avidiſſime, tum in eo percurrendo ita evolavit, ut brevi æqualium ſuorum pleroſque anteierit, ſuperiorem habuerit ea ætate fere neminem. Principes Academiæ noſtræ Bononienſis gradus conſecutus eſt omnes, ex iiſque uberrimam, quam ſibi comparaverat, doctrinæ, totiuſque eruditionis copiam communi omnium plauſu, ac diſcipulorum profectu diſpertiit. Inter Auditores, quos habuit, mul-

 tos,

(1) *Ibidem*.
(2) *Anno* 1549. *ex lib. MS. Receptorum ad Ordinem pag.* 4.
(3) *Anno* 1565. *die* 29. *Aprilis, ex eodem libro*.

tos, nactus eſt celebrem Joannem Michaelem Plodium Bononienſem, qui de Petro Martyre Feſto perhonorifice loquitur, multaque de eo narrat,(1) quæ ſatis oſtendunt, quantus omni fere virtutum genere fuerit ille Vir.

II. Ab eo igitur accepimus, præter omnigenam, qua valebat, eruditionem, ſingulari Feſtum fuiſſe aptitudine ad rem bene, optimeque gerendam; ob eamque cauſſam non uni, ſed pluribus, iiſdemque frequentioribus Provinciæ Cœnobiis ut præeſſet, delectum. Erat enim Vir gravis, & ſeverioris diſciplinæ amator, & obſervator eximius, idemque candidus, humanus, & liberalis admirandum in modum. Mediolanenſem igitur primum, tum Neapolitanam S. Catharinæ ad Formellum, deinde Brixienſem, Cremonenſem, Ferrarienſem, ac denique Venetam, eodem ſcribente Plodio(2) Dominicanorum Familias continuata quadam annorum, & præfecturarum ſerie adminiſtravit. Ea vero Domiciliorum noſtrorum procuratione juſtum æque, ac amabilem ita ſe præſtitit, ut nemo eſſet a quo non coleretur, nemo, a quo non amaretur impenſe; neque ab ulla unquam ſuorum ſocietate, cui ſemel præfuiſſet, diſceſſerit, quin magnum reliquerit imperii deſiderium ſui. Quod autem poſtulare jure quodam ſuo videbatur, ut propter egregiam, omnibuſque perſpectam regendi peritiam gravioribus univerſæ Provinciæ negotiis admove-

(1) *Jo: Michael Plodius O. P. p. 2. lib. 4. pag. 389.*
(2) *Jo: Michael Plodius p. 2. lib. 4. pag. 389. Item Dominicus Codalius in ſua Hiſtoria Urceana italice ſcripta.*

moveretur, id communi ejuſdem Provinciæ conſenſu decretum eſt. Hujus rei teſtem non alium, quam Feſtum ipſum de ſe modeſte ſcribentem appellamus. „ Cum „ eſſet, inquit, (1) Bononiæ Inquiſitor, & una celebre „ ſtudiorum noſtrorum Bononienſium Archigymnaſi- „ um moderaretur, in Comitiis anno milleſimo primo, „ & ſexcenteſimo Mantuæ celebratis, utriuſque Lom- „ bardiæ gubernio præfectus eſt, non dimiſſa cauſſa- „ rum Fidei agendarum poteſtate. Hæc de ſeipſo Feſtus. Non enim ea animi demiſſio, qua de ſe rebuſque ſuis ſentire ſemper conſuevit, ut plura, potioraque ſcriberet, patiebatur. Ut erat communi rei publicæ bono procurando quam maxime intentus, & Provinciam ſibi traditam, multis in eam collatis beneficiis, juvaſſe, & ſua humanitate omnium animos ſuaviſſimo quodam vinculo devinxiſſe, omniaque egregie præſtitiſſe qui negaverit, inveni neminem. (2) Nam & ſeveriorem diſciplinam cuſtodiebat ipſe, atque ut ubique coleretur, quoad ratio temporum, locorum, & perſonarum ſineret, diligentiſſime curabat. Ad omne optimarum artium, & ſtudiorum genus promovendum, amplificandumque perpetuam, ſolertiſſimamque dedit operam. (3) Quid autem mirum? Hæc præcipua eſſe mens, animuſque ſolet doctiſſimorum virorum, ut quo ipſi amore in ſcientias, & politiores artes feruntur, eodem

(1) *Petrus Martyr Feſtus in Chron. MS. c. 12. pag. 24.*
(2) *Dominicus Codaltus in ſua Hiſtoria laudata.*
(3) *Jacobus Echard. tom. 2. pag. 382., & 383.*

eodem alios incendere omnibus undique conquiſitis argumentis enituntur.

III. Hac igitur mente, talique modo cum ampliſſimam Feſtus Provinciam biennio adminiſtraſſet, ſeſeque, urgente jam ſenectute, deficere in dies ſentiret, in Cremonenſe Cœnobium, cui adſcriptus fuerat, ſe recepit. Huc cum perveniſſet, fuiſſetque magna Patrum, & Amicorum gratulatione exceptus, primoque, ut par erat, omnium loco habitus, hos ille honores, qualeſcumque hi ſint, parvi, flocci que faciebat: Nam ut erat Vir, quemadmodum dictum eſt, apprime doctus, & eruditus, ita longo rerum experimento didicerat, veram, ſolidamque doctrinam qui quærit, nova eum ſemper argumenta invenire ſeipſum deſpicandi. Ita igitur in Cœnobio verſabatur, ut pari fere conſuetudine principibus, & infimis uteretur. A conſuetis Ordinis occupationibus, nocturniſque vigiliis, licet deveziore jam eſſet ætate, aberat nunquam. Obedientiæ ſtudium, quibuſcumque rebus potuit, ita ſemper oſtendit, ut ad præfectorum ſuorum, quorum in verba præcipuo ſacramento juraverat, nutus ſe ſe paratiſſimum exhiberet. Cum aliis enim multo jam tempore imperaſſet, ajebat ſe, quid obedientia ſit, non tam obediendo, quam imperando didiciſſe. Ita denique ſibi vacabat, ut ad mortem uſque neque a legendo, neque a ſcribendo in communem Ordinis utilitatem, & ornamentum ceſſarit. (1)

IV. Haud facile vero dictu eſt, quot, & quantis hanc domum

(1) *Inter cæteros Memor. MS. Conv. c. 16 pag. 113., & 114.*

hanc domum beneficiis ornarit, & auxerit Feſtus. Cenſus emit, latiores Sacrarii menſas refecit, ſacram ſupellectilem novis comparatis Caſulis, aliiſque pretioſis veſtibus amplificavit. (1) Sed & ſingulis Templi columnis ſingulas appendi curavit tabulas pictas, quæ Sanctos Ordinis Viros, & Fœminas referrent, earumque columnarum ſtylobata ſericis periſtromatibus inveſtiit, (2) multaque alia fecit, quæ ſatis declarant, quanto eſſet in rem noſtram ſtudio animatus. Vivebat adhuc anno milleſimo duodecimo, & ſexcenteſimo. Eum tamen ante annum milleſimum ſexcenteſimum decimum nonum obiiſſe cenſet Echardins; ingenti probitatis, & doctrinæ fama relicta:

V. Qua Feſtus eruditione valeret; in iis maxime voluminibus, quæ confecit, & edidit, clarius eluceſcit, quam ut ullo egeamus hiſtorico Scriptore, qui id nobis affirmet. Juris Fidei dicundi peritiſſimus cum eſſet, inſtitutionem quandam elucubravit brevem, nitidam, & accuratam, qua Miniſtros Sacrorum Quæſitorum Oppidanos ad rite inquirendum doceret. (3) In alio item volumine cuncta, quæ in Comitiis ſive generalibus, ſive ad utriuſque Lombardiæ Provinciam pertinentibus, a Concilii Tridentini temporibus ad annum uſque milleſimum tertium, & ſexcenteſimum pro eadem Provincia ſunt acta, diligenter collegit. Nulla enim eſt lex, declaratio nulla, nulla rerum in melius immutatio,

(1) *Petrus Maria Paſſerinus Hiſtor. MS. Conv. lib. 1. c. 1. n. 281., & 284., & lib. 2. n. 71., & 86.*

(2) *Idem Paſſerinus lib. 2. n. 88., & 89., & Memor. ibidem.*

(3) *Edit. Bononiæ anno* 1600.

tatio, quæ non ſuo tempore, & loco ſit notata. (1) Tertium quoque librum compoſuit, quo ingenti ſane labore, & induſtria ſeriem contexuit eorum omnium, quæ illuc uſque conſtituta, declarataque fuerant pro bono tuendo, promovendoque univerſi Ordinis Prædicatorum regimine. His privilegia, quibus Summi Pontifices optimam in nos voluntatem liberaliter declararunt, adjunxit: Eidemque volumini intexuit normas omnes, atque præſcripta, quæ ad Virgines Deo Sacras, atque Ordini Noſtro quomodocumque ſubjectas bene, religioſeque inſtituendas manarunt, adnexis ad calcem Comitiorum generalium anno milleſimo ſexcenteſimo decimo octavo celebratorum Actis. (2) Quarto denique volumine conciones edidit, quæ eſurialibus diebus antepaſchalibus haberi ſolent, latine conſcriptas. (3) Hiſce jam editis, teſtatur Andreas Rovetta, (4) eximios quidem, haud tamen vulgatos ſcripſiſſe Feſtum in primam, & tertiam Theologiæ S. Thomæ Aquinatis partem Commentarios, quibus nil utilius eſſe poteſt iis, qui aliquo deſiderio tenentur Angelicæ illius mentis penitius aſſequendæ. Optandum, ut hi quoque in lucem prodirent: quod enim auditoribus olim contulerunt, cum Bononiæ ab eo traderentur, hoc nunc legentibus commodum, & emolumentum afferrent.

DESI-

(1) *Edit. ſimiliter Bononiæ anno 1603.*

(2) *Edit. Bononiæ, & Cremonæ 1612. iterum Bononiæ correct., & auct. 1618. Antverpiæ typ Henrici Ærtſſii 1619. in 8. pag. 418., & Monialium pag. 78. Pariſiis Michaelis Sonnii 1620. in 4. pag 454.*

(3) *Cremonæ Marc. Anton. Belpier. 1614. in 8.*

(4) *Rovetta ad annum 1609.*

DESIDERIUS SCALIA.

I. HIC Magnus Vir per omnes ætatis gradus doctrina, & virtute adeo crevit, exſplenduitque, ut eam tandem dignitatem ſit conſecutus, qua nulla in terris ſublimior, uno excepto Pontificatu maximo. Sed ab initio eſt ordiendum. Ejus Pater Joannes Paullus Cremonæ honeſto loco natus, (1) liberaliterque educatus cum in juventute cauſſarum agendarum ſtudio ſe dediſſet, Brixiamque, ubi in ejuſmodi exerceretur munere, ſe contuliſſet, uxorem duxit, ex qua natus eſt Deſiderius, cui fuerat, antequam noſtris adjungeretur, Joannes Baptiſta nomen. Natus eſt igitur Brixiæ quidem, ſed Patre Cremonenſi. In Patriam reverſus, atque humanioribus litteris diligenter excultus, annos cum vix ſexdecim attigiſſet, a Dominico Bazzardo Treviatenſi Prædicatorum Cremonenſium Præfecto ut in eorum numerum cooptaretur, communi omnium ſuffragio impetravit. (2) Circumacto probationis anno Bononiam profectus eſt ſtudiorum perficiendorum cauſſa. (3) His adeo incubuit, ut non ſolum celerrime acci-

(1) *Joſeph Breſſianus Scaliæ contemporaneus Coron. Vir. Illuſtr. Cremon. lib. 1. p. 2. pag. 74., & 75. cui ſubſcribit Franciſcus Ariſius tom. 3. pag. 50., & ſeq. Item Memor. Conv. Cremon. c. 12. pag. 76. Liber denique MS. Receptorum ad Ord. pag. 5. tergo.*

(2) *Liber MS. Receptorum ad Ord. pag. 5. tergo ad annum 1584. ubi hæc habentur: F. Deſiderius de Cremona in ſæculo vocatus Jo: Baptiſta Filius D. Joannis Paulli de Scaliis natus, & Baptizatus Brixiæ in Parochiali S. Clementis die 26. Septembris 1568., receptus eſt ad habitum Clericalem nomine hujus Conventus S. Dominici Cremonæ unanimi voto Patrum, & totius Capituli per R. P. Dominicum Bazzardi de Treviato Priorem die 14. Auguſti 1584.* (3) *Ecchard. tom. 2. pag. 501.*

Digitized by Google

acciperet, quæ ſibi ab Inſtitutoribus tradebantur, verum etiam in bonum, perfectumque ea in ſuccum converteret. Erat enim in Juvene præter memoriæ facilitatem, magna ingenii vis, acerrimique judicii firmitas, atque ſolertia. Doctorum ornatus inſigniis Cremonæ primum, tum frequentioribus Provinciæ in Urbibus, omni doctrinarum, quo ipſe affluebat, genere, diſcipulos erudivit. Neque id ſatis habuit. Nam arte quoque bene, ornateque dicendi cum mirifice, ut ea ferebant tempora, delectaretur, fuiſſetque a natura ſingulari quadam ſuavitate vocis, atque oris inſtructus, Urbes multæ, in quibus eſt commoratus, & eximium in eo Theologum admiratæ ſunt, & diſertiſſimum oratorem. (1)

II. Ad ejus doctrinam, & dicendi vim cum par prudentia, & morum gravitas acceſſiſſet, idque Romæ Auguſti Patres ſupremi Fidei Quæſitores reſciviſſent, Deſiderium Scaliam elegerunt, qui Ticinenſibus cum poteſtate in hæreticam pravitatem inquirendi præeſſet. (2) Eam ſibi demandatam Provinciam poſteaquam annos aliquot honeſtiſſime geſſiſſet, ad Cremonenſem, quæ & amplior, & honoratior habebatur, anno milleſimo ſeptimo, & ſexcenteſimo eſt promotus. (3) Sed non eſt prætereundum quid illi acciderit hoc loco. Exacto vix, ac ne vix quidem poſt ejus in hanc Urbem adventum unius anni ſpatio, ecce nuncius affertur, improviſo correptum morbo in itinere, qui in Templo Urbis

(1) *Beſſianus, Echardius. Ariſius, cæterique omnes.*
(2) *Petrus Martyr Feſtus in ſuo Chron., & Catalog. Inquiſitor. c. 12. pag. 26. & Memor. MS. Conv. c. 12. pag. 76.*
(3) *Ibidem, & in Catalog. Inquiſitor. Cremonen.*

Digitized by Google

Urbis maximo quotidianas erat conciones quam proximo majoris jejunii tempore habiturus (1) Hoc accepto nuncio Paullus Sfondratus, qui Cæſari Speciano in Epiſcopatu Cremonenſi ſucceſſerat, cum vehementer timeret, ne ob nimias temporis anguſtias neceſſario oves ſibi concreditæ ſpirituali cibo deſtituerentur, nec quempiam inveniſſet, qui id oneris in ſe repente recipere vellet (erat enim ipſum fere ſacrorum cinerum pervigilium) ad Deſiderium Scaliam Fidei Quæſitorem perfugit omni animi fiducia ſignificans, ſe in eo uno ſpem denique omnem collocaſſe, qui tam gravi Cremonenſibus imminenti malo mederi & pro viribus poſſet, & pro ſua in proximos charitate vellet. Id ſi feciſſet, uti majorem in modum orabat, & populo utilem, & ſibi gratiſſimam operam impenſurum. Non potuit Deſiderius, quin tam officioſæ, tamque honorificæ petitioni obſequeretur, ſibique impoſitum ab humaniſſimo Antiſtite inopinatum onus ſuſciperet. Conſtituto itaque tempore in ſuggeſtum Majoris Templi conſcendit, ex eoque cœpit, perrexitque quotidie tam copioſe, & erudite, tamque eleganter, & fervide de rebus divinis, ad Cives, & populum dicere, ut ambigeretur, pluſne auditoribus, qui ad eum certatim confluebant, admirationis attulerit, an emolumenti (2)

III. At vero non diu potuerunt Cremonenſes, quemadmodum vehementer optabant, uti Deſiderii Scaliæ, con-

(1) *Breſſianus lib. 1. p. 2. pag. 74. qui aderat, aliique.*

(2) *Joſephus Breſſianus in ſua Corona Virorum Illuſtr. Cremonen. loco cit. qui inter Scaliæ Concionantis Auditores unus fuit.*

conſuetudine. Anno ſiquidem milleſimo, ſexcenteſimo, & quartodecimo cum eadem, qua Cremonam venerat, poteſtate ad Mediolanenſes miſſus eſt. (1) Ampliſſimam illam Provinciam ingenti omnium voluptate cum rexiſſet annos tres, ob egregiam ejus fidem, ſingularemque in rebus pro dignitate gerendis prudentiam, dexteritatemque a Pontifice Optimo Maximo Paullo hujus nominis V. Romam accitus, generalis, ut vocant, Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis Commiſſarius eſt inſtitutus. (2) Eo in munere, ut erat Vir in conſultationibus acer, vividique ingenii, atque eximiæ integritatis, magni eſſe cœpit apud omnium ordinum Viros, eamque, quam ſibi in Inſubria pepererat, exiſtimationem auxit, confirmavitque ſic, ut nil ſupra eſſe poſſe videretur.

IV. Romæ fuerat per eos dies in carcerem conjectus inſignis ille Hæreticus relapſus Marcus Antonius De Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis, qui celebrem de Republica Eccleſiaſtica librum in Anglia vulgarat. Hunc vinculis detentum, & proxime moriturum Deſiderius, cui a Romano Pontifice ejus cauſſæ continuatio fuerat demandata, humaniſſimis ſuaſionibus, validiſſimiſque argumentis ad errores, quos ſcripſerat, atque in vulgus ſparſerat, deteſtandos adduxit. (3) Sub idem fere tempus homines quoſdam detexit ſceleratiſſimos, qui tenellum infantem Dæmoni immolare conſtituerant, iniquiſ-

ſima

(1) *Jacobus Echard. tom. 2. pag. 501. & præ cæteris Catalog. Inquiſitor. Mediolanen. ad annum 1614.*
(2) *Idem Echard. cæterique omnes.*
(3) *Jo: Michael Cavallerius tom. 2. pag. 236. Ariſius tom. 3. pag. 208., & Memor. Conv. c. 12. pag. 77. aliique.*

ſima theſauri inveniendi cauſſa. Hos ad horam noctis quartam in loco, cui *ſeptem aulæ* nomen, innocentem eam victimam jugulaturos improviſo deprehendit, ab incœpto deterruit, in carcerem truſit, promeritaſque eiſdem pœnas pro tentato facinore inflixit. (1)

V. Hiſce cognitis, atque in dies magis perſpecta inter cæteras virtutes eximia rerum Eccleſiæ agendarum peritia, & jurium tuendorum ſtudio, Paullus idem V, qui Deſiderium Scaliam Romam evocaverat, poſt annos quatuor in almum Cardinalium Collegium retulit III. idus Januarias, eique Epiſcopatum Melphienſem decrevit in Lucanis. (2) Erat hic annus poſt Chriſtum natum milleſimus ſexcenteſimus primus, & viceſimus. Atque ut hujus læti ſucceſſus certiores in primis fierent Cremonenſes, miſit Deſiderius per Tabellarium ad eos literas officii, humanitatiſque pleniſſimas, neque alio, quam *Cardinalis Cremonenſis* nomine firmatas: (3) Eos interea monebat, nil ſibi eminenti adeo dignitate ornato accidere optabilius, nilque jucundius poſſe, quam ut cariſſimos cives quoquo modo juvare ſuos deinceps valeret. Id, ſi occaſio tuliſſet, omni, quantum in ſe eſſet, animi contentione, & opera curaturum. Lectis ingenti gaudio Cremonenſes his litteris Tabellarium cum muneribus dimiſerunt; atque Eminentiſſimo Civi cum ſummopere gratulati ſunt, tum pro ejus optima erga Patriam voluntate gratias, quas

(1) *Cavallarius, aliique locis laudatis.*

(2) *Chron. Magiſtrorum General. O. P. c.* 18. *pag. mihi* 112. *& Ughellus Ital. Sacr. tom.* 1. *inter Melphienſes.*

(3) *Joſeph Breſſianus lib.* 1. *p.* 2. *pag.* 7. *Coron. Idem in Roſis, & Violis p.* 15.

potuerunt, maximas egerunt. Facta denique certatim in univerſa Civitate, tum maxime a Noſtris ingens amoris, & lætitiæ ſignificatio (1).

VI. Inter hæc Paullus V. Pontifex Maximus ſenio, curiſque confectus e vita deceſſit: congregatiſque novo creando Chriſti Vicario Comitiis, Pontifex declaratur Gregorius eo nomine XV., Alexander Ludoviſius antea appellatus. Hic & pro veteri amicitia, & quod Scaliam plurimi ſemper fecerat, ab Epiſcopatu Melphienſi ad Novocomenſem tranſtulit, in eamque priorem Cathedram ejuſdem Scaliæ rogatu Lazarum Caraffinum civem Cremonenſem, ejuſque Domus Præfectum ſuffecit. (2) In hac rerum commutatione quod dolori Melphienſibus, id lætitiæ Novocomenſibus fuit, quod quem illi amitterent, hi magnum eſſent Paſtorem habituri. Novocomenſium regimini manum vix dum admoverat, & ecce Romam iterum evocatur. Nam Gregorio XV. per id temporis vita functo, cœptum eſt illico ab Auguſtis Patribus de novo eligendo Pontifice cogitari. In viam igitur ſe dedit, & Romam recta contendit ob eam cauſſam Deſiderius. Quo cum perveniſſet, & perhonorifice a Collegis omnibus habitus eſt, & eorum, quibus erat valde carus, & intimus, atque ob eximias virtutes probariſſimus, parum abfuit, quominus efficerent, ut ſummus in eum caderet Pontificatus. (3) Verum Comitiis in plures dies extractis,

ac

(1) *Joſeph Breſſianus, qui Cremonæ eo vivebat anno totidem fere verbis.*
(2) *Ughellus Ital. Sacra tom. 1. inter Melphien., & tom. 5. inter Comenſes. Item Fontana in Theatr. pag. 39. 177. 233. & 545. præter laudatos.*
(3) *Breſſianus Coron. Viror. Illuſtr. Cremon. lib. 1. p. 2. pag. 75.*

ac rebus diu, multumque agitatis, octavo denique idus Auguſti anno milleſimo ſexcenteſimo tertio, ac viceſimo Pontifex creatus eſt Urbanus hoc nomine VIII., Barberinus.

VII. Rogato, ſi quid juberet, adoratoque novo Pontifice, omnibuſque Collegis, & Amicis valere juſſis, ad ſuum Deſiderius gregem reverſus eſt. Verumtamen neque hunc paſcere diu potuit, ut optabat. Urbanus ſiquidem VIII. cum prope immenſam negotiorum multitudinem expediendorum circumſpexiſſet, atque egere ſe viro cognoviſſet, qui in ſacris ſibi conſultationibus, rebuſque univerſæ Eccleſiæ procurandis adeſſet, Deſiderium Scaliam, cujus ſapientiam, virtutemque habebat omnino perſpectam, ut dimmiſſo Epiſcopatu ad ſe quamprimum accederet, juſſit. In ejus vero locum, ne ſuo Novocomenſes Paſtore viduarentur, Lazarum Caraſinum, quem ſupra memoravimus, ſubrogavit; atque ad Cathedram Melphienſem, quam Caraſinus occuparat, Deodatum Deſiderii Scaliæ ex ſorore nepotem promovit. (1) Melphienſibus itaque præfuit annum unum, Novocomenſibus quatuor: Utrobique vero ea vigilantia, ſollicitudine, atque in egenos, & divinum cultum munificentia ſe geſſit, ut utraque Civitas a ſe diſcedentem multis cum lacrymis proſecuta ſatis oſtenderit, quantum ille reliquerit deſiderium ſui.

VIII. Perpetuum igitur Romæ domicilium cum ſtatuiſſet, ita in conſilium a Summo Pontifice adhibebatur, ut nullus fere fieret Purpuratorum Patrum conventus,

(1) *Ughellus, & Fontana locis cit., & Breſſianus in Roſis, & Vialis pag. 15.*

ventus, nulla de rebus graviſſimis conſultatio iniretur, cui pro ſuprema Pontificis auctoritate non intereſſet, ab eoque cæteri veluti ab oraculo non penderent. (1) Id autem apparuit tum maxime, cum nonnulli eo ſtudia ſua contuliſſent, ut juribus derogarent, atque immunitatibus, quibus celebris Virorum, fœminarumque Societas, quam Roſarii vocamus, anteactis uti temporibus conſueverat. Nam ſic Adverſariorum rationes, & conatus omnes eluſit Deſiderius, ac fregit, ut uni ejus ſententiæ acquieverint omnes, & firma, rataque in poſterum habuerint cuncta, quæ fuerant a Summis Pontificibus eidem Sodalitati conceſſa. (2) Sed in his, aliiſque cauſſis patrocinandis efficacitatem ita cum ſuavitate, & comitate miſcebat, ut qui cum eo contendebant interdum, non modo victi, perſuaſique diſcederent, ſed ultro ipſi mutata ratione ipſius cauſſam, quam oppugnandam ſuſceperant, ſtrenue poſtmodum tuerentur.

IX. Innumeris Chriſtianæ Reipublicæ negotiis per omnem fere ætatem intentus nonnihil etiam temporis carpſit, quo doctrinæ ſuæ monumentum aliquod relinqueret diligentiæ, & commodo poſterorum. Sunt Deſiderii Scaliæ libri duo Cremonæ vulgati, (3) quorum primo Symbolica Hyppoliti Mithologia continetur; in altero de ſacris Sanctorum reliquiis agitur, quæ in Cremonenſi Dominicanorum Templo publice exponi ſolent,

(1) *Breſſianus loco ſæpe laudato, & Ariſius tom. 3. pag. 50., & ſeq.*

(2) *Rovetta in ſuo Opuſc. MS. cui titulus: Anima totius Alanei Operis pag. 424 Item in una Bononien. Petro Lavvet in Theſaro Roſarii pag. 155.*

(3) *1. Cremonæ typis Zanni anno 1594. in 4. 2. Ibidem typis ejuſdem Zanni anno 1595. in 12.*

lent, & coli. Sed ab Andrea Rovetta Brixienſi, (1) qui teſtem hujus rei Vincentium Rivalium appellat, accepimus, alia quoque a Deſiderio confecta volumina, orationum videlicet, & carminum libros duos; viam quandam expeditam, & brevem ad Fidei cauſſas pertractandas; tum rationem in ſagas, & veneficos inquirendi accuratiſſimam; Indicem denique cauſſarum, quæ ad ſacros Fidei Quæſitores pertinent, locupletiſſimum, cujus exemplar, quod in Ariſiano Tabulario ſaſervabatur, fatali fuit incendio conſumptum. (2) Atque hæc quidem elucubravit ille, ut opinor, dum ſacro Quæſitoris munere fungeretur. Cæterum totus ejus vitæ curſus perpetua fuit in omni ſtudiorum genere exercitatio, ut non prius a labore ceſſarit, quam extremum ſpiritum fuderit.

X. Ad mores ejus quod attinet, jam multa ſparſim dicta ſunt, quæ repetere non eſt neceſſe. Hoc tamen non præteribo. Etſi eas ſit dignitates aſſecutus, quæ non viderentur poſſe cum eo, cui ſe devinxerat, Inſtituto conjungi, ab his tamen, quoad potuit, nunquam paſſus eſt ſe ab illa, quam in adoleſcentia inierat, vitæ conſuetudine abduci. In iis vero ita eſt verſatus, ut qui habebantur ei honores, & cultus, hos dignitati, quam gerebat, non ſibi, ſuiſque rebus tribuendos putaret. A quibus beneficium vel minimum accepiſſet, his erat perpetuo gratiſſimus. (3) In omnes vero ita officioſus

(1) *Andreas Rovetta in ſua Biblioth. Chronol. Illuſtr. Viror. Provin. Lomb.*
(2) *Ariſius tom. 3. pag. 50. & ſeq.*
(3) *Chron. Magiſtr. General. Ord. c.* 18. *pag. mihi* 113. *Item Jo: Michael Cavallerius tom. 2. pag. 235., & tom. 1. pag. 585.*

& comis, ut ejus obſervantia non modo nullam ſuſpicionem injiceret, ſed omnibus eſſet carior, quod eam non ab timore aliquo, aut ſpe, ſed a quadam naturæ indole profectam viderent. His igitur, aliiſque multis animi dotibus cum explenduiſſet, atque annos ſeptuaginta tali modo compleſſet, in morbum incidit, quo brevi abſumptus eſt XVI. Kalendas Septembres anno milleſimo ſexcenteſimo nono, & triceſimo. (1) Fuit in Templo S. Caroli ad curſum, cujus titulo erat inſignitus, magna funerum pompa, populique frequentia ſepultus; eſtque ibidem tanti Viri Epitaphium his verbis inciſum.

D. O. M.
DESIDERII SCALIÆ
Ex Prædicatorum Familia Cardinalis
Vita, Dum Deſideratur, Eripitur,
Et Quod De Eo Condii Potuit
Sub Marmore Jacet.
Cæterum Eximiæ Ejus Virtutes
Per Ora Volant.
Fr. Deod. Scal. Epiſcop. Alexandrin.
Avunculo Beneficientiſs.
Grati Animi Exiguum Argumentum
Poſ. An. Sal. M. D. C. LIII.

LAC-

(1) *Ibidem*.

LACTANTIUS CERIOLUS.

I. Lactantius Ceriolus Cremonæ Galeatio Patre honeſto Viro, atque integro natus. (1) Annorum cum eſſet quindecim, in Cremonenſem hanc noſtram Societatem, uti enixe petierat, adſcitus, & omne ſtudiorum genus, in quo Noſtrates verſari ſolent, avidiſſime auſpicatus, felicitate proſecutus eſt tanta, ut brevi Cœnobium, cui adſcriptus fuerat, condecorarit, & Patriam. Quantam enim vero doctiſſimorum virorum exiſtimationem ſibi conciliarit, & gratiam, hoc ſatis eſt teſtimonium. Solebant per ea tempora, cum alicubi Generalia Ordinis Comitia eſſent habenda, ex nobilioribus ſaltem Provinciis eligi ſinguli, qui communibus Cœnobiorum impenſis ad eadem Comitia mitterentur, ut inter eorum celebrationem publicum aliquod ingenii ſui periculum facerent. Igitur pro rei, ac loci dignitate diligentiſſime conquirebant undique Patres, quem mitterent. Accidit, ut ea celebrari Comitia deberent Lutetiæ Pariſiorum ab Auguſtino Galaminio univerſi Ordinis Magiſtro Generali tertio, & ſexageſimo indicta. (2) Quærendus itaque erat ex utriuſque Lombardiæ Provincia, qui in ampliſſima illa Scientiarum Sede par eſſet præ cæteris tanto oneri ferendo. Circumſpectiſque omnibus, qui ad id operis idonei quoquomodo viderentur, haud melius ar-

(1) *Natus eſt 1. Octobris 1573. Receptus ad Ordin. nomine hujus Conventus 27. Novembris 1588. Petro Martyre Feſto Præſide. Ita ex lib. MS. Receptorum pag. 6.*

(2) *Chron. Magiſtr. General. Ord. c. 18. pag. 111. ad ann. 1611.*

bitrati ſunt Patres ſe rem Provinciæ facturos, quam ſi Lactantium Ceriolum, qui per id tempus Theologiam Cremonæ profitebatur, reliquis antetuliſſent. Itaque hunc delegerunt, & Lutetiam Pariſiorum miſerunt. (1)

II. Illuc ut eſt perventum, conſtituta die, ac hora & cum ſapientiſſimis, & coram innumeris omnium Ordinum Viris pugnatum deſcendit. Eo in certamine ſtrenue adeo, eruditeque ſe geſſit, ut vel ex hoc uno cognoverint Galli, & qui adſtabant univerſi, quantorum Italia, Cremonaque Civitas ſit parens, & altrix virorum. Quæ illa in concertatione propugnavit Lactantius, juſto edidit volumine hoc titulo: *Excelſum Deiparæ Virginis encomium ex Thomiſtica doctrina decerptum*. Capitibus conſtat ſeptem, & viginti, quibus Hymnus ille, cujus initium eſt carmen, *Ave Maris Stella*, mirum in modum illuſtratur. Exſtat cum alibi, tum in regia Bibliotheca Pariſienſi. Hujus in Indice maximo alia eidem volumini adnexa, ab eodemque Lactantio & edita, & propugnata leguntur de Chriſto Servatore, deque Euchariſtiæ potiſſimum Sacramento: ex quibus facile, qui legerit, intelliget, quanta ille fuerit, eruditione, ac doctrina. (2)

III. Dum hæc Lutetiæ Pariſiorum agebantur, urgebat tempus, ut poſt Petrum Caſarolium Fidentinum Dominicani Cremonenſes novum ſibi Præfectum eligerent.

(1) *Jacobus Echardius tom. 2. pag. 377. ad annum* 1611.

(2) *Edita ſunt Cremonæ typis Draconii, & Zannii anno* 1611. *in* 4. *pag.* 56. *exſtat Pariſiis in Regia D.* 1137. *De Euchariſtia in* 4. *pag.* 24. *Vid. Echard. loco cit.*

gerent. Hi, quod Lactantii non doctrinæ modo ſupellectilem, ſed prudentiam quoque ſingularem, & morum gravitatem ſatis perſpectam habebant, eum ſibi præficere conſtituerunt, ac dimiſſis Comitiis Pariſienſibus Cremonam reducem in Petri Caſarolii locum ſuffecerunt. (1) Huic Lactantius Præfecturę meritis longe magis, quam ætate maturus, licet parendi multo eſſet, quam imperandi cupidior, ne tamen Majorum voluntati obniti quoquo modo velle videretur, manum admovit; ac primum omnium ad fovendam, promovendamque, quantum per ſe poſſet, domeſticam diſciplinam adjecit animum. Itaque in ſublevandis omnium & animi, & corporis neceſſitatibus curam, & vigilantiam adhibere pluſquam paternam cœpit. Tum vero ea in ſingulorum officiis exigendis, erratiſque puniendis moderatione, ac dexteritate uſus eſt, ut qui ejus ſuberant poteſtati non tam in ſui Præſidis voluntate perficienda, quam præveniendа certantes vidiſſes. Qua gubernandi ratione, quæ in multis deſideratur, ampliſſimam ſibi viam cum ad alias Præfecturas, tum maxime ad Bononienſem aperuit. (2)

IV. Bononiæ igitur haud ita multo poſt cum ageret, frequentiſſimamque eam Familiam adminiſtraret, Conſtantino Gandino Brixienſi univerſæ Provinciæ Moderatore Patavii vita functo, (3) indicta a Lactantio demortui Gandini Vicario pro ſucceſſore eligendo Comi-

(1) *Catalogus Priorum Conv. S. Domin. Cremon. ad ann. 1612.*

(2) *Catalogus Priorum Bononien. ad annum 1620. Item Memor. MS. Conv. S. Domin. Cremon. c. 19. pag. 145.*

(3) *Catalogus Provincialium utriuſque Lombardiæ ad annum 1621.*

Comitia. His anno poſtero Bononiæ celebratis, cum multi eſſent, qui pares ei muneri haberentur, unus ante omnes Ceriolus ad id obeundum viſus aptior eſt Patribus. Electione, aliiſque rebus ingenti omnium conſenſione peractis, Provinciæ Magiſtratum Lactantius iniit; (1) quem ita geſſit, ut præconceptæ de ſe expectationi apprime reſponderit. Animo præjudiciis, ac perturbationibus vacuo cum eſſet, æqui in primis, juſtique tenaciſſimus fuit. Tum candidus, firmus, & conſtans, qui nulla omnino gratia flecteretur, nulla a recto dimoveretur auctoritate. Sed idem inceptam benevolentiam, & charitatem ſuorum erga ſe, qua erat affabilitate, manſuetudine, aliiſque animi dotibus, mirum in modum nutrivit, & auxit. His ad rem bene gerendam aptiſſimis adjunxit induſtriam. Nam diligentiſſime ſemper cavit, ne quid diceret, ageretque, quo quiſquam non dicam credere, ſed ne ſuſpicari quidem poſſet, ab illo ſe minus vel diligi, vel probari, quam ratio meriti poſtularet. Id quod non callidum indicat, aut vafrum, ſed prudentem virum. Quibus rebus effectum eſt, ut eandem non modo, ſed in dies majorem ex ejus regimine delectationem perceperint Patres, quam cum ad Provinciam adminiſtrandam eum promoverunt. (2)

V. Expleto ingenti cum laude procurationis ſuæ biennio, cum non eſſet adeo devexa ætate, ut inſignio-

rem

(1) *Anno 1622. Ex eodem Catalogo.*

(2) *Conſtant ex Memor. præcipue MS. Conv. S. Domin. Cremon. c. 19. pag. 145.*

rem aliquam Præfecturam gerere, antequam moreretur, haud poſſet, Mediolanenſi Prædicatorum Familiæ præfectus eſt. Hanc autem moderabatur Lactantius, cum Joſephus Breſſianus, cujus teſtimonio in hoc opere ſæpe uſi ſumus, de Viris Illuſtribus Cremonenſibus ſcriberet. Scribebat autem anno a partu Virginis milleſimo ſexcenteſimo quinto ac viceſimo: cujus de Lactantio Ceriolo hæc ſunt fere verba a nobis latine reddita: vivit, inquit, ſuarum legum diligentiſſimus cuſtos, ſuorumque Mediolanenſium Fratrum Præfectus. Hujus egregiæ virtutes, & mores id cauſſæ ſunt, cur non modo a ſuis, verum ab exteris etiam & ametur, & magno in pretio habeatur. Hæc de Lactantio Breſſianus. (1) Quæ a nobis autem hactenus dicta ſunt, ea tantum ad noſtram memoriam de ejus vita, & rebus geſtis pervenerunt. Nam neque a Breſſiano ipſo, neque ab Echardio, neque ab alio quopiam de poſtrema ejus ætate, ac morte quidquam accepimus. Cæterum, ſi licet ex anteacto vitæ curſu conjicere, qua tandem opinione deceſſerit, dubitare non poſſumus, quin ea fuerit piiſſimi, doctiſſimique Viri. Ejus autem obitum ad annum milleſimum ſexcenteſimum circiter, & quadrageſimum eſſe veriſimilius conſignandum ex monumentis noſtris haud obſcure colligimus. (2)

JOAN-

(1) *Coron. Viror. Illuſtrium Cremonen. lib. 1. p. 3. pag. 178.*
(2) *Ex Memor. MS. Conv. c. 19. pag. 145. & ex libro MS. Receptorum ad Ord. pag. 6.*

IOANNES PAULLUS NAZARIUS.

I. GENS NAZARIA Cremonæ antiquiſſima. Nam Julium, & Camillum Nazarios, anno ſexto, & tercenteſimo, Diocletiano Cæſare imperante, quod una cum aliis Cœnomanis Chriſti Fidem ſtrenue tuerentur, propagarentque fuiſſe ad mortem datos, ut mala illa ferebant tempora, vetus opinio eſt. (1) Ex ea gente originem traxiſſe Joannem Paullum nec difficile admodum credimus, neque ita facile, ut id pro re certiſſima habeamus. Cæterum Cremonæ natus eſt, (2) Patre ingenuo, ac diligente, qui nil certe prætermiſit eorum, quæ ſibi neceſſaria ad Filium liberaliter, pieque educandum viderentur. Ad annos decem, ſeptemque cum perveniſſet, Familiæ huic noſtræ, quam Paullus Guaranius in pernoſcendis adoleſcentum ingeniis acerrimus moderabatur, nomen, uti vehementer optaverat, dedit. (3) Patribus incontaminata per annum integrum morum innocentia, & rara admodum ingenii perſpicacitate cum ſe probaſſet, Deoque, & Ordini ſe, ſuaque omnia ſolemni ritu voviſſet, Bononiam ſtudiorum parentem eſt miſſus. Annos ibi ſeptem commoratus incredibile eſt, quantum doctrina, & eruditione profecerit. Nam & litteraria certamina non ſemel, ſed ſæpius iniit; neque prius inde diſceſſit, quam contra pugnantes doc-

(1) *Joſeph Breſſianus Coron. Viror. Illuſtr. Cremonen. lib. 1. p. 1. pag. 4., & 5. ex Antonio Zignano in Chron. lib. 1. pag. 37. tum ex Paullino Piperario, & Raphaele Fabagroſſa.*

(2) *Anno 1557. ex Libro MS. Receptorum ad Ordinem pag. 4.*

(3) *Anno 1574. die ultima Febru. Ibid. Tum Memor. MS. Conv. c. 16. pag. 115.*

doctiſſimos Viros, & victos dimiſerit, & inſignes ſui laudatores habuerit. Quam ob cauſſam, ut in celebrioribus Provinciæ Cœnobiis Juventutem ad hoc pugnandi genus inſtitueret, juſſus eſt. (1)

II. Ac Mantuæ primum cum Nazarii doctrina jam Urbem impleſſet univerſam, Guillemum Gonzagam Mantuatium Ducem, & litteratorum hominum Mœcenatem ampliſſimum permovit, ut eo uteretur, conſilii cauſſa, Theologique loco. (2) Quo in munere, licet juvenili adhuc eſſet ætate, Guillemi expectationem non æquavit modo, ſed cumulatiſſime ſuperavit. Præter multa, eaque graviſſima negotia, de quibus in conſilium ab eo Principe adhibebatur, librum ejus hortatu confecit, quo trium ſupra viginti Græcorum, & Latinorum Patrum ſententias collegit a cæteris Collectoribus prætermiſſas, quibus ſacras veteris, & novi Teſtamenti litteras ſunt interpretati. (3) Horum vero Doctorum ſenſus, & verba eum in ordinem digeſſit, ut quod inde prodiit, catenulam plane auream diceres: aſſervaturque opus hujuſmodi, egregium illud quidem, ſed ineditum in Bibliotheca Principis diligentiſſime. (4) Mantuæ Nazarius moratus eſt annos ſex: Cremonam ſubinde miſſus eſt, ubi Theologiam docuit annos quinque. (5)

III.

(1) *Jacobus Echardius tom. 2. pag. 544., & 545.*

(2) *Petrus Martyr. Feſtus in Chron. MS. Conv. S. Domin. Cremon. t. 12 pag. 27 Breſſianus lib. 1. p. 1. pag. 192.*

(3) *Hieronymus Ghilinus in Theatr. Viror. Litterator. Volum. 2., & Breſſianus ibidem pag 194.*

(4) *Ghilinus, & Breſſianus ibidem.*

(5) *Nazarius ipſe in Præfat. ad Opuſculum nonum pag. 412.*

III. Accidit poſt hæc, ut Clemens Pontifex Maximus hoc nomine VIII. Cæſarem Specianum Epiſcopum Cremonenſem, cujus ſapientiæ, rerumque agendarum dexteritati plurimum confidebat, delegerit, quem ad Rhodulphum II. Imperatorem Legatum mitteret. (1) Hic in Bohemiam (nam Pragæ conſidebat Cæſar) priuſquam ſe conferret, cœpit ſecum cogitare de Viro Theologo ſecum deducendo, cujus doctrina, conſilio, ac mentis ſagacitate in tam gravi procuratione uteretur: Statimque oculos, animumque in Joannem Paullum Nazarium, cujus operam cum ſæpe adhibuerat, tum mirifice probaverat, conjecit, ſuumque in ea Legatione Theologum declaravit. (2) Erat enim ejus nomen magna in celebritate, ut nemo Principum Virorum eſſet, qui non eum habere, retinereque apud ſe cuperet. In viam igitur Specianus cum ſtatuiſſet, non prius ſe daturum, quam certior eſſet factus, ſecum deduci Nazarium poſſe, ſcripſit ad Hyppolitum Beccariam Generalem totius Ordinis Magiſtrum litteras, quibus omni eum comitate precabatur, ut, quandoquidem ab una ejus voluntate pendebat, ad Cæſarem ob graviſſimas cauſſas ituro hunc ſibi Virum permittere ſocium ne gravaretur. Non latebat Hyppolitum, quanta valeret Nazarius eruditione, conſilio, ac morum gravitate, & quantum honeſtatis ex ejus cum Legato Apoſtolico in Bohemiam itinere redundare in Ordinem poſſet. Itaque & annuit Epiſcopo urbaniſſime, & Joannem Paullum, ut oblatum ſibimunus

(1) *Joſeph Briſſianus in Roſis, & Violis pag. 85. de Epiſcop. Cremon. aliiq. plur.*
(2) *Nazarius ipſe in Præfatione laudata ad Opuſc. nonum.*

munus ne recuſaret, pro imperio juſſit. (1)

IV. His impetratis lætus admodum Epiſcopus, & dicto audiens Nazarius Cremona diſceſſerunt. Pragam cum perveniſſent, atque in conſpectu Cæſaris adſtitiſſent, dignitate utriuſque cognita, excepti, habitique ab eo ſunt ambo perhonorifice. Pullularat in iis partibus, atque in dies gliſcere videbatur Huſſitarum tabes, cui accedebat recentiorum circumjacentium, ſe ſeque in omnem Cœtum ſenſim inſerentium Hæreticorum virus. Horum perditorum hominum ſtudia eo præcipue pertinebant, ut omnem ſupremam Romani Pontificis auctoritatem in invidiam vocarent primum; tum abductis a Sacerdotum reverentia imperitorum mentibus, prava alia, quibus erant infecti, deliramenta inſtillarent. Acceperat Nazarius paucis ante diebus a Generali Ordinis Magiſtro litteras, ex quibus Magiſterii lauream ſibi collatam intelligebat, modo publicum aliquod ingenii ſui ſpecimen Pragæ dediſſet, fuiſſetque dignus communi Doctorum ſuffragio judicatus. (2) Hanc igitur occaſionem nactus, qua certe opportuniorem optare non poterat, pro eo, quo tenebatur, veritatis tuendæ deſiderio, tum Legati ipſius hortatu, & Cæſaris conſenſu, in publicam cum de aliis rebus, tum de Eccleſiaſtica præſertim Monarchia diſputationem veniendum decrevit. (3) Provocatiſque indiſcriminatim ad pugnam Doctoribus, magna utrinque contentione decertatum eſt coram Cæ-

ſare.

(1) *Ibidem.*

(2) *Id luculenter aſſerit iiſdem fere verbis Nazarius in memorata Præfatione ad Opuſculum nonum.*

(3) *Ibidem; & præcipue ejuſdem Opuſculi noni c. 14. pag. 441. & ſequentibus.*

ſare. (1) Quo in conflictu ſupremam Romani Pontificis poteſtatem, & jura, tum alia quoque Catholicæ Fidei capita ita defendit, confirmavitque, ut ne hiſcere quidem ultra auſi ſint hoſtes, & amici, bonique omnes, quotquot aderant, invictam ejus diſſerendi vim ingenti gratulatione, & gaudio ſint admirati. Hujus victoriæ nuncio Hyppolitus Beccaria haud multos poſt dies accepto, Nazarium, qui nondum ſtudiorum ſuorum curriculum abſolverat, eratque annorum dumtaxat ſex & triginta, (2) Sacræ Theologiæ Magiſtrum præter receptam Ordinis conſuetudinem, uti pollicitus fuerat, creavit. At vero non fuit hic unus reportatæ victoriæ fructus. Nam partim his rebus, Legati partim Apoſtolici ſingulari prudentia factum eſt, ut Huſſitæ non pauci, qui Bohemiam per ea tempora incolebant, errores, quos a parentibus hauſerant, voluntaria abjuratione deteſtati cum Romano Pontifice, & Eccleſia Sancta in gratiam redierint. (3) Cauſſam autem adeo juſtam, & ſeriam, cujus defenſionem ſuſceperat verbis, quam accuratiſſime ſcripſit Nazarius, & typis impreſſam Rodulpho Cæſari, Legato ipſo ſuadente, dicavit. (4)

V. Rebus Pragæ ita peractis in Italiam reverſus eſt, ac Mediolani in ædibus Sanctæ Mariæ Gratiarum, Theologiam, (hujus etſi lauream eſſet, conſecutus), tradere

iterum

(1) *Breſſianus loco cit.*, *& Echard. tom. 2. pag. 544.*

(2) *Sunt ipſa Nazarii verba in fine Opuſculi IX. pag. 474.* Pragæ, *inquit* Anno 1592. ætatis vero meæ 36.

(3) *Ariſius tom. 2. pag. 420., ubi alios laudat in hanc rem.*

(4) *Nazarius ipſe in Epiſtola ad Rodulph. Cæſar. Opuſculo IX. præmiſſa pag. 409.*

iterum propter excellentiam eſt juſſus. (1) Verum hic diu conſiſtere minime potuit: Graviſſimorum enim Provinciæ Patrum auctoritate ad rem Ordinis publicam in Comitiis generalibus Valentiæ in Hiſpania celebrandis definiendam delegatus eſt. (2) Comitiis abſolutis, Mediolanum rediit. Priori muneri vix dum ſe ſe reſtituerat, cum ecce Nazario multo glorioſior ſe obtulit occaſio pugnæ cum Hæreticis committendæ. Facti vero cauſſam, & ſeriem, quam narraturi ſumus, ab iiſdem fere Nazarii verbis accepimus. (3)

VI. Plurii, quod erat Oppidum in Valle Clavennæ, quæ Vallem Bregaliam attingit, ſatis frequens, nunc autem imminentis ruina montis dirutum, ac pene ſepultum, accidit, Mulieres duas calviniana hæreſi infectas fuiſſe a Bernardino Plurii Paræco ad Catholicam Fidem adductas. Thomas Caſſellius Calvinianus Oppidi Miniſter, cum id iniquo tuliſſet animo, multis verbis conabatur iis mulieribus oſtendere, Miſſæ Sacrificium non fuiſſe a Chriſto inſtitutum, ſed eſſe inane quoddam, & purum, putumque Romanorum ad fallendum expilandumque vulgus commentum. Contra Paræcus, ut eaſdem in Fide Catholica detineret, Miniſtri conatibus obſiſtebat, idemque Sacrificium affirmabat, fuiſſe a Chriſto Servatore in ultima cœna inſtitutum, atque incruente peractum. Hoc igitur affirmante, illo negante, eo tandem eſt ventum, ut uterque ſpoponderit,

(1) *Inter cæteros Petrus Martyr Feſtus Chron. MS. c. 12. pag. 27.*
(2) *Celebrata ſunt ea Comitia anno 1596.*
(3) *Nazarius in ſuorum Opuſculorum Volumine, Opuſculo 2. pag. 76., & ſequentibus, ubi totam narrat hiſtoriam.*

Digitized by Google

ſe ſuam publica aliqua diſputatione ſententiam propugnaturum. Sed Caſſelſius veritus, ne minus, quam rei dignitas ferret, ad diſputandum valeret, Joanni Martzio Solii Miniſtro ſuas partes delegavit. Bernardinus igitur, quem memoravimus, & Joannes Martzius ad IV. idus Majas convenerunt, ſeque mutua, ac juramento firmata ſponſione ad ſolemnem concertationem obligaverunt. Is erat annus a Virginis Partu milleſimus quingenteſimus ſextus, & nonageſimus: Decretique ſunt futuræ diſputationis Præſides, ac Judices ex utraque parte, Georgius Planta Clavennæ Commiſſarius Calvinianus, & Jacobus Aſpergavius Plurii Prætor Catholicus; qui diem Septembris ejus anni triceſimam ad conventum certamen ineundum indixerunt. Verum quibuſdam de cauſſis, Curiæ Senatus conſulto in annum poſterum ad VIII. idus Martias extracta res eſt. (1) Sacerdotes interea Plurienſes, qui vaferrimam Calvinianorum perfidiam maxime ſuſpectam habebant, verebanturque, ne plus detrimenti eſſet, quam commodi indicta diſputatio allatura, ad Archiintum Epiſcopum Comenſem, & Joannem Dominicum Ravennatem Comi Fidei Quæſitorem ſcripſerunt rogatum; ut, quid eſſet in tam gravi diſcrimine agendum, decernerent. Hi, ne quid temere, & cum periculo ſuſciperetur, rem totam ad Summum Pontificem Clementem hoc nomine VIII. rejiecerunt, ipſiuſque arbitrio, judicioque ſupremo permiſerunt. Congregatis Pontifex Cardinalibus, ſummis Fidei Quæſitoribus, & propoſita, ac mature perpenſa

(1) *Eodem Opuſculo* 2. *pag.* 78.

Digitized by Google

penſa difficultate reſpondit: de veritate ſatis, ſuperque diſcuſſa, & apud Catholicos univerſos longe firmiore, quam ut in dubium, & contentionem vocetur, non videri quidem, cur ſit diſputandum: nihilo tamen ſecius, ſi decreta jam concertatio ſolemnis citra Catholicæ Eccleſiæ notam, & Gentis illius ſcandalum declinari minime poſſit, ſe illos iterum, atque iterum monitos velle, ut de Viro Theologo cogitent, undecumque conquirendo, qui rem bene, feliciterque gerere valeat Catholicorum. Secus ſi fecerint, ſatius eſſe, ſi conquieverint. Hoc accepto reſponſo cum Novocomenſis Antiſtes, & Inquiſitor, omni adhibita diligentia, comperiſſent, diſputationem ſine memoratæ Nationis offendiculo recuſari non poſſe, Summus Pontifex, conſentientibus Auguſtis Patribus, Cardinali S. Severinæ pro imperio juſſit, ut litteras nomine ſuo ſcriberet Friderico Borromeo Cardinali, & Archiepiſcopo Mediolanenſi, mandaretque, ut vocato ad ſe Joanne Paullo Nazario in Ædibus tunc Sanctæ Mariæ Gratiarum Theologiam docente, eidem præciperet, ut ad proxime futurum de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio certamen eſſet paratus; duoſque illi Viros, quos vellet, linguarum peritos adjungeret. (1)

VII. Lectis Borromeus his litteris, Nazarium una cum duobus ex Societate Jeſu Presbyteris, quorum unus Hebraicam, alter Græcam linguam callebat, ad ſe venire juſſit, Summique Pontificis mentem eiſdem aperuit. Perculſus hac novitate Nazarius, fuſus in pre-

 ces,

(1) *Ibidem pag.* 79.

ces, & lacrymas etiam atque etiam obteſtatus eſt Archiepiſcopum, ut ab ſe tantum diſcrimen averteret, multis rationibus ei ſuadens, longe imparem ſuam imbecillitatem eſſe tanto oneri ſubeundo.(1) Non latere ſe, quale ſit Calvinianorum ingenium, ut errores erroribus inſerant, ex uno in aliud intempeſtive tranſcurrant, eodemque verborum contextu varias, atque inter ſe diſſidentes ſacrorum dogmatum difficultates involvant, quibus niſi ſtatim pleniſſime ſatisfeceris, in reſpondentem calumniis, & inſultatione conſurgunt. Rogare propterea ſe, atque enixe flagitare, ut alium quærat, deſignetque virum aptiorem (nec enim deerit) quem mittat. Hæc, aliaque hujus generis Nazarius: idemque pro ſua parte deprecabantur Socii duo, qui, ut Hebraicæ, ac Græcæ linguæ peritia verborum ſignificationes ambiguas, ſi occurriſſent, enodarent, acciti fuerant. Sed irrito prorſus conatu. Nam Fridericus Borromeus Cardinalis humaniſſimus ſemel, iterumque conteſtatus eſt, ſe Pontificis Optimi Max. mandatis ex officio reniti nec debere, nec poſſe. Conſtituta igitur die Comum omnes convenerunt, ibique ab Epiſcopo Archinto ſibi datum invenerunt Fidejuſſorem veluti, ac Ducem, Julium Turrianum Juriſperitum, Virum prudentia, & rerum agendarum dexteritate præſtantem, & præcipuis Rhætorum, & Helvetiorum optimatibus notiſſimum, ac familiarem. Die poſtero in Lacu Comenſi naviculam conſcenderunt, ſinuatiſque velis Gerram in finibus Vallis Clavennæ, & Vallis Tellinæ poſitam attigerunt, ibique

(1) *Ibidem eadem pag.*

ibique pernoctaverunt. Poſtridie, quod erat Sabbatum, accepto ab Rhætorum Præſidibus commeatu, ad locum denique diſputationis eſt ventum. Rogatuſque ſtatim, aliis recuſantibus, Nazarius a Bernardino Oppidi Paræco, ut die inſequente concionem de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio habere ad populum magna ex parte Catholicum ne gravaretur, ſuggeſtum mane conſcendit, Catholicis, & Hæreticis indiſcriminatim audientibus divini Sacrificii inſtitutionem, excellentiam, & fructus uberrimos expoſuit, atque ad proxime futuram de eadem re diſceptationem ſolemnem omnes invitavit. VIII. igitur idus Martias, hora XVIII., (1) præſto fuere ex Catholicis Viri circiter quadringenti, ſinguli gladios breves habentes, qui Nazarium, & Socios in medio conſtituerunt, atque ad Templum uſque Sancto Joanni dicatum deduxerunt. Eodem omnino tempore adſtiterunt Calvinianæ Sectæ Miniſtri magna Hæreticorum manu ſtypati balliſtis igneis, quas ſclopos appellant, armatorum. Tali modo Templum ingreſſi circa menſam ſatis longam in medio Templi paratam omnes conſederunt; Sacerdotes quidem Catholici in una; in altera adverſa parte Miniſtri; ad menſæ vero caput duo, quos ſupra memoravimus, Judices, Georgius Planta, & Jacobus Aſpergavius, ſtante, & circumfuſa ingenti Populi multitudine pugnam expectante. Sacerdotes Nazario aſſidentes fuere ex Societate Jeſu Joannes Baptiſta Vaninus, & Antonius Moranus linguarum interpretes; tum Julius Turrianus, de quo ſuperius eſt dictum,

 Ber-

(1) *Anno* 1597. *Ibidem pag.* 80.

Bernardinus Plurii Paræcus, Parravicinus, Mazzonius, & Nicolaus Ruſca Theologiæ Doctores, quorum poſtremus haud ita multo poſt glorioſe pro Fidei Catholicæ defenſione ab Hæreticis tortus occubuit, ſignis, ut fertur, poſt mortem mirabilibus illuſtratus. In oppoſita parte aderant Joanni Martzio, Solii Miniſtro Scipio Calandrinus Miniſter Sondrienſis, Martinus Ponchierius Vici Soprani, Thomas Caſſellius Plurii, Scipio Lentulus Clavennæ, Joannes ab Eccleſia Vallis Malenenſis, Lucas Donatus Miniſter Trahonenſis, & Caſtanezzienſis, omnes quidem, & ſinguli ad pugnam, redintegrandam, ſi Martzius defeciſſet, parati. (1)

VIII. His igitur in Templo Plurienſi conſtitutis, invocato ab Joanne Paullo Nazario, ejuſque Sociis in genua provolutis Divini Spiritus auxilio; quibuſdam vero precationibus ab adverſa parte vulgari idiomate recitatis, Joannes Martzius, petita prius, ſibique facta a Præfectis loquendi poteſtate, multa præfari cœpit ad controverſiæ ſtatum minime pertinentia; multa ſubinde miſcuit adverſus Auguſtiſſimum Miſſæ Sacrificium non tam argumenta, quam ineptas cavillationes partim, partim vero, qui Hæreticorum mos eſt, ſtomachum moventes blaſphemias, & contumelias: & Gloſſas denique addidit quaſdam Calvinianis hominibus familiares, quibus divinarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum ſententias, & dicta perverteret. Hiſce objectis, libellum omnia hæc continentem diſputationis Præfectis exhibuit. Tum aſſurgens Nazarius, impetrata, quam diximus,

(1) *Ibidem pag.* 81.

Digitized by Google

mus, ab iis, qui præerant, facultate, obſecratoque iterum Numine, quæ Martzius adverſus evangelicam, & Catholicam veritatem longo verborum circuitu, inanibuſque ſophiſmatibus fuerat prælocutus, tam copioſe, & erudite, tamque eleganter, & ſolide, poſteaquam ad capita omnino quinque omnia contraxerat, refutavit, ut & Catholicos præ gaudio flere, & Hæreticorum non paucos de ſententia decedere jam palam vidiſſes. (1) Quæ res effecit, ut a Calvinianis veluti ſecum iratis protracta in diem ſecundum, & tertium male jam cœpta diſputatio ſit, ſed minus proſpero, quam ab ipſis ſperaretur, eventu. Nam uno his objicientibus occurrente Nazario, non eos modo non recte inſiſtere, ſed non tam cum adverſario, quam ſecum pugnare, omnes ſimul indecenter obſtrepere, huc, illucque extra cauſſam vagari, & aquam iis denique hærere ſic, ut Scipio Calandrinus, qui inter Doctiſſimos habebatur, cum, tacente Martzio, urgere Nazarium voluiſſet, hujus ſubita, validiſſimaque reſponſione perculſus, ac inopinato quodam pudore ſuffuſus, oculis, & facie utraque manu coopertis, caput ad genua uſque demiſerit; conteſtatuſque ſit, quod reſponſum a Nazario fuerat, ſe neque intelligere, neque meminiſſe, ſibique, quod hebeti eſſet memoria, & ingenio, parcendum. (2) Ac tali modo tota fere per triduum peracta res eſt. Horum omnium exemplaria omni fide, ac diligentia deſcripta, & multorum ſubſcriptione firmata ad ſupremam

(1) *Ibidem pag.* 82. *&* *ſequentibus.*
(2) *Ibidem pag.* 136. *totidem fere verbis.*

mam ſunt Generalium Inquiſitorum Congregationem, atque ad Clementem VIII. Summum Pontificem miſſa,

IX. Non deſunt, (1) qui Nazario velint, hac pugna pugnata, fuiſſe Infulas ab eodem Pontifice oblatas, quas ille modeſtiſſime, conſtantiſſimeque recuſarit. In Inſubriam reverſus, & Cœnobio Cremonenſi eodem anno (2) præfectus, poſt hanc Familiam egregie adminiſtratam a ſupremo Ordinis Moderatore Hieronymo Xavierre Cæſarauguſtano delectus eſt, qui univerſam Studiorum noſtrorum Bononienſium Academiam regeret. (3) Huic autem non ſemel, ſed ter præfuit diverſis, interruptiſque temporibus. (4) Ibi vero quam ſibi jam comparaverat doctrinæ famam adeo vulgavit, & auxit, ut dignus longe habitus ſit, qui in almum illud Doctorum Bononienſium Collegium, quod ea præſertim ætate conventus erat lectiſſimorum Virorum, cooptaretur. Inter hæc ad Mantuates Fidei Quæſitor eſt miſſus, moratuſque ibi eſt annos duos. A Mantuatibus ad Anconitanos, eorumque finitimas Urbes in eadem fide continendas translatus, vaſtiſſimam illam Provinciam ſumma cum laude moderatus eſt annos quinque. (5) Sunt qui memoriæ prodiderunt, (6) fuiſſe Nazarium una cum aliis præſtantiſſimis Viris a Clemente VIII. primum,

tum.

(1) *Jo: Michael Cavalierius tom. 2. pag. 109., & ſequent.*
(2) *Anno 1597., ut apparet in Catal. Priorum Conv. S. Domin. Cremon.*
(3) *An. 1601. Ex Chron. MS. Conv. c. 12. pag. 24. tum ex Catal. Regen. Bonon:*
(4) *Anno 1601. 1611. 1618.*
(5) *Idem Chron. c. 12. pag. 26. tum Breſſianus, Ariſius, Echard. loc. cit.*
(6) *Breſſianus, & Ariſius locis laudatis.*

tum a Paullo hujus nominis V. ad ſacri Palatii Apoſtolici Magiſterium deſignatum. Cur vero hanc denique dignitatem non ſit præ cæteris conſecutus, altum eſt apud omnes ſilentium; niſi dicere tacendo voluerint, hunc magnum Virum non parem virtuti habuiſſe fortunam.

X. Res interea Mediolanenſes, omnemque Inſubriam ſummo tenebat imperio Philippus III. Auſtriacus Hiſpaniarum Rex. Ad humaniſſimi hujus Principis majeſtatem, atque clementiam perfugiendum ab univerſa Provincia omnino erat ob multas, eaſque graviſſimas cauſſas. Senatus igitur conſulto, & magna omnium voluntate conſtitutum eſt, deligendum illico eſſe virum apprime doctum, & gravem, qui pro communi totius Ditionis Mediolanenſis bono, ac re procuranda Orator mitteretur ad Regem. Circumſpectiſque omnibus diligenter, qui ad id muneris obeundum eo tempore nominaretur, non inventus eſt aptior Joanne Paullo Nazario, Dominicano Cremonenſi. In hanc vero potiſſimum ſententiam coierunt, ad quos id pertinebat, quod probe noſſent, quantus eſſet hic Vir, & quanti eum feciſſent Guillelmus in primis Mantuanorum Dux, Rodulphus ſubinde Cæſar hoc nomine II., Summique Pontifices. His itaque, aliiſque de cauſſis hunc elegerunt. (1) Perterritus, ut id reſcivit, ea ſibi Decreta Legatione Nazarius, omnibus ab ea precibus ſe ſubducere eſt conatus. Verum, cum ad id fuerit a Seraphino Sicco totius

Or-

(1) *Memor. MS. Conv. S. Domin. Cremon. c. 18. pag. 140. ad ann. 1619. & quotquot de eo ſcripſerunt.*

Ordinis Moderatore pro imperio juſſus, maluit onus ſibi impoſitum ſubire, quam non parere. Adjunctis igitur ſibi præter Joannem Baptiſtam Aſſandrum Civem Cremonenſem, quem a Secretis haberet, Sociis ſui Ordinis duobus, (1) collatiſque cum Senatu ſingulis procurationis ſuæ capitibus, Valliſoletum, ubi Rex morabatur, in Hiſpaniam profectus eſt. Eo ut pervenit, ad Regem poſt dies aliquot introductus, demandata ſibi negotia mira cum eo cœpit felicitate conficere. Poſt elapſum menſis unius ſpatium, Commentariorum in tertiam Theologiæ Thomiſticæ partem volumen primum, quod Bononiæ anno ſuperiore in lucem ediderat, (2) ipſique Philippo III. Magno Hiſpaniarum Regi dicarat, cum una ſimul cum aliis tribus in primam memoratæ Theologiæ partem ſub idem fere tempus a ſe confectis, vulgatiſque Voluminibus eidem obtuliſſet, gratum admodum, & acceptum habuit Rex hoc doni genus, multaque ob hanc cauſſam Nazario ſupplicanti in univerſæ Ditionis Mediolanenſis levamentum, ac rem liberaliter tribuit. (3)

XI. Philippo III. paullo poſt vita functo, cum jam ſuæ Nazarius Legationi finem feciſſet, omniaque, uti optarat, nullo negotio impetraviſſet, ab Succeſſore Philippo IV., cujus quoque gratiam inierat, veniam petiit abeundi. Non deerat, (is autem erat a confeſſionibus Regis), qui eum, ne diſcederet, hortaretur pollicitus,

(1) *Inter cæteros Joſeph Breſſianus Nazario æqualis lib. 1. p. 1. pag. 193.*

(2) *Anno 1619. Bononiæ apud Heredes Joannis Roſſi.*

(3) *Memor. MS. Conv., & Breſſianus locis cit.*

tus, ſi Valliſoleti diutius conſtitiſſet, ſe apud Regem, ut Epiſcopus in Inſubria quam primum fieret, curaturum. (1) Huic Nazarius, quippe qui animo erat ab hujuſmodi honoribus adnexam animarum curam habentibus prorſus alieno, cum gratias, quas potuit, maximas egiſſet, in Italiam remigravit, ac Mediolanum recta contendit. (2) Hic de rebus in Hiſpania cum Rege Catholico a ſe conſtitutis poſtea quam Urbis Gubernatorem, univerſumque Senatum quam accuratiſſime ad nonuiſſet, omnemque Legationis ſuæ rationem reddidiſſet, Cremonam acceſſit. Atque hinc quoque haud ita multo poſt ad Comitia Generalia Toloſæ in Galliis anno milleſimo ſexcenteſimo quarto, ac viceſimo habenda, ut in eo graviſſimorum Patrum congreſſu, eodem, quo antea Valentiæ, fungeretur munere, diſceſſit. (3) Dimiſſis Comitiis, relictiſque Galliis, poſteaquam Cremonæ brevi Suos inviſiſſet, Bononiam petiit. Obtinuerat enim a Summo Pontifice, (4) ut ea in Urbe perpetuo immorari poſſet, librorum ſuorum conficiendorum, ac typis maxime, uti cœperat, committendorum cauſſa. In eo igitur florentiſſimo Provinciæ Cœnobio, continenti nobiliſſimarum virtutum exercitatione, reliquam tranſegit ætatem. Nam etſi diurnis, nocturniſque ſtudiis, aliiſque negotiis magnopere occupatus erat, leges tamen vel minimas, quibus obſtrinxerat ſe ſe, ne, quoad poſſet, violaret, ad mortem uſque diligentiſſime cavit.

(3) *Ibidem.*
(2) *Anno 1621. menſe Martio. Memor: laudat.*
(3) *Breſſianus lib. 1. p. 1. pag. 193. & Memor. loc. cit.*
(4) *Petrus Maria Paſſerinus Hiſt. MS. Conv. Cremonen. lib. 2. n. 102.*

cavit. Quod vero eſt præcipuum, & in multis deſideratur, cum tanti eſſet nominis, tamque inſignis auctoritatis, modeſte adeo de ſe ipſo ſentiebat, ut cum in aliarum virtutum, tum in eximiæ potiſſimum humilitatis exemplar proponeretur. Tali modo cum annos nonaginta vixiſſet, gravis annis, & laboribus fractus in febrim incidit ſenilem, qua brevi, ac placidiſſime extinctus eſt, anno milleſimo ſexconteſimo ſexto, & quadrageſimo. (1)

XII. Quantum Nazarius & Ordini, & Patriæ, ac Litterariæ Reipublicæ univerſæ commodi attulerit, atque ornamenti, cum ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, dignoſci facile poteſt, tum præcipue ex accuratiſſimis illis Commentariis in ſex magna volumina diſtributis, quibus primam, & tertiam Theologiæ Thomiſticæ partem eſt interpretatus. (2) Illud ſpectat quam maxime egregius hic Commentator, ut oſtendat, nil prorſus a recentioribus Heterodoxis ad Catholicam Fidem quoquo modo infirmandam excogitatum, quod non proſpexerit Thomas, pleniſſimeque non refutarit. Ejus quoque ſenſus obſcuriores, ſi qui ſint (ſunt autem fere nulli) per luculentiores explicat ſic, ut perpetua, & conſtantiſſima, ſuique ſemper ſimillima ejus mens quæ ſit, omnes facile intelligant. Extant præterea ab eodem confecta volu-

(1) *Echardius tom. 2. pag. 455. aliiq.*

(2) *Volum. 1. in p. p. ad quæſt. 26. Bononiæ apud Hæredes Joannis Roſſii ann. 1619 Volum. 2 a quæſt. 27. ad 49. ibidem 1620. Volum. 3. a quæſt. 50. ad 114. ibidem 1620. Volum. 4. in 3. p. a quæſt. 1. ad 17. ibidem 1619. Volum. 5. a quæſt. 18. ad 34. ibidem 1625. Iterum Coloniæ Agrippinæ Petri Henninghii 1630. Volum. 6. a quæſt. 35. ad 59. Bononiæ 1627. apud Hierony. Maſcheronium.*

volumina duo, quibus opuſcula varia, diſparatiſque temporibus elucubrata in unum collegit. Horum primum complectitur, quæ Bononiæ ſcripſerat,(1) ut legitimos S. Thomæ libros ab invidis obtrectatoribus vindicaret; quæ acta, & diſputata in Oppido Plurienſi; quæ reſponſa ad Hieronymum Faſolium Societatis Jeſu Presbyterum, & Joannem Gonzaleſium Dominicanum Theologum data, quod ejus in primam partem Commentaria cenſoria virga notarint, & cum larvis pugnaverint, quas non tam cavillando, quam ſomniando formaverant; quid ad ſibi propoſitas conſcientiæ quaſdam ambages, & quæſita reſpondeat; qua denique vi, quæ ſupra naturam ſunt, ab Angelis hominibuſque intelligi, perſpicique poſſint; quidque de Magia ſentiendum: quibus addidit, quæ Pragæ defenderat coram Rodulpho Cæſare, eidemque dicarat. Atque Hæc, & ſi quæ ſunt hujuſmodi, primo opuſculorum Volumine continentur. (2) Alterum regulas proponit ſexdecim ad rerum humanarum, divinarumque cognitionem aſſequendam aptiſſimas. In eo etiam declaratur, quibus homines Deo ſacri teneantur legibus, & inſtitutis; nonnullæq; aliæ difficultates, & nodi ad mores recte formandos extricantur. His omnibus accedit altera Commentariorum in primam partem defenſio & uberior, & fortior, ut jam nil omnino ſit reliquum, quod contra objici poſſit. (3) Alium quoque librum confecit, ediditque ſeparatim, (4) quo vere-

(1) *Bononiæ Anno 1630., cum eſſet annorum 74.*
(2) *Edit. Bononiæ typis Franciſci Cantanii ann. 1631. in 4. pag. 474.*
(3) *Edit. Bononiæ typis Clement's Feronii 1632. in 4. pag. 433.*
(4) *Edit. Bononiæ typis Clementis Ferronii 1633. in 4. pag. 202.*

veterum Eccleſiæ Doctorum auctoritas quanti a Viro Theologo facienda ſit, graviſſimo argumentorum pondere oſtendit. Apologiam ſubinde huic opuſculo adjunxit in eandem rem hiſpanice ſcriptam, atque a ſeipſo latine redditam accurratiſſime. Rovettam, & Ariſium qui legerit, (1) inveniet quoſdam in Ariſtotelem Commentarios ab eodem Nazario conſcriptos, quos in lucem prodiiſſe, uti eſſet vehementer optandum, ita certum, & exploratum eſt minime. Atque hæc habuimus, quæ de Joanne Pullo Nazario breviter, ut inſtituti noſtri ratio poſtulat, referremus. An ſatis ea ſint, u. Lector intelligat, eum fuiſſe magnum Virum, viderint æqui, bonique rerum æſtimatores.

THOMAS TURCUS.

I. DE Thoma Turco dicturus vereor, ne inter ſcribendum hæream identidem obrutus nimia rerum ab eo geſtarum copia, & magnitudine. Verumtamen ne tanti Viri memoria negligi a nobis videatur, progreſſuque temporis pereat, quoquo modo eſt ordiendum. Thomas igitur Turcus, qui antea Franciſcus vocabatur, ſæculo XVI. ferme exeunte honeſtiſſimis Conjugibus Cremonæ natus eſt Hieronymo, & Lavinia (2) Ac de prima ejus ætate id unum conſtat, præter ſingularem ingenii

(1) *Andreas Rovetta in ſua Biblioth. &c. ad Annum 1635. & Franciſcus Ariſius tom. 3. pag. 152.*

(2) *Lib. MS. Receptor. ad Ord. pag. 10. Tum etiam ex Manuſcriptis Genealog. apud Franciſcum Marianum Breſſianum aſſervatis. Natus eſt 4. April. 1595.*

nii velocitatem, ac vim, quam ab ipſis incunabulis hauſerat, eos nactum parentes fuiſſe, ac magiſtros, a quibus liberali admodum fuit educatione inſtitutus. Adoleſcentiam vix cum attigiſſet, fuiſſetque humanioribus litteris apprime excultus, ut erat indolis ad bene, religioſeque vivendum compoſitæ, quod jamdiu moliebatur, & agitabat animo, reipſa aggredi primo quoque tempore ſtatuit, ut in Dominicanorum ſcilicet Cremonenſium Societatem, ſi modo eis probaretur, ſecederet. Atque in hanc ſententiam, & propoſitum adductus eſt ſuperiore quodam inſtinctu primum, tum duorum præcipue Civium ſuorum exemplo, quorum condiſcipulatu uſus fuerat familiariſſime. Erant hi Galeatius Fondulus, & Camillus Tinctus, adoleſcentes ingenui, nobilique genere orti. Horum primus ad xv. Kalendas Auguſti anno a partu Virginis milleſimo decimo, & ſexcenteſimo Prædicatoribus Placentinis aggregatus fuerat; alter jam conſtituerat Cremonenſibus ſe quam proxime nomen daturum. (1) His igitur exemplis, atque indita potiſſimum ſibi divinitus mente, ab Lactantio Ceriolo Viro clariſſimo, qui hanc per eos dies Familiam moderabatur, ut in ejuſdem alumnum cooptaretur, omnibus eum oratis precibus impetravit. (2) Tirocinio Cremonæ poſito, ac Bononiam miſſus, quantos brevi in ampliſſima illa Scientiarum Sede progreſſus fecerit, & æquales quam longe ſuos anteierit, inter cætera hoc ſatis eſt teſtimonium. II.

(1) *Liber MS. Receptorum ad Ord. pag. 9. tergo ad diem 18. Julii 1610 & pag. 10. ad diem 12. Februarii 16 2.*

(2) *Idem Lib. Receptorum ad Ord. pag. 16. ad diem 29. Auguſti 1610.*

II. Bononiæ cum adhuc ſtudiis vacaret ſuis, necdum eſſet Sacerdotio initiatus, poſt varia in eo inſigni gymnaſio glorioſe inita litteraria certamina, Cæſenam, ut, quo tempore anniverſaria S. Thomæ Aquinatis gratulatio celebraretur, aliquod hac etiam in Urbe ingenii ſpecimen præberet ſui, eſt evocatus. Eo igitur cum perveniſſet, Cæſenatenſibus propoſuit, quas eſſet publice theſes ad propugnandum paratus; eoſque rogavit, provocavitque de more, ut oppugnatum venirent. Series autem, & ratio theſium propugnandarum erat hujuſmodi. Eas omnes expoſuit capitulatim non modo, quibus Metaphyſicæ, Philoſophiæque univerſæ amplitudo continetur, ſed etiam ex quibus tota fere S. Thomæ Aquinatis Theologia conſurgit. Hujus vero tanti Doctoris Interpretes, qui in tam ingentem multitudinem utinam non excreviſſent, pollicitus eſt Turcus, ſe vel eos omnes invicem conciliaturum, vel etiam in contrarias partes, uti libuerit, diſputaturum. (1) Id oneris ab eo ſuſcepti, licet excellentem ingenio, doctrinaque Virum, provectumque & ſtudio, & ætate poſtulare videretur, haud tamen ſatis habuit Turcus, qui quatuor, & viginti necdum annos attigerat.

III. His igitur omnibus ad diſputandum propoſitis, quæ & multa quidem, & graviſſima ſunt, ut Cæſenatenſium Academicorum, & Poetarum genio quoquo modo indulgeret, hæc etiam adjunxit. Suſtinebo, inquit,

Jacobi

(1) *Videatur Franciſcus Ariſius Cremon. Litter tom. 3. pag. 308., & ſeq. ad annum 1619. Sed potiſſimum ipſarum Theſium exemplar, quod aſſervatur in Bibliotheca Convent. S. Domin. Cremonæ edit. Bononiæ typ. Bartholomei Cocchii 1619., ac Petro Cardinali Camporeo dicat.*

Jacobi Mazzonii Cæſenatenſis opinionem de fine Poeticæ. Ejuſdem contra Julium Scaligerum ſententiam propugnabo docentem, nullum Poematum genus elaborari poſſe niſi carminibus. Pro eodem Mazzonio veſtro contra Prolomæum pugnabo, & quantum per me licebit, oſtendam, Linguam Italicam non eſſe eorundem carminum, quorum eſt latina, capacem; ob eandemque cauſſam contra Triſſinum docebo latina non poſſe carmina etruſco idiomati aptari. Si quis vero veſtrum negaverit, Arioſti Poema eſſe Epicum, polliceor, id me affirmaturum, ſi quis affirmaverit, negaturum. Ad Torquatum Taſſum quod attinet, ſum equidem ad ſuſtinendum paratus, eum Goffredi cantu decimo ſeptimo erraſſe; (1) tum quia cingulum Armidæ tribuerit; tum quia fingere debuiſſet, non fuiſſe illud ex iis, quæ ibi narrat, compoſitum, ſed illa in eo cingulo fuiſſe vel ficta, vel ſculpta. Nihilo tamen ſecius ſi ab aliquo Cæſenatenſium Poetarum fuerit Torquatus ob eam cauſſam reprehenſus, a me defendetur. (2)

IV. Hæc, aliaque hujus generis propoſuit Turcus, de quibus ſolemnis apud Cæſenatenſes concertatio iniretur: decretoque loco, ac tempore ventum eſt ad certamen. Eo in prælio, de re quacumque, ac quibuſcumque in eum argumentis impetum facerent hoſtes, aderat ille mente alacri, eruditione magna, animo maximo. Atque in dicendo, ingenii utebatur amplitudine, celeritateque

(1) *Stanza 24., e 25.*

(2) *Franciſcus Ariſius loco cit., & laudatum Theſium exemplar, iiſdem fere verbis.*

tanta, ut quæ ſibi objiciebantur, non tam refelleret ſtatim, quam præveniret. Quo fiebat, ut qui cum eo pugnare cœpiſſent, ab incœpto deſiſtere, ſeque primo ejus occurſu jam fractos, deviſtoſque fateri cogerentur. Admirabantur propterea Cæſenatenſes omnes eo in Juvene ſingulare quoddam, atque inauditum ingenii, & ſapientiæ prodigium. Non enim ſatis intelligebant, quì fierit poſſet, ut breviſſimo ſex, ſeptemve annorum ſpatio, a quo Turcus ſtudiis dare operam ſuis cœperat, memoriæ tradere, intellectu aſſequi, ac mente, animoque concoquere, conferre, verſareque in omnem partem potuiſſet ea, quæ integram videntur acutiſſimi, ſolertiſſimique hominis ætatem exigere. Abſoluto conflictu, cum tanto Juveni gratulata eſt Civitas tota, tum omnes certatim in ejus amplexum ruere, deoſculari eum ſuaviſſime, ſuſpicere, ac venerari velut Angelum e Cœlo delapſum. Univerſo denique Prædicatorum Ordini gratias agere quam maximas, quod tam raro Cæſenatenſes honore, atque inexplicabili voluptate affeciſſet. Sibi propterea Prædicatores, uti ſemper fuerunt, ita eſſe, & fore cariſſimos, quod ad rem publicam juvandam, exornandamque ejuſmodi Viros gignerent, tamque bono, ac fœcundo lacte nutrirent.

V. Hiſce rebus felici adeo ſucceſſu Cæſenæ confectis, Bononiam rediit. Doctoris lauream paullo poſt conſecuto decreta ei Juventutis noſtræ litteraria inſtitutio eſt. Eo in munere cum Bononiæ ingenti ſui nominis celebritate, atque incredibili auditorum plauſu, ac profectu doctrinæ ſuæ copiam effunderet, Cardinalem Ludoviſium,

ſum, a quo in Theologum adſcitus fuerat, (1) eruditione, ac conſuetudine ſua ita ſibi devinxit, ut Gregorius XV. Pontifex Maximus, ejuſdem Ludoviſii, cujus erat patruus, interpoſitu, Thomam Turcum Scalæ, quæ eſt Civitas prope Salernum in Picentinis, Epiſcopum deſignarit. (2) Id vero cum in menſem Martium anni milleſimi ſexcenteſimi tertii, & viceſimi incidiſſet, Turcus autem annos nonniſi octo, & viginti compleſſet, ob ætatis defectum extracta ejus in aliud tempus conſecratio fuit. (3) Verum cum haud multos poſt dies Gregorius XV. fato ceſſiſſet, Thomæ Turci Scalenſi Epiſcopatu initiandi ſpes omnis evanuit. Theologiæ Magiſter interea poſt annos aliquot creatus in Comitiis Generalibus Romæ celebratis, (4) ad ſupremam ſtudiorum noſtrorum Bononienſium cathedram moderandam adlectus eſt. (5) Ex editiore illo loco, quem annis ſex, & ſemis, atque diutius, quam alii multi conſueverint, tenuit, cœpit Thomæ Turci nomen adeo florere, ut ſumma ubique cum laude celebraretur. Qua ex re factum eſt, ut ab ampliſſimis Patavinæ Academiæ Triumviris Patavium accerſitus, conductuſque perhonorifice ſit, qui Metaphyſicam in celeberrimo illo Archigymnaſio publice traderet. Hoc vero magiſterii genus, ejuſque inſtitutiones primas ad VI. idibus Novem-

 bres

(1) *Memorial. MS Conv.S Domin. Crem. c.14. pag. 91., & Liber MS. Receptor. ad Ord. pag. 10. in notis marginalibus.*

(2) *Ibidem.*

(3) *Ibidem.*

(4) *Celebrata ſunt ea Comitia generalia anno 1629.*

(5) *Echard. tom. 2. pag. 535. Item Catalog. Regent. Bononien.*

bres anni milleſimi, ſexcenteſimi octavi, ac triceſimi, recitata coram ingenti lectiſſimorum Virorum multitudine oratione ſolemni auſpicatus eſt. (1) In ea tradenda diſciplina cum ſublimitate rerum explicandarum perſpicuitatem quandam, atque leporem, ita miſcebat, ut univerſos, qui in Oppido ſtudiis litterarum operam dabant, ſuaviſſime ad ſe traheret, eſſetque omnibus admirationi, & profectui non minus, quam ad hujuſmodi ſtudia incitamento. In ea vero Civitate, & Republica ita verſabatur, ut non modo Collegis, & Civibus, ſed ipſi Venetorum Senatui unus ante alios merito eſſet cariſſimus. Nemo enim ejus celſiſſimi Ordinis Virorum Thoma Turco familiariter unquam uſus eſt, qui non eum perpetuo habere apud ſe cuperet captus hominis ingenio, conſilio, admirabilique doctrina. (2)

VI. Eo in honore Turcus cum Patavii haberetur, Dominicus Gravina Vir clariſſimus, totiuſque Ordinis Procurator Generalis demoritur. Huic Thomas Turcus, auctore Urbano hujus nominis VIII., ſuffectus eſt. (3) Ipſius igitur Summi Pontificis juſſu, cui omnino parendum erat, Patavio, ut primum potuit, diſceſſit, in Urbemque pervenit anno milleſimo ſexcenteſimo tertio, & quadrageſimo, menſe Decembri. (4) Ampliſſimam procurationem vix cum ſuſcepiſſet, ità Romæ probare ſe omnibus cœpit, ut & ſuorum ſibi brevi conciliarit, acti-

(1) *Echard. tom. 2. pag 535.*
(2) *Thomaſinus Gymnaſ. Patav. pag. 288., & 457. Item Rovetta in ſua Biblioth. Illuſtr. Viror. Prov. Lomb. verbo Turcus.*
(3) *Echard. Rovetta locis cit.*
(4) *Ibidem.*

arctiſſimeq; devinxerit animos, & exterorum. Erat enim in homine præter ſummum ingenium, ſingularemque doctrinam, de qua dictum eſt, rara admodum in rebus gerendis prudentia cum eximia vitæ integritate, ac morum ſuavitate conjuncta. Paucos interea poſt menſes ab ejus in Urbem adventu, Nicolaus Rodulphius Florentinus Leonis XI. ex Sorore pronepos ſupremum Ordinis Magiſtratum dimiſit; (1) cujus de abdicationis cauſſa non opus eſt dicere hoc loco. Patres itaque, quibus creandi Succeſſoris jus erat, per litteras moniti magnis itineribus Romam convenere omnes ſub initium menſis Maii, eratque hic annus milleſimus ſexcenteſimus quadrageſimus quartus. Rebus in eo Concilio haud multum agitatis, III. idus ejuſdem menſis, quod erat ipſum Pontecoſtes pervigilium, conjectis in urnam ſchedulis, ac recitatis, collatiſque ſuffragiis, novus Magiſter Generalis declaratur Thomas Turcus Cremonenſis, ingenti Patrum lætitia, totiuſque Urbis gratulatione, ac plauſu ſalutatus. (2)

VII. Hac dignitate auctus eximiam, quam de ſe concitaverat, expectationem non ſuſtinuit modo, ſed ſuperavit. Ac primum omnium inito Magiſtratu ad cæteros exemplo ſuo provocandos adjecit animum. Quamquam (non enim eſt celandum) cum ſanctiſſimas Inſtituti ſui leges, & ritus diligentiſſime ſemper cuſtodierit, vix, ac ne vix quidquam illi reliquum erat, quod de ea vitæ conſuetudine, quam anteà tenuerat, immu-

(1) *Chron. Magiſtr. General. Ord. c. 18. pag. 113.*
(2) *Ibidem pag. 114.*

immutaret. Itaque omnibus, quæ ad fovendam, augendamque, quoad fieri poſſet, domeſticam diſciplinam pertinebant, Romæ conſtitutis, de facie gregis cognoſcenda deliberavit. Impetratiſque a Summo Pontifice diplomatibus, anno poſtero, qui fuit milleſimus ſexcenteſimus quintus, & quadrageſimus, poſt luſtrata nobiliora Italiæ Cœnobia, in Gallias recta contendit, Lutetiamque Pariſiorum pervenit ad VI. kalendas Decembris. (1) In ea Regia Civitate aliquot menſes moratus, incredibile eſt, quantum & in aula Regis, & apud optimates, & principes omnium Ordinum Viros exiſtimationem & laudem, quam ſibi in Italia pepererat, auxerit. Sed inter cætera, quæ ibi quoque reliquit nobilitandi ſui nominis argumenta, illud eſt perilluſtre. Suborta erat ea ætate Pariſiis, atque in dies gliſcebat quorundam opinio Theologorum, (ſi tamen hoc nomine digni eſſent) effutientium, inſtituta a Chriſto fuiſſe Eccleſiæ Capita omnino duo, Petrum nimirum, & Paullum, quorum eſſet æqualis in Chriſtianam Rempublicam auctoritas. (2) Ex quo bipartito Eccleſiaſticæ poteſtatis imperio quid incommodi oriri facile potuiſſet, declarare hoc loco non eſt neceſſe. Hunc naſcentem errorem ut cognovit Turcus, veritus ne, ſi altiores in feraciſſimo illo acerrimorum ingeniorum campo radices jeciſſet, evelli deinceps vel non poſſet funditus, vel nonniſi cum ingenti ipſius Eccleſiæ perturbatione, & ſchiſmate, quod inde ſua ſponte fluxiſſet, operæ pretium

(1) *Echard. tom. 2. pag. 535. ad annum 1645.*
(2) *Memor. MS. Conv. Cremon. c. 14. pag. 92. aliique.*

tium judicavit, ſi curaviſſet, ut vel in ſuis ipſe incunabulis ſuffocaretur. Accedente igitur Annæ Francorum Reginæ Optimæ Maximæ impulſu male partam hanc opinionem ita adortus eſt, ut primo impetu eam proſtraverit penitus, radicituſque extirparit. (1) Nam ii, quibus in mentem venerat, Thomæ Turci rationibus victi, ita a Sententia, quam initio adoptaverant, deceſſerunt, ut eam deteſtari, omni eſſent animorum contentione, & alacritate ad ipſam oppugnandam, ſi revixiſſet, paratiſſimi.

VIII. His Lutetiæ Pariſiorum egregie peractis, exploratiſque Pariſienſium Cœnobiorum perſonis, & rebus, in Belgium anno poſtero ſe contulit, menſe Martio. (2) In eas quoque Provincias per quam honorifice exceptus, eandem tenuit rationem viritim cognoſcendi ſuos, quam in Galliis inierat. Juſtitiam ſcilicet, atque in cuſtodia diſciplinæ curanda ſeveritatem quandam ita clementia, ac lenitate temperabat, ut ad bene de omnibus, optimeque merendum proclivior inveniretur, quam quiſque ad rogandum. Delatoribus, ſi qui ad eum acceſſiſſent, aurem præbere ſolebat unam, alteram reſervabat abſenti. Ubique vero vigilantiam ſummam, incredibilemq; ſolertiam in omnem Ordinis utilitatem, & decus adhibuit. Ac ne omnia perſequamur, & ſingula, quæ referremus, niſi majora, potioraque haberemus, omnes in uno Thoma Turco & Parentem optimum

(1) *Ariſius tom. 3. pag. 308. & ſeq. ex Rovetta, aliiſque Scriptoribus.*
(2) *Echardius tom. 2. pag. 535. ad annum 1646.*
(3) *Memor. MS. Ariſius, Rovetta locis citatis.*

nerati ſunt, & Judicem æquiſſimum experti. (1) Circumſpectis omnibus, atque accuratiſſime conſtitutis in Belgio, quæ ad rempublicam pertinerent, Pariſios rediit, ad Pentecoſten. Hic tamen diu non ſubſtitit. Nam explicatis expeditiſque omnibus, atque iis maxime, quæ ad gymnaſium noſtrum Sanjacobæum in ordinem redigendum e re ſibi ſunt viſa, (2) inde diceſſit, ac Toloſam pervenit menſe Novembri. (3) Rebus denique illarum Provinciarum rite compoſitis, in Hiſpaniam, quam jamdudum cogitarat, profectus eſt.

IX. Hujus magni Viri fama ejus in Hiſpanias adventum anteierat, univerſumque illud Regnum pervaſerat. Philippus autem IV. Rex Catholicus, ut erat egregia in Dominicanam Familiam, ejuſque tam celebrem Moderatorem voluntate, jam ſibi in animo conſtituerat, ſe illi velle maximos, quos poſſet, honores, priuſquam ab ſe, ſuiſque Regnis diſcederet, impertiri. Ad hunc igitur ille obſequendi, ac venerandi cauſsa cum veniſſet, nullum fuit benevolentiæ, officiique genus, quo exceptus, cumulatuſque ab humaniſſimo Principe non fuerit. Nam arcte amplexatus hominem Rex, poſt multa de ejus Ordine, quem ipſe de Eccleſia primum, tum de Principibus, & Regibus univerſis egregie meritum vocabat, ultro, citroque habita, in eorum numerum retulit, quos in Hiſpania Regni (4) Ma-

(1) *Memor. MS., Ariſius, Rovetta locis citatis.*
(2) *Ordinationes illæ editæ ſunt Pariſiis anno 1646. in 4.*
(3) *Echardius ibidem.*
(4) *Hujus rei ſunt cum apud omnes, qui de Turca ſcripſerunt, tum in Archiv. Ord. teſtimonia.*

Digitized by Google

Magnates appellant. Præterea decrevit, ut inter ejuſmodi Principes Hiſpaniæ Viros non modo eſſet, & haberetur ipſe, ſed omnes, quos in adminiſtranda re totius Ordinis publica Succeſſores habuiſſet. Tanti erat apud Philippum IV. Hiſpaniarum Regem Thomæ Turci nomen, & auctoritas!

X. Commorabatur per ea tempora Valliſoleti Gaſparus Alphonſus Pereſius Guzmanus, cognomento Bonus, Methimnæ Aſſidoniæ Dux. Hic & pro ſumma in Sanctiſſimum Parentem Dominicum, cui ſe conjunctum ſanguine gloriabatur, (1) veneratione, & pro ſingulari in Thomam Turcum, cujus erat fama valde permotus, obſervantia, hunc Virum eximium, ejuſque in Generalatu Succeſſores ampliſſimo Diplomate decoravit. (2) His litteris Pereſius, quod longe, lateque in univerſam Ditionem Methimnenſem tenebat imperium, id totum in Thomam Turcum, uſque dum in Hiſpania ſe detineret, liberaliſſime tranſtulit, eumque verum, ac legitimum Methimnæ Aſſidoniæ Ducem, & poſſeſſorem inſtituit. *Opto*, inquit, *vehementiſſime, ac volo, ut penes hunc præclariſſimum Virum rerum omnium mearum ſumma ſit, deque his quidquid egerit ipſe, eandem omnino vim, & efficacitatem ſit habiturum, ac ſi per me geſtam, confirmatumque fuiſſet. Neque quæ ſe facturum decreve-*

(1) *Idem Pereſius in duabus ſuis epiſtolis, atque uno diplomate ad Thomam Turcum datis, quæ referuntur a Cl. Antonino Bremundio in ſua Demonſtrat. Hiſtoric. de Guzmana Stirpe D. Dominici c. 20. pag. 187. & ſequent.*

(2) *Ejus Diplomatis Autograph. ſervatur Romæ in Archiv. Ord. italice redditum Viterbii 1648. Hiſpanicum vero datum eſt Valliſoleti 28. Januar. 1647. Legitur hiſpanice, latine, & italice apud ipſum Bremundium loc. cit.*

creverit, ea mecum conferat, aut alio quovis modo ad me deferat, ſed ipſe per ſe ſe id agat, quod e re ſaciundum judicaverit. Eodemque jure uti poſſe conſtituo Marium Ambroſium Capellum, & Petrum Mariam Sextulanum, qui in ejus ſunt comitatu. Hanc vero poteſtatem non uni me Thomæ Turco contuliſſe profiteor, ſed omnibus, qui eo vita functo ad eundem fuerint ſupremum Ordinis Magiſtratum promoti. Longum nimis eſſet perſequi ſingula, quæ habet, ſtatuitque Pereſius in eo Chirographo. Quibus honoribus in ſe, ſuoſque collatis lætus admodum Turcus, gratique animi plenus, ne ſe vinci pateretur officio, Pereſium Metimnæ Aſſidoniæ Ducem una cum ejus hæredibus univerſæ Dominicanorum Familiæ Patronum litteris elegit, & creavit ampliſſimis. (1) Hac dignitatis acceſſione Pereſius adeo eſt delectatus, ut non modo in uberrimam gratiarum actionem ſe ſe totum effuderit, verum ob hanc rem ejus vetus, & recens inita cum Ordine amicitia, & liberalitas creverit. (2)

XI. Provincias interea Turcus, in quas Hiſpania dividitur, conſideravit omnes diligentiſſime: nilque in iis explorandis prætermiſit, quod ad accuratiorem diſciplinæ cuſtodiam pertineret. Omnem autem dedit operam, ut in officio contineret cum cæteros omnes ſuæ curæ ſubjectos, tum eos maxime, qui vel ſuperiore aliquo gradu, vel quavis auctoritate præſtarent, quippe quorum dicta, vel facta ad exemplum in omnes partes

(1) *Antoninus Bremundius in ſua laudata demonſtrtione c. 20. pag. 195.*

(2) *Illius gratiarum actionis authograph. aſſervatur in Scriniis Ducis Methimnæ Aſſidon. & Exemplar authent. Romæ in Archiv. Ord. Vid. Bremund. loc. cit., & in Append. n. 34.*

partes valeant plurimum. Ad Juventutem quod attinet, quæ ſibi, præ cæteris cordi erat, ut moribus, & litteris majore, qua fieri poſſet, diligentia inſtitueretur, Præfectis, & Profeſſoribus enixe admodum commendavit. Provinciarum vero adminiſtratores monitos etiam atque etiam, ac juſſos voluit, ne adoleſcentibus erudiendis præficerent, quos adhibito ſeveriſſimo examine ad id muneris obeundum apprime idoneos non inveniſſent. Quin etiam ut, ſi quos in eo gradu jam conſtitutos, aut minus aptos, aut ob gravem incuriam concredito ſibi muneri, & Ordinis expectationi minime reſpondere deprehendiſſent, nulla Perſonarum ratione habita, ab officio ſtatim depellerent, atque omnino exauctorarent. Alte ſiquidem illi hærebat in animo, quod eſt in veteri proverbio, primum diſcendi ardorem nobilitatem eſſe Magiſtrorum. Quo in genere non præteribimus, quod a monumentis fide dignis accepimus (1) Æqui bonique tenaciſſimus, infractique animi Vir, poſt tot, tantoſque a Philippo IV. Hiſpaniarum Rege honores acceptos, cum Dominicanus quidam, qui doctrina minus valebat, ab eodem Principe, ut Magiſterii laurea decoraretur, ſibi nominatus, commendatuſque fuiſſet, omni animi ſubmiſſione, reverentiaque reſpondit: *hominem eo dignitatis gradu ſibi minime dignum videri: multo præſtantioribus eum præferri ſibi eſſe piaculum: id ſi criminis Rex in ſe ipſe ſuſcipere velit, ejus ſe petitioni libentiſſime obſecuturum.* Quo Rex audito reſponſo, non modo a commendatione

ne

(1) *Memor. MS. Conv. c. 14. pag. 92. ex Petro Maria Paſſerino, qui Thomæ Turci fuit in Viſitatione Socius.*

ne ceſſavit, ſed Turci fortitudinem, æquitatemque eſt miratus. Illud quoque cavendum acerrime ſtatuit, ne quis in tradendis Theologicis præſertim diſciplinis, a rectiſſimo, tutiſſimoque, quem iniit Doctor Angelicus, tramite vel minimum aberraret. Qua de re cum latas jamdudum leges ratas habuit, confirmavitque, tum novas edidit longe preſſiores. (1) Nil denique illi potius, atque antiquius fuit, quam ut univerſis Fratribus ad ſuum regimen pertinentibus acriter, graviterque præciperet, ne de Principibus, eorumque Adminiſtris detraherent quidquam, ſed in ea ſemper veritate tuenda perſiſterent, quam a Chriſto Legislatore Ordo ipſe Prædicatorum hauſit, adoptavitque, ſummis nempe Poteſtatibus, niſi quid a Deo vetitum imperent, parendum eſſe, honoreſque adhibendos. Is enim pro ſua ſapientia præclare intelligebat, Regum, & omnium Principum cauſſam cum cauſſa Religionis ita eſſe conjunctam, ut altera alteri non modo impedimento non ſit, verum ornamento, ac præſidio. Atque hæc, aliaque hujus generis monita, & præceptiones edidit qua voce, qua litteris, uti in Hiſpaniarum Regnis, ita in Belgii, Galliarumque Provinciis, quas jam perluſtraverat, eaque Cœnobiorum, & Provinciarum Præfectis ut executioni ſedulo mandarentur, commiſit. (2)

XII. Poſt hæc Valentiam in Saguntinis, quo generalia Ordinis Comitia convocata jam fuerant, ad v. Idus Junias

(1) *Memor. MS. Conv. Cremonen. c. 14. pag. 98., & 99. Tum Acta Capituli Generalis Valentini celebrati anno 1647.*

(2) *Memor. loco citato.*

nias anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi ſeptimi acceſſit. (1) In eo graviſſimorum Patrum Conventu, cui Turcus præfuit, cum multa, quæ antea conſtituta fuerant, firmata, tum nova ſancita, quæ Reipublicæ bono prodeſſe viderentur. Sed illud inter cætera ejuſdem Præſidis juſſu decretum, ut in Comitiorum actis eorum præcipue fieret memoria Virorum, qui cum inſigni aliqua pietatis, aut doctrinæ laude deceſſiſſent, (2) quo poſteri veluti ſtimulo ad Majorum ſuorum exempla imitanda incitarentur. Multa alia leguntur in iis Comitiis ab eo propoſita, ſanctiſſimeque a Patribus conſtituta, quæ cum jam vulgata ſint, non eſt hic neceſſe percenſere ſingula. Valentia antequam diſcederet, Comitiaque diſſolverentur, Beati Viri Ludovici Bertrandi corpus poſt annos ab ejus obitu ſexaginta incorruptum prorſus, & integrum ex humiliore, quo jacebat, in decentiorem locum ſolemni ritu transferri curavit. Quam porro celebritatem ita Valentina Civitas eſt proſecuta, ut ſupra nihil poſſet. (3) Hiſce, aliiſque rebus in Hiſpania compoſitis, in Italiam rediit, multaque in reditu Cœnobia nondum explorata poſtquam in Ciſalpinis inviſiſſet, Romam denique pervenit anno poſtero. (4)

XIII. Emenſis paternæ ſollicitudinis cauſſa tot itineribus, in Urbe conſtitit, ex eaque veluti quadam ex ſpecula univerſam Familiam toto orbe diffuſam circumſpicere, ſcrutarique per epiſtolas cœpit, quid ubique ageretur.

(1) *Echard. tom. 2. pag 535 ex [illegible] Capituli Generalis Valentini laud.*
(2) *In Actis ejuſdem Capituli pag 25 ordinat. 13.*
(3) *Videantur eadem [illegible] pag. 2. denunciat. 4.*
(4) *Anno 1648. Echard. ibidem.*

retur. Neque tamen interea gravioribus aliis, quæ Romæ emergerent, expediendis negotiis deerat; temporibus ita diſtributis, ut quantum liceret, utrique ſatisfaceret muneri. Accidit, ut quæ in Ædibus Minervitanis exſtructa jampridem fuerant cubicula, quo convenire, ſe ſeque recipere Cardinales ſupremi Fidei Quæſitores, Conſultoreſq; ſingulis hebdomadis ſolebant, minus commoda, & idonea viderentur nonnullis, quam ut tot, ac tantorum Virorum, ipſiuſque rei dignitas poſtularet: nec deeſſent, qui ultro offerrent ſe ſe, eiſque locum multo ampliorem, nobilioremque exhiberent ad ſacros illos Conventus agendos. Hanc rem ut reſcivit Turcus magno animo Vir, veteri anguſtiore conclavi repente diruto, tria illa ampliſſima, ac vere ſplendida, quæ nunc viſuntur, cubicula incredibili celeritate excitavit, ornavitque ſic, ut qui eam novitatem attente poſtmodum conſiderarunt, qui id tam brevi tempore, ac fere improviſo fieri potuerit, non ſatis intelligerent. (1)

XIV. Dum vero jam lata quædam per ſupremum Fidei Tribunal, ſummoſque Pontifices decreta omnem in modum tuetur, ac vindicat; neque pro puro, privatoque factionum ſpiritu abrogari, aut vel minimum immutari ea poſſe, aut debere invicte demonſtrat, (2) aſſiduis vigiliis, laboribus, curiſque vexatus, & fractus in morbum læthalem incidit, quo tandem e vivis abreptus eſt Kalendis Decembribus, anno milleſimo ſexcenteſimo nono, & quadrageſimo, cum annos numeraret

ætatis

(1) *Memor. MS Conv. c. 14. pag. 92., una cum Scriptoribus cæteris.*

(2) *Echard. tom. 2. pag. 536., & ſeq. & infra ex ejus in eam rem opuſculo.*

ætatis quinque circiter ſupra quinquaginta. (1) Peracerbam collacrymati ſunt Thomæ Turci jacturam cum Ordo univerſus, qui Patrem in eo amantiſſimum venerabatur, ac fere deperibat, tum exterii quoque omnes, qui tanti Viri integritatem, ſingularemque, ac prope divinam ſapientiam fuerant admirati. Cognita ejus morte Innocentius X. Pontifex Maximus, qui Hominem graviſſimis de rebus in conſilium adhibere conſueverat, ejuſque mentis dexteritatem ſummam, animique magnitudinem fuerat expertus: *cecidit*, inquit, *non unius Ordinis Prædicatorum, ſed univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ columen validiſſimum*. (2) Ejus corpus poſt exequias mira populi frequentia celebratas, in Templo noſtro Minervitano inter dolores, & luctus humatum eſt.

XV. Præter multa, quæ poſteritati reliquit a ſe confecta volumina, id etiam ingenti ſumptu curavit, ut Alberti Magni, Hugonis Cardinalis, Innocentii V., Thomæ Malvendæ, aliorumque Ordinis noſtri Scriptorum opera omnia accuratioribus typis committerentur. (3) Scripſit ipſe volumen maximum earum rerum, quibus Auditores, cum Bononiæ Academiam noſtram regeret, erudivit. (4) Inter cæteras, quas in eo libro proponit, ſtatuitque ſententias, eam maxime propugnat, & vindicat Divini Numinis actionem, ac vim, quam phyſicam.

(1) *Ex libro MS. Receptorum ad Ordinem pag.* 10.

(2) *Memor. MS. Conv. c.* 14. *pag.* 93. *ubi laudatur monumentum hujus rei MS. in Archiv. Conv. aſſervatum.*

(3) *Acta Capituli generalis Valentini* 1647. *pag.* 2. *Denunciat.* 5., *& Chron. Magiſtr. General. Ord. c.* 18. *pag.* 114.

(4) *Extat in Bibliotheca noſtra Cremonen. MS.*

cam in Scholis *Præmotionem* appellant. Hanc totius operis partem ab Autographo tranſumptam, Tabellioniſque publica fide recognitam, ac manu firmatam obtinuerunt Hyacinthus Serryus, (1) & Antoninus Maſſoulieus (2) doctiſſimi, clariſſimique Viri, qui de ejuſmodi ſcriptis poſteaquam attente cognoviſſent, manifeſta Auctoris mens quæ fuerit, deprehenderunt, ejuſdemque in eam rem ſententias, & verba, ad eos refellendos, qui a Divo Thoma in eo doctrinæ genere receſſiſſe Turcum dictitabant, expoſuerunt. In ultima vero vitæ ſuæ periodo Turcus ipſe in eadem ſe perſtitiſſe opinione ſatis oſtendit eo edito a ſe decreto, (3) quo Theſes Alexandri Sebillei phyſicam, quam memoravimus, Dei motionem adſtruentes probavit, commendavitque; ac Lovanii ſummo, quo valebat, imperio, ut publice a noſtris propugnarentur Hominibus juſſit. (4) Sed & fabulam, quam aliqui in Thomam Turcum excogitaverant, egregie refellunt memorati Scriptores, atque objectas male conſarcinatas machinationes invictiſſimis, authenticiſque documentis evertunt. Contexta autem hunc in modum eſt fabula. Cum inter Comitia generalia Valentiæ in Saguntinis, ut dictum eſt, celebrata, ex noſtris Adoleſcentibus unus propoſitiones aliquot ad mentem Angelici Doctoris publice defendendas expoſuiſſet, in quibus erat caput de phyſica, ut vocant,

(1) *Hiacinthus Serryus in Hiſtor. de Auxiliis lib. 5. ſect. 3. c. 11. coll. 781.*
(2) *Antoninus Maſſoulieus: S. Thomas ſui Interpres tom. 2. Diſſertat. 4. qu 3. art. ultim. pag. 389.*
(3) *Refertur decretum illud a Hiacintho Serry loco cit.*
(4) *Ibidem.*

cant, Præmotione, ut ventum eſt ad certamen, *Turcus*, inquiunt, *qui aderat, ſi mihi, ait, demonſtraveris, Fili, Sanctum Thomam de iſta tua, quam ad ejus mentem defendis, motione locutum, ex hoc ipſo loco te ſacræ Theologiæ Magiſtrum creabo.* Sed de hoc commento ſatis.

XVI. Edidit præterea Turcus Opuſculum, cui titulus, Lima Molinæ. (1) Duos item libellos, quorum alter de conceptu Deiparæ Virginis agit, eſtque Innocentio X. inſcriptus; alter inſigne Summorum Fidei Quæſitorum decretum tuetur de titulo *Immaculatæ* ejuſdem Virginis Perſonæ adſcibendo. Non enim deerant, quibus decretum illud minime probaretur, quique, ut penitus abrogaretur, curarent. (2) Scripſit quoque plures ad univerſum Ordinem litteras, ex quibus apparet, quantum fuerit de ejus utilitate, atque honeſtate ſollicitus. (3) Conſtitutiones denique, quas edidit pro recto Studiorum noſtrorum, Bononienſium maxime, ac Pariſienſium regimine, (4) eam ſunt laudem conſecutæ, ut dignæ habitæ ſint, quæ quotannis publice recitarentur. In hujus Familiæ, cujus erat alumnus, ornamentum, & rem magno ſemper fuit ſtudio animatus. Ejus Bibliothecam multis, maximique pretii a ſe coemptis voluminibus auxit. Domos duas ſatis commodas in Urbis fere centro poſitas a Joanne Baptiſta Turco Patruele ſibi teſtamento relictas reliquis Cœnobii fundis adjunxit.

S

(1) *Editum docet Echardius tom. 2. pag. 535.*
(2) *Editos fuiſſe eos libellos affirmat Alva Sol verit. Rad. 325. coll. 2097. & 2117.*
(3) *Enciclicæ illæ ſervantur Romæ in Archiv. Mag. Ord.*
(4) *Bonon. 1645., & Pariſiis 1646. in 4.*

xit. (1) Alia de Thoma Turco narrantur, quæ quia mihi ſatis explorata non ſunt, neceſſe non habui adſcribere. Cæterum ex his, quæ tam brevi vitæ curriculo ab eo geſta retulimus, quantum Ordinem, Patriam, Remque publicam univerſam nobilitarit, erit, opinor, qui legerit, & non viderit, nemo.

JOANNES BAPTISTA BOSESLLUS.

I. SExtulis in ea Garferonianæ Provinciæ parte, quæ Ducum Mutinenſium paret imperio, natus eſt honeſto genere Joannes Baptiſta Boſellus Lazari filius, cui nomen in paternis ædibus, Jacobus. (2) Annorum cum eſſet octodecim, fuiſſetque a pueritia humaniorum litterarum, pietatiſque ſtudio educatus, eam ſibi vitæ rationem ineundam conſtituit, qua Deo ſervire, ac ſempiternam ſibi felicitatem comparare facilius poſſet, ac tutius. Sexto igitur Idus Decembris anni a partu Virginis milleſimi quingenteſimi quarti, & octogeſimi ſacrum Dominici Inſtitutum Mantuæ amplexus eſt. (3) Velociſſimo, quo erat, ingenio, facilique memoria, ex multiplici ſtudiorum genere, quo adoleſcentes noſtri Inſtitui conſueverunt, ac ſolent, eos tulit omnigenæ eruditionis fructus, quos aliis impertiri poſſet cumulatiſſime. Doctoris itaque munere ita perfungi orſus eſt, ut ejus uti magiſterio non tam conſuetudini, quam fortu-

næ

(1) *Petrus Maria Paſſerinus Hiſtor. MS. Conv. S. Domin. Cremon. lib. 1. n. 332.*
(2) *Liber MS. Receptorum ad Ord., & Profeſſorum Conv. S. Domin. Cremon. pag. 25.*
(3) *Ibidem.*

næ tribui ſoleret. Inter hæc miſit Boſellus ad Hyppolitum Beccariam univerſi Ordinis Moderatorem litteras, quibus eum rogabat, ut poteſtatem, qua poſſet alumnis Cœnobii Cremonenſis adſcribi, ſibi concedere ne gravaretur. Cui cum humaniſſime, atque e ſententia reſcripſiſſet Hyppolitus, (1) acceptumque Boſellus Generalis Magiſtri reſponſum paullo poſt Joanni Paullo Nazario ejuſdem Cœnobii Præfecto dediſſet, lecta coram Patribus in Concilium vocatis epiſtola, concordi animorum conſenſione in hanc Familiam adoptatus eſt. (2)

II. Gratulati ſibi mutuo ſunt noſtri, quod eum eſſent Virum adepti, quem ſperabant, magno huic Domui emolumento, atque honori futurum. Neque eos ſefellit eventus. Nam, ut paullo ante dicebamus, ita in docendo inclaruerat Boſelli nomen, ut Provinciæ Præfecti, cognita ejus ſingulari ad id muneris aptitudine, præcipuas ei ne id quidem cogitanti, quas moderaretur, cathedras demandarent. Erat ſiquidem in mira ejus ſubtilitate perſpicuitas tanta, ut Auditoribus multa in rebus vel difficillimis facilitas appareret. In omnibus vero ſtudiis ſuis emicuit in eo devota Deo mens, ſanctiſſimarumque legum noſtrarum diligens exercitatio. Quamobrem dubitabatur, adoleſcentibus, quos inſtituendos ſuſceperat, magis ne prodeſſet doctrina, an virtutum exemplo. (3)

 III.

(1) *Datæ ſunt Hyppoliti litteræ Genuæ VII. Kal. Januar.* 1595. *quarum hæc ſunt prima verba*: Quando vi compiacciate di affigliarvi al Convento di Cremona, me ne contento... *lib. MS. Receptor. &c. pag.* 25.

(2) *Ibidem ad annum* 1599 *VII. Kal. Februarias.*

(3) *Memor. MS. Conv. S. Dom. Cremon. c.* 16. *pag.* 117.

III. Emenſo Juventutis inſtituendæ curriculo, Theologiæque lauream conſecutus Lactantio Ceriolo, cujus de vita, & moribus locuti ſumus, in præfectura Cremonenſi ſufficitur: (1) quo in Magiſtratu gerendo ita ſe præſtitit, ut viam inde ſibi ſtraverit ad altiores gradus ampliſſimam. Nam eo imperante omnia miro ordine, accurationeque ſumma fiebant. Nihil non unanime, non pium, non religioſum, nil denique ad Inſtituti noſtri rationes non exactum diligentiſſime. Adeo valebat ſedulitas ejus, & auctoritas cum ſuaviſſima quadam comitate conjuncta ad omnium voluntates flectendas, & mirifice copulandas. Expleto hujuſce procurationis biennio, ut erat non eruditus modo, abſolutuſque Theologus, ſed magna vix dexteritate, ac conſilio, cauſſarumque Fidei agendarum peritiſſimus, Proviniæ Caſalenſi ad Montem Ferratum Romani Pontificis auctoritate Fidei Quæſitor eſt datus. (2) Huic poteſtati cum annos omnino quinque præfuiſſet, eamque ſumma cum laude, atque Eccleſiæ honeſtate adminiſtraſſet, Cremonam translatus eſt exercendi ejuſdem muneris cauſſa. (3) Cremona vero poſt annos ſeptem ad multo ampliorem ejuſdem generis poteſtatem, Genuenſem ſcilicet eſt promotus. (4) His omnibus in locis quantum in re Fidei, & Eccleſiæ procuranda peritiam probaverit ſuam, ſollicitudinem, prudentiam, aliaque ad id neceſſaria, ex eo facile dignoſcitur, quod ab inferioribus ad nobiliores, diffi-

(1) *Catalog. Priorum Conv. ejuſdem ad annum* 1614.
(2) *Anno* 1620. *Ibidem*.
(3) *Anno* 1625. *Ibidem*.
(4) *Anno* 1632. *Vide Franciſcum Ariſium tom.* 3. *pag.* 208.

Digitized by Google

difficilioreſque Provincias adminiſtrandas tam ſæpe pro-veheretur. Quo vero libentius agere id Roma ſolebat Hominis remunerandi cauſſa, tantundem ægro Cives, quibuſcum verſatus eſſet, ferebant animo. Ita enim, ubi-cumque ille commoraretur, humanitate, facilitateque ſua ad ſuavitatem omnia temperabat, ut illicium quoddam eſſet, & vinculum animorum. Sed cum in alios eſſet tam benignus, liberalis, & comis, in ſe ipſum non item: quippe qui non ſibi, ſed muneris tantum honeſtati ſerviebat. Quam ob rem dignitate, qua erat ornatus, ſic utebatur, ut in iis, quæ ad privatæ ejus vitæ rationem pertinerent, ab rigidioribus inſtitutorum no-ſtrorum profeſſoribus minime ſecerneretur. (1)

IV. His igitur moribus effecit, ut non tam ab exteris, quam a noſtratibus & amaretur, & ſuſpiceretur quam maxime. Itaque poſt annum unum a ſuo in Urbem Genuenſem adventu in Comitiis Bononiæ celebratis electus eſt, qui univerſam Lombardiæ Provinciam moderaretur. (2) Noverant ſiquidem, qui ad ea Comitia convenerant, Patres, nil poſſe ab Joanne Baptiſta Boſello expectari, quod non eſſet optimum, aptiſſimumque reipublicæ bene gerendæ. Neque omnium expectationi defuit Boſellus: Nam cum ei nil in primis opinanti minus ea dignitas obveniſſet, ſic ejus mentem, animumque occupavit, ut, ſi eam in ſe recipere debuiſſet, jam tum conſtituerit, ſe illi uni, cæteris abdicatis omnibus, operam daturum. Dimiſſo igitur Sacri Inqui-

(1) *Memor. MS. Conv. loco laudat.*
(2) *Catalogus Provincialium utriuſque Lombardiæ ad ann. 1633.*

ſtoris munere demandatæ ſibi ampliſſimæ adminiſtrationi manum, & lacertos admovit. Perrara ejus fuit in cognoſcendis Fratribus ſolertia, Inſtitutique, ac diſciplinæ ſtudium, & procuratio ſumma. In perluſtrandis de more Cœnobiis, ſi quæ forte occurriſſent, quæ ſibi minus probarentur, emendabat illico ſine ſtrepitu, ſine acerbitate, & offenſione animorum. Erat enim in loquendo, corrigendoque adeo conſideratus, & parcus, ut nullum fere verbum, niſi conſulto, ac meditato proferret. Quæ vero proferebat, hæc erant non trunca, non ſuſpenſa, non ambigua, neque per induſtriam, & artificium perplexa, (quo in genere peccari ſolet a multis) ſed integra, & candida, ut ſatis inde appareret, quantum inter veram prudentiam interſit, & calliditatem. (1) Sed idem cum Reipublicæ partes curaret omnes vigilantiſſime, illud præcipue ſpectabat, ut univerſis, qui in ſingulas Provinciæ Familias beneficium aliquod contuliſſent, & accurate, & abunde fieret ſatis. Cujus rei hoc habemus teſtimonium, quod præterire nolumus, quamvis fortaſſe nonnullis leve viſum iri putemus. Vita functo Joanne Baptiſta Fraganeſchio, qui Samaritanam Cicconiam Antonii Filiam in matrimonium duxerat, hæc pro ſua in Deum pietate, atque ardentiſſimo æternæ felicitatis ſtudio propoſuit, certam, eandemque haud modicam pecuniæ ſummam Dominicanis Cremonenſibus ſe daturam, modo ſpiritualium, quæ ab ipſis fierent, bonorum particeps indiſtincte haberetur. Itaque, priuſquam decederet, liberaliter, quod conſtituerat, fecit.

(1) *Memorial. MS. Conv. loc. cit.*

cit. (1) Boſellus Provinciæ per id temporis Præfectus, ne hujus fœminæ de Cœnobio noſtro bene adeo meritæ pia recordatio aliquando interiret, lege perpetuo duratura decrevit, ut præter id, quod ipſa petierat, determinata quotidie precatio, enunciato ejus nomine, recitaretur. (2)

V. Biennio, quo Provinciæ Magiſtratus circumſcribi ea ætate ſolebat, feliciter abſoluto, ab Urbano hujus nominis VIII. in eo munere eſt confirmatus, atque in annum tertium protracta ejus optima procuratio eſt. (3) Quam cum ingenti omnium laude, atque Ordinis emolumento perfeciſſet, ſeptuagenario major ſe ſe in Cœnobium ſuum Cremonenſe recepit. Erat hic per ea tempora excipiendis in Ordinem Adoleſcentibus locus Majorum noſtrorum ſanctione decretus. His igitur fingendis, atque ad omne officii genus inſtituendis ſe ſe Boſellus addixit (4) Nemo hoc venerabili Sene aptior ei muneri. Nativæ ejus ſuavitati, charitatique in omnes effuſæ accedebat dignitas, & auctoritas tanta, quantam & ſenectus ipſa, & morum integritas, & præteritorum munerum graviſſima exercitatio ei conciliaret. Quare Adoleſcentes ab eo ſic inſtituebantur, ut ejus conſuetudine nihil jucundius haberent, nihil utilius. Omnibus aderat diſciplina, omnibus conſilio, & quod caput eſt,

(1) *Petrus Maria Paſſerinus Hiſtor. MS. Conv. S. Domin. Cremon. lib. 1. c. 1. n. 392. ad annum 1633. Pecuniæ ſumma fuit aureorum fere ducentorum. Arch. Conv. lib. R. f. 66.*

(2) *Ibidem.*

(3) *Catalogus Provincialium Lomb. ad annum 1635.*

(4) *Memor. MS. Conv. Cremon. c. 16. pag. 117. & ſequen.*

viva omnium virtutum imagine. Quo denique factum eſt, ut multos genuerit, dederitque Provinciæ Viros, quos recenſere non vacat hoc loco, non minus doctrina, quam morum probitate clariſſimos. (1) Tanti valet in adoleſcentes ad bona quæque formandos Magiſtri inſtitutio.

VI. Haud ita facile dictu eſt, quantis Familiam hanc beneficiis cumularit munificentiſſimo hic, gratiſſimoque animo Vir. Jam annos ante aliquot (2) eam reditibus auxerat multa, quam in commune ærarium congeſſerat, pecunia fœnerata. Anno vero milleſimo ſexcenteſimo quinto, ac triceſimo cum Bibliothecam hanc animadvertiſſet, recentioribus Codicibus egere quam maxime, nummos dederat argenteos mille, quibus ab Urbe Mutinenſi coemptus eſt cenſus nummorum ejuſdem æris octo, & viginti in ejuſmodi quotannis volumina convertendorum. (3) Triennio poſt cum, uti ſuperius eſt dictum, Cremonam remigraſſet, ab Hieronymo Zocchio aliam itidem emit annuam penſionem nummorum argenteorum viginti, quos pro rerum, ac temporum opportunitate Patres ad ſacram Templi ſupellectilem ſive reficiendam, ſive, ut occaſio tuliſſet, adaugendam impenderent. (4) Sacrarium interea, quibus carebat, ſacris veſtibus, & ornamentis ad rem divinam cum privato, tum ſolemni ritu faciendam, neceſſariis locupletavit. (5) Per hoc idem tempus opera,

(1) *Memor. MS. Conv. c. 16. pag. 117., & ſequent.*

(2) *Petrus Maria Paſſerinus Hiſtor. MS. &c. lib. 1. c. 1. n. 310., & n. 324. Item Memor. c. 16. pag. 119.* (3) *Ibidem.*

(4) *Petrus Maria Paſſerinus Hiſtor. MS. Conv. lib. 1. c. 1. n. 325. ad ann. 1638*

(5) *Idem lib. 2. n. 84., & 86 ad annum 1639.*

opera, & induſtria Alexandri Capræ præcellentis Fabri Lignarii, & Cælatoris, novis ex nuce latioribus menſis, armariis, ac pluteis affabre elaboratis idem Sacrarium inſtruxit, ornavitque ſic, ut opus totum non minore, quam ſexcentorum, & octoginta argenteorum pretio eidem denique ſteterit. (1) Sed & Lampadem a Joſepho Manaria fieri curavit argenteam ſex brachiis ejuſdem æris inſtructam, unciarum circiter ſeptingentarum, quæ ad aram Templi maximam tum, cum præcipue Sacratiſſimum Chriſti Corpus ad adorandum exponeretur, arderet. (2) Domeſticum valetudinarium, quo infirmi commodius haberentur, inſtauravit (3) Porticulam, qua ab ſcala Cœnobii maxima ad chorum uſque itur, quæque anno milleſimo ſexceteſimo undecimo a fundamentis excitata haud ſatis firmiter fuerat, cum decurſu temporis corruiſſet, ita ſuis ſumptibus refecit, ac communivit, ut etiamnum integra, atque immota conſiſtat. (4) Qua ex re factum eſt, ut Sextulinæ ſit ei nomen inditum a Sextulis Boſelli patria.

VII. Atque hæc ſunt, aliaque hujus generis multa, quæ in Familiam hanc noſtram beneficia contulit Boſellus: quorum ſumma, ſi colligatur, erit utique, ut Codicum noſtrorum monumenta teſtantur, nummorum aureorum bis mille, & quingentorum. (5) Neque id quempiam movere debet. Nam cum plurimas pro varietate,

(1) *Idem lib. 2. n. 72. ad annum 1638., & 1639.*
(2) *Ibidem n. 77.*
(3) *Ibidem n. 118.*
(4) *Ibidem n. 96. Eadem apparent in Memor. Conv. loc. cit.*
(5) *Memor. MS. Conv. c. 16. pag. 125., ubi ea Summa colligitur.*

rietate, dignitateque munerum, quibus perfunctus eſt, obventiones, ſtipendiaque accepit, tum ingenti adeo de hoc Cœnobio, cui adſcriptus fuerat, benemerendi ſtudio flagrabat, ut prius animam, quam id deponere maluiſſet. Ajebat enim ſæpiſſime, tantum Ordini, in quem fuerat cooptatus, debere ſe, quantum filius familias Matri debet pupillæ omniumque rerum indigenti. Ex quo fiebat, ut tanto parcior in ſe eſſet, quanto in eam liberalior; ſi tamen liberalitas dicenda ſit ejus, qui nil poſſidet prorſus, ſed purum, putumque rebus, quæ ſibi permittuntur, habet uſum. Id quod de cæteris hujus Familiæ beneficis noſtris hominibus intelligendum velim. Sed in hoc etiam ſumma ſemper moderatione uſus eſt, curavitque diligentiſſime, ut reipublicæ opportunitatibus, & commodis magis, quam ſuis proſpiceretur. Nil propterea illi ſplendidum, nil ſumptuoſum, nihil non humile in externo cultu, ſed cubiculum ſimplex, ſupellex modica, res omnes exiguæ. Neque quidquam, cum ei dignitas aliqua acceſſiſſet, de religioſæ, modeſtiſſimæque vitæ conſuetudine immutavit; (1) ac reliquas Inſtituti noſtri leges, exercitationeſque quotidianas ad extremam uſque ſenectutem, ne vel minimum violaret, religioſiſſime cavit. Semper actuoſus, ac vigil, nullo fractus labore, vel territus maluit tempus labori deeſſe, quam laborem tempori. Anno igitur quatuor fere ac nonaginta cum tali modo vixiſſet, (2) in eum denique morbum delapſus eſt, qui vitæ ei diuturnioris ſpem omnem

(1) *Idem Memor. pag. 127. & ſequent.*
(2) *Memor. MS. Conv. c. 26. pag. 125.*

omnem ademit. Sacris itaque Myſteriis, uti enixe petierat, communitus, poſt brevem, quem magno animo tulit cum morte conflictum, ſenio, laboribuſque conſumptus animam placidiſſime efflavit. (1) Poſtridie cadaver ejus elatum eſt, omnibus, qui ad funus convenerant optimi Senis jacturam deplorantibus. Sic enim vixerat, ut eum ſoſpitem coluerint omnes, ſic interiit, ut non ſui memoriam reliquerit modò, ſed deſiderium.

DEODATUS SCALIA.

I. DEodatum Scaliam hoc cognomine nominamus, & quod ita ſit vulgo appellatus; & quod ipſe, ut opinamur, id adoptarit in gratiam Deſiderii Scaliæ Cardinalis avunculi ſui. Cæterum res eſt monumentis indubiæ fidei conſignata, eum eſſe Brixiæ ex Camillo Zanucca, & Innocentia Deſiderii Sorore honeſtis conjugibus natum. (2) Pueritiam, & adoleſcentiam pie, liberaliterque cum tranſegiſſet, clariſſimi Avunculi, qui per eos dies Cremonæ Inquiſitoris munere fungebatur, exemplo, in eandem Dominicanorum Cremonenſem Familiam, in quam ille ſeceſſerat, cooptatus eſt. (3) Solemni Deodatus Sacramento cum ſe noſtris adjunxiſſet,

(1) *Anno 1660. Ibidem.*

(2) *Liber Receptorum ad Ordinem pag. 8. tergo, ubi leguntur hæc verba: F. Deodatus de Brixia, qui in ſæculo vocabatur Joannes Paullus filius legitimus D. Camili Zanuccha; & D. Innocentiæ Scaliæ uxoris ejus receptus fuit ad habitum Clericalem per me F. Jacobum Rhodiginum Priorem Cremon. nomine hujus Conventus die 25. Martii 1607.....*

(3) *Die 25. Martii 1607., ut ſupra.*

xiſſet, ut erant illi non facile minus, quam acutum ingenium, excellenſque memoria, eos brevi in ſcholaſtico pulvere progreſſus fecit, qui in Juvene litterarum ſtudioſo, ac diligente ſingulares, laudeque digni haberi poſſint. Sed non majorem humanarum, divinarumque rerum, quam bene, ornateque dicendi peritiam eſt conſecutus. Nam cum nil prætermiſit eorum, quæ hujuſmodi arti excolendæ adjumento eſſe intelligeret, tum nactus erat magnam corporis dignitatem, gravitatemque vocis, atque ſermonis, quibus efficiebatur, ut & doctus Theologus haberetur, & ſacer Orator per eam ætatem commendatiſſimus. (1)

II. Accidit interea, ut Urbanus hoc nomine VIII. Deſiderium Scaliam Cardinalem Deodati avunculum ab Epiſcopatu Novocomenſi Romam accierit, ejus opera, & conſilio utendi cauſſa: ejuſque in locum Lazarum Caraſinum Epiſcopum Melphienſem, ut ſupra declaravimus, ſuffecerit. (2) Reliquum igitur erat, ut ea commutatione facta Melphienſis Eccleſia alicui probatæ virtutis, & doctrinæ Viro a Pontifice traderetur. Non deerant, qui Cathedram hanc & honorificam in primis, & vectigalibus haud ſane contemnendis inſtructam expeterent. Verumtamen Pontifex Deodatum, quem Deſiderius Romam evocaverat, habebatque ſecum Theologi loco, (3) cæteris omnibus in illud Sacerdotium connitentibus antetulit, deſignavitque, cui

ſacra

(1) *Memor. MS. Conv. c. 13. pag. 88., & 89.*

(2) *Vid. quæ de Deſiderio Scalia ſunt dicta.*

(3) *Ughellus Ital Sacr. tom. 1. pag. 1018. Melphien. Tum ipſe liber Receptor ad Ord. pag. 8.*

ſacra illius Diœceſis procuratio decerneretur. Melphienſis itaque Antiſtes initiatus Melphim ſolemniter ingreſſus eſt menſe Aprili: eratque hic annus milleſimus ſexcenteſimus, viceſimus ſextus. (1) Ac primum omnium Eccleſiam ſibi concreditam quinque ac triginta Sanctorum Martyrum reliquiis, quas Roma ſecum deportarat, una cum S. Alexandri Martyris integro Corpore e Calixti Cæmeterio eruto decoravit, uno ex Sacellis Majoris Templi ob hanc cauſſam thecis auro obductis, marmoreiſque loculamentis ornato. Tum Diœceſim accuratiſſime perluſtrare, ſeque in primis exemplum præbere cæterorum. Domeſticam familiam certis, iiſdemque anguſtis finibus continere; egentes collata ſtipe ſublevare; imperitos per ſe ipſum erudire, diligenterque in omnium vitam, ac doctrinam inquirere; nilque præterire, quod ad collapſam diſciplinam in ordinem redigendam opportunum videretur. (2)

III. Eo in genere multa ſunt, quæ religionis, pietatiſque ſtudio præſtitit, memoratu digna. Doctrinæ Chriſtianæ Congregationem, ut vocant, multis annis neglectam, progreſſuque temporis omnino ſublatam ad uſum priſtinum revocavit. Ea precum ſeries, quam Roſarium vocamus, ut alternis choris publice, ac ubique recitaretur, indixit. Græcos, qui Latinis in ea Diœceſi permixti commorabantur, ad Romanum vivendi morem, & ritum ſuaviter, ac peramanter adduxit.

(1) *Ughellus loco cit.*

(2) *Michael Cavallerius tom. I. centur. 5. pag. 615. n. 120. Memor. MS. Conv. loco laudato.*

duxit. Litem, quæ de jure dicundo, exercendoque inter Abbatem S. Angeli, ut appellant, in Vultu, & Melphienſes Antiſtites jampridem agitabatur, neque componi pacifice unquam potuerat, feliciter diremit, ac vicit. Veteres controverſias a Judicibus, Urbiſque Præfectis adverſus Eccleſiaſticam immunitatem, juraque Epiſcopalia excitatas magno animo tulit, ſuſtinuitque ſic, ut nil eiſdem ceſſerit unquam, quod ad ſe pertineret. Neque propterea Deodato eorum quiſquam eſt indignatus. Non enim eum fortiter adeo, conſtanterq; obniti, pugnareque tandem animadverterunt, ut ſibi, ſuiſque commodis inſerviret, ſed ut eam dignitatem, poteſtatemque ſartam, tectamque tueretur, quam in communem animorum, & perſonarum utilitatem referret. Jura proinde quorumdam Caſtrorum temporalia, quibus Regii adminiſtri eum privare tentaverant, nullo negotio defendit, confirmataque ſibi impetravit in poſterum. Cathedram Melphienſem reditibus auxit, ejuſque perveruſtas ædes, quæ pene corruebant, refecit, in amplioremque formam inſtauravit. (1) Diœceſanum denique Concilium coegit, quo pluribus editis, confirmatiſque pontificia auctoritate decretis id præcipue curavit, ut Sacerdotum honeſtati, puriori doctrinæ, vitæque caſtigatiori conſuleretur. (2)

IV. Hiſce rebus, aliiſque non abſimilibus effecit, ut majorem in dies cum Avunculi benevolentiam, tum Summi

(1) *Ughellus, & Cavallerius ſuis quiſque locis laudatis.*

(2) *Prater Ughellum, & Cavallerium hac eadem refert Memorial. MS. Conv. c. 13. pag. 89.*

Summi Pontificis ſtudium ſibi conciliarit, & gratiam. Itaque cum Franciſcum Vicecomitem Mediolanenſem ab Alexandrina ad Cremonenſem Eccleſiam adminiſtrandam transferri contigiſſet, quo tempore Deſiderius Scalia Cardinalis jam e vita deceſſerat, egregia, qua Urbanus idem VIII. in Deodatum erat voluntate animatus, Hunc præ cæteris Antiſtitem, qui Vicecomiti ſubrogaretur, delegit. (1) Hoc Deodatus accepto nuncio ad Melphienſes, quibuſcum erat annos decem, ſeptemque verſatus, concionem habuit amantiſſimam, qua primum de ſuo ab iiſdem diſceſſu commonitos fecit, tum in ea, quam ipſorum animis perpetuo inſtillaverat, bene, ſanƈteque vivendi ratione mirifice confirmavit. Ea Melphienſes concione ita ſunt omnes commoti, ut nemo non intelligeret ab illo ſe diligi impenſe, nemo non lacrymis ſignificaret, quam intime ejus tam ſubita abitione angeretur, omnes denique multo, quam antea, ſtudioſius conſtituerint illius ſe monita, ac ſaluberrima mandata facturos. (2) Hiſce peraƈtis, poſtea quam omnibus Melphienſibus bene fuiſſet, fauſta precatus, in viam ſe dedit Alexandriam Statelliorum verſus. Illuc cum acceſſiſſet, fuiſſetque, propterea quod ejus fama jam fuerat eo perlata, ingenti omnium ordinum lætitia, & celebritate magnifice exceptus; non abſimili cœpit diligentia novam hanc ſibi demandatam Provinciam gerere, neque minore Alexandrinos, quam antea Melphienſes

(1) *Anno 1644. die 18. Aprilis. Ita Ughellus tom. 4. pag. 463. & tom. 1. pag. 1018.*

(2) *Memor. loco citato. Vid. etiam Fontana p. 1. pag. 121.*

ſes amore, ac paterna ſollicitudine, charitateque complecti.

V. Cum vero haud modicam annuarum penſionum acceſſionem ex ea Cathedræ permutatione ſibi factam intellexiſſet, nihil de quotidiano cultu mutavit, nihil de vitæ conſuetudine, affirmans eos reditus non ſibi, ſed egenis, ſed divino cultui, & Sponſæ ſuæ ornamento creviſſe. Univerſos itaque fructus, quos ab eo Sacerdotio capiebat, initis rationibus ita partiebatur, ut vix retenta vectigalium parte, quæ ſibi ad modeſte, parceque vivendum eſſet neceſſaria, quod ſupererat, id totum in miſericordes, piiſſimoſque uſus liberaliſſime converteret. Cujus ecquidem rei teſtimonium illud afferam, quod minime ſpernendum videtur. Alexandrini cenſus licet longe majores eſſent melphienſibus, nihil eo ſecius ex ejus Ephemeride repertum eſt, in ſingulorum annorum exitu nil unquam ei fuiſſe reliquum, quod vel ad Cognatos, vel ad Cœnobium ſuum Cremonenſe dono tranſmitteret. Nam illi cumprimis Deodati largitate, quod nos quidem noverimus, ditiores facti non ſunt; Dominicani vero Cremonenſes id unum, quod eſt omnium maximum, Deodato Scaliæ debere ſe profitentur, quod hanc Familiam & eximia virtute, & ampliſſima dignitate illuſtrarit, tantaque floruerit meritorum opinione, quanta Sacrorum Antiſtitum pauci per eam ætatem.

VI. In ſacris adminiſtrandis alacer, expeditus, & gravis, nulloque aut tempeſtatis, aut laboris incommodo fractus, ſemperque anxius ne officio deeſſet. Tam ſedu-

ſedulam, tamque frequentem cum rebus divinis dare operam ſoleret, nullum prætermittebat officii genus, quo Civium animos omni, qua liceret, urbanitatis, comitatiſque ſignificatione devinciret. Nil ei propterea prius, quam bene de omnibus, optimeque mereri. Nil avebat magis, quam ſalva dignitatis honeſtate, omnium gratiam, & voluntatem. Quam ob cauſſam omnibus eum convenientibus amantiſſimi Paſtoris, ac parentis laxabat viſcera, modo non præfidentes, aut indigni ab eo quidpiam expoſcerent: atque hac eadem benignitate complectebatur non eos modo, quos animo in ſe bono, ſed quos etiam minus æquo, & candido ad ſe accedere intelligebat. (1) Cum in tanta Deodatus erga omnes facilitate, atque ad benefaciendum proclivitate inſenuiſſet, & annos fere quindecim Alexandrinam Eccleſiam ſanctiſſime adminiſtraſſet, magno denique pauperum luctu, omniumque mœrore fato ceſſit anno poſt Chriſtum natum milleſimo ſexceteſimo nono, & quinquageſimo, cum ætatis annos ageret ſeptuaginta. (2) Triduo Cadaver ejus cum in palatio de more fuiſſet expoſitum, apud Noſtros, ut ipſe teſtamento præſcripſerat, magna Urbis frequentia humatum eſt. (3)

(1) *Memor. MS. Conv. loco ſæpe laudat.*
(2) *Ughellus, Cavallerius, Fontana, aliiq.*
(3) *Cavallerius cum Cæteris loco cit.*

JULIUS MERCORUS.

I. JULIUS MERCORUS Joſephi filius Cremonenſis honeſto genere natus. (1) A Patre, quem nactus eſt diligentem, & probum, in primiſque ſtudioſum non minus pietatis, quam litterarum, enutritus liberali admodum inſtitutione fuit. Adoleſcentulus cum tali Parente uteretur, atque a natura ingenium hauſiſſet aptum ad artes omnes, ita amæniores litteras cum pietate conjunxit, ut nobilis inter æquales utroque in genere haberetur, deque ſe magnum quid polliceretur, & ſingulare. Ad annos decem ſeptemque cum perveniſſet, incenſus eſt Dominicani Ordinis ineundi deſiderio adeo vehementi, ut moras omnes moleſtiſſime ferret. Videbatur quidem initio aliquid obſtare ex parte parentum, qui filium unice diligebant; ſed his haud ita multo poſt in pium ejus votum conſentientibus, a Sigiſmundo Betto Laudenſi, qui per eos dies Dominicanis Cremonenſibus præerat, in hanc Familiam adſcitus, (2) atque ad humana, divinaque ſtudia capeſſenda poſt tyrocinium miſſus non ea prius arripuit, quam oſtenderit, quanta eſſet ingenii vis, & docilitas ſui. Inſtitutorem inter cæteros habuit Vincentium Pretum, Virum clariſſimum, qui cum Julii Mercori ſingularem ad ſublimia quæque perdiſcenda facilitatem, celeritatemque cognoviſſet, jamque animo præſenſiſſet, quantus

(1) *Lib. MS. Receptorum ad Ord. pag. 12. Tum ex monumentis MS. Familiæ de Mercoris.*

(2) *Ibidem ad diem 29. Febuar. ann. 1625.*

Digitized by Google

quantus eſſet futurus, eum cæpit magni facere, neque ſecus diligere, ac filium. (1) Circumacto ſtudiorum orbe, quo tempore plurima ingenii ſui experimenta fecerat, ad eos erudiendos, qui in ejus fidem, & diſciplinam traderentur, delegatus eſt. Eo functus eſt munere cum in aliis Civitatibus primum, tum demum in Patria, ubi ingenti ſui nominis honeſtate ſupremam Theologiæ Cathedram eſt moderatus. (2)

II. Cum præter doctrinam, eruditionemque ſummam, magnum eſſet in Homine diſciplinæ domeſticæ ſtudium, & morum gravitas non vulgaris, neque id Patres Cremonenſes, quod ejus familiari conſuetudine uterentur, fugere ullo modo poſſet, in unum omnium congruere ſententiæ, Julium Mercorum omnino dignum videri, quem Petro Mariæ Paſſerino in Præfectura ſufficerent, univerſimque illi Familiam adminiſtrandam decernerent. Erat hic annus milleſimus ſexcenteſimus quadrageſimus ſecundus. Sub hujus itaque initium eum ſibi, ſuiſque rebus omnibus præpoſuerunt. (3) Hac Julius procuratione ſuſcepta, licet annum vix quintum ſupra triceſimum attigiſſet, ea tamen prudentiæ, diligentiæque laude ſe geſſit, ut longo regendi uſu conſenuiſſe jam videretur. Sed hic non præteribo, quid illi acciderit præclarum. Anno ejus Præfecturæ ſecundo is, qui ſacras toto eſurialium dierum tempore conciones in Templo noſtro habiturus erat, in ipſo ſacro-

 rum

(1) *Echardius tom. 2. pag. 629.*
(2) *Memor. MS. Conv. Cremon. c. 16. pag. 126.*
(3) *Catalog. Priorum Cremonen. ad annum 1642.*

rum cinerum pervigilio deſideratus eſt. Julius Mercorus, qua jam valebat dicendi copia, incredibilique memoria, id oneris in ſe ipſum repente ſuſcepit: atque in eo gerendo ita quotidie ſe præſtitit, ut ad eum audiendum, admirandumque ingens Civium, populique concurſus ſit factus, & fructus inde uberrimos perceperint univerſi. (1)

III. Tali modo Cremonenſibus cum præfuiſſet annos duos, viam ſibi facilem & amplam ad alias Præfecturas aperuit. Huic proximam tenuit Viglebanenſem primum, tum Neapolitanam S. Catharinæ ad Formellum; qua vix expleta, ut Collegium noſtrum S. Thomæ Aquinati in eadem Urbe dicatum, ejuſdemque inſignem Studiorum Academiam moderaretur, a Thoma Turco Generali per eos dies totius Ordinis Magiſtro juſſus eſt. (2) Sub hoc idem fere tempus ſuborta Neapoli celebris illa Maſanielli ſeditio eſt, quæ licet brevi fuerit poſtmodum extincta, dubitari tamen haud poteſt, quin multa cunctis ordinibus incommoda, graveſque rebus omnibus perturbationes, atque moleſtias attulerit, de quibus non opus eſt dicere hoc loco. Julius igitur Mercorus turbidorum illorum temporum, & loci pertæſus, Præfecturæque ſuæ curſu nondum exacto, Neapoli diſceſſit, in Urbemque venit anno ipſo, quo fuit Thomæ Turco paullo antea demortuo Joannes.

(1) *Ex notis ad librum MS. Receptorum pag. 12. Tum etiam ex monumentis MS. Familiæ de Mercoris:*

(2) *Echard. tom. 2. pag. 619. & Memor. MS. Conv. Cremon. c. 16. pag. 126. Item Rovetta Biblioth. pag. 185.*

Digitized by Google

nes Baptiſta Marinus in Generalatu ſuffectus.(1) Hic Julium Mercorum, cujus doctrinam, virtutemque ſatis habebat perſpectam, & quem ſummopere diligebat Magiſterii Laurea inter ipſa Comitia decoravit.(2) Inter hæc Patres Cremonenſes primæ Julii Mercori adminiſtrationis haudquaquam immemores, hujus iterum Familiæ Præfectum inſtituunt. Verum cum a Vincentio Preto generalis Inquiſitionis in Urbe Commiſſario, paullo poſt ejus in Patriam adventum, Romam fuiſſet accitus in ſuumque Socium deſignatus, Cremonæ diutius immorari non potuit, quam menſes duos. (3)

IV. Romam igitur cum rediiſſet, fuiſſetque a Preto, quem loco parentis habebat, peramanter exceptus, ita ſuam in negotiis fidei pertractandis ſolertiam, peritiamque probavit, ut ab auguſto purpuratorum in Urbe Inquiſitorum Senatu, biennio poſt Mantuatibus primum, tum Ticinenſibus, ac Mediolanenſibus denique ſit datus, qui eos populos ab hæretica pravitate protegeret. (4) His omnibus in locis eam ſibi doctrinæ famam comparavit, exiſtimationemque virtutis, ut omnium oculos, quotieſcumque in publicum prodiret, in ſe converteret, neque ei par quiſquam in Civitate haberetur. Et quod eſt difficillimum, quamvis Fidei Quæſitoris munus, quo fungebatur, ſpeciem præſeferat quandam (non enim eſt celandum) ſeveritatis, & vim avertendi potius animos habere videatur, quam alliciendi;

(1) *Echard. tom. 2. pag. 629., ad ann. 1650.*
(2) *Ibidem.*
(3) *Catalog. Priorum Cremonen. ad annum 1650.*
(4) *Ariſius tom. 3. pag. 203., ex Catalog. Inquiſitorum.*

eam tamen huic poteſtati faciem ſua humanitate formavit, cujus adſpectum non minus diligerent homines, quam timerent. Erat enim miro animi candore Vir, & peramabili conſuetudinis facilitate. Nam qualibet ad eum adiiſſes hora, & quocumque ille modo ſe habuiſſet, & excipiebat benigne, & patienter audiebat; agebatque cum omnibus ad ſe ventitantibus ea frontis, & oculorum ſerenitate, ut vel ex hoc uno cum eo natam in omnes benevolentiam, comitatemque dixiſſes, non adſcitam. (1) Suo autem muneri licet adeſſet accuratiſſime, id tamen efficiebat, ut nonnihil etiam temporis ſuppeteret, quod aut litteris tribueret, aut opportunitatibus civium. Verum de litteris ejus dicemus poſtremo loco.

V. Gratia, & auctoritate apud Magiſtratus, & Principes Viros valebat Mercorus in tantum, ut nil fere agerent gravius, aut molirentur, quod non prius cum eo conferrent, ejuſque conſilio non definirent. Quin etiam ejus opera uſi ſunt aliquando iis præſertim in rebus, quæ ad reipublicæ commodum pertinerent. Quo in genere illud eſt Mercoro perilluſtre. Diuturnum, graviſſimumque bellum ſuſtinuerant Cremonenſes; ſuoſque ob hanc cauſſam civiles reditus non modo averterant, ſed plurimum etiam æris alieni contraxerant; (2) premebanturque multis anguſtiis, neque qua inde ratione emergerent, videbant, niſi Philippum IV.

Hiſ-

(1) *Præter cæteros, qui de Julio Mercoro ſcripſerunt, vide Joſephum Hieronymum Sementium Somaſchum Cremonen. in oratione ejus parentali habit. Mediolani 27. Julii 1673.*

(2) *Ex monumentis in publico Cremonenſis Civitatis Tabulario aſſervatis.*

Hiſpaniarum Regem, cujus ſummo parebant imperio, omni animorum ſubmiſſione confugerent levamentum aliquod impetraturi. Inito igitur Decurionum Conventu, & habita de hac re conſultatione ſolemni, conſtituerunt, legatum ſe ad Regem miſſuros. Ubi vero ad eum, quem mitterent, eſt ventum, etſi non deeſſent Cremonæ viri huic muneri obeundo pares; rebus tamen ſerio, graviterque perpenſis, in eam denique ſententiam omnium convenere ſuffragia, ut Julio Mercoro gravis adeo, & neceſſaria Legatio decerneretur. (1)Hunc autem Virum idcirco cæteris antetulerunt, quod minime ignorarent, quantum ſapientia, ac dexteritate floreret, & quam proſpero eventu Civitates aliæ, in quibus verſabatur, ejus conſilio, & opera uterentur. In memoriam etiam revocaverant quæ, & quanta univerſæ Ditioni Mediolanenſi beneficia Joannes Paullus Nazarius ex eadem Patria, & Inſtituto impetrarit a Philippo III., ad quem fuerat haud multos ante annos Orator miſſus. Neque eos fugiebat, quam bono, ac munifico continenter fuiſſent Catholici Reges in Dominicanos animo, atque is præſertim, qui per id tempus regnabat, a quo & Thomas Turcus fuerat inter primos Regni Magnates adſcriptus, & alii ejuſdem Ordinis adlecti Viri, qui ſacras ejus confeſſiones exciperent. (2)

VI. Julio Mercoro his præcipue de cauſſis in Legatum

(1) *Ex laudatis Monumentis Cremonenſibus ad annum* 1660. *Item Memor. MS. Conv. c.* 16. *pag.* 126. *cæterique omnes.*

(2) *Ibidem Vid. etiam Chron. Magiſtr. General. Ord. c.* 18. *pag.* 114.

tum electo, primum omnium Cremonenſes ad ipſum litteras dant Ticini Regii per eos dies commorantem, nilque expectantem minus. Erat autem is annus a Chriſti Servatoris ortu milleſimus ſexcenteſimus, ac ſexageſimus. Earum vero litterarum hæc erat fere ſententia: rerum Cremonenſium eum eſſe ſtatum, ut Cives egeant Viro, qui ad Regem Catholicum quam primum mittatur opem aliquam Patriæ imploraturus: Dignam eſſe Legationem hanc probata fide, ſolertia, & auctoritate Julii Mercori, ſtudioque rei publicæ conſervandæ: in eum unum oculos, animoſque conjeciſſe Cives, quod ſpem in eo haberent maximam rei bene, optimeque gerendæ: iterum propterea iterumque petere ſe, ut id muneris, oneriſve impoſitum ſubire ne gravetur: commeminerit, cum in eadem ſit Civitate natus, rem, de qua agitur, eſſe ſibi prorſus, Civibuſque communem. Lectis his litteris, ut erat Julius eximia in Patriam charitate, cohibere ſe minime potuit, quin ad eam intimo quodam animi ſenſu commiſerandam permoveretur. Tum paucis reſcripſit ad Cives: imparem eſſe ſe tanto oneri ferendo: nihilo tamen ſecius, ſe tantum debere Patriæ, eamque poſt Deum Optimum Maximum ita diligere, ut recuſare nulla ratione poſſit, ſuam qualemcumque in publicam ejus utilitatem operam daturum. Ac demum concluſit epiſtolam, ſe, ut primum potuerit, Cremonam acceſſurum, ibique, quid ſibi facto opus fuerit, intellecturum. (1) Impetratis itaque opportunis facultatibus Cremonam venit, ſub initium

(1) *Ibidem*.

initium Maii, eodemque inde menſe, acceptis mandatis, ſuiſque litteris fiduciariis munitus in Hiſpaniam profectus eſt. (1)

VII. Ad Urbem regiam ut eſt perventum, & coram Rege haud multos poſt dies introductus, tantam vel primo ipſo occurſu iniit gratiam ab humaniſſimo hoc Principe, ut dignus habitus ſit, qui ad privata cum eo colloquia non ſemel admitteretur. (2) Hanc igitur opportunitatem nactus, quæ ab Cremonenſi Magiſtratu acceperat in mandatis, omni animi fiducia, reverentiaque aperuit Regi: neque prius ab ejus conſpectu diſceſſit, finemque fecit orandi, quam quod vehementer optabat, ab eo pleniſſime ſit conſecutus. (3) Sed & illud narratur, quod eſt munificentiſſimæ in Julium Mercorum regiæ voluntatis teſtimonium: eidem ſcilicet, antequam in Italiam reverteretur, dono dediſſe Regem inter cætera perraram illam, maximique pretii tabellam pictam, quæ S. Catharinæ Senenſis effigiem exhibet, exprimitque ad vivum ſic, ut nil ſupra eſſe poſſit. Verum de hac pulcherrima imagine dictum eſt alibi uberius, quam ut iterum deſcribatur hoc loco. Cum ſatis interea communi conſultum rei videretur, petito Mercorus, factoque ſibi a Philippo IV. commeatu in Italiam rediit, atque in Patriam ſoſpes introiit eodem anni proxime inſequentis menſe, quo inde diſceſſerat. (4) Qua læti, gratique animi ſignificatione eum exceperint, habue-

(1) *Anno 1660. menſe Majo, ex Monument. Cremon.*
(2) *Vid. Echardius, Ariſius, Rovetta, aliiq. locis laudat.*
(3) *Ex Monument. potiſſimum Cremonen.*
(4) *Anno 1661. menſe Majo ibidem.*

habuerintque Cives, cum res per ſe ipſa loquatur, neceſſe non eſt pluribus perſequi. Sed perilluſtrem hanc Julii Mercori Legationem in actis publicis Cremonenſibus teſtatam voluere Optimates verbis ampliſſimis.

VIII. Ad intermiſſum Sacri Inquiſitoris officium cum rediiſſet, cœpit illico de Cœnobio ſuo Cremonenſi gratificando cogitare. Ac primum omnium ſex vaſa argentea, quæ ad Dei cultum pertinerent, candelabra item ejuſdem æris ſex ad Aram Templi maximam collocanda confici magno ſumptu curavit. (1) Sed & ſacris veſtibus auro, ſericoque graphice vermiculatis, & acu elegantiſſime pictis ſacrarium locupletavit, decoravitque, ut pares in hoc beneficiorum genere paucos habuerit, ſuperiorem profecto neminem. (2) Quod vero caput eſt omnium, nobiliſſimam Templi partem, quam chorum appellant, cum a recta cæterarum partium ſtructura, quadam obliquitate deflecteret, ita pictam ab imo ad ſummum, uti alibi declaravimus, voluit, ut artis induſtria & aliquali emendationi eſſet, & ornamento. Illud denique inſigne reliquit munificentiæ ſuæ teſtimonium, perpetuo duraturum, niſi ſtudio novarum rerum, ex veteri in recentiorem formam illud redigere alicui in mentem venerit. Eſt autem Ara maxima lectiſſimis marmoribus extructa, lapidibuſque pretioſis, iiſdemque & multis, & variis affabre, ſplendideque contexta. Hiſce, aliiſque ſimilibus

(1) *Petrus Maria Paſſerinus Hiſtor. MS. Conv. S. Domin. Cremon. lib. 2. n. 151. Item in notis ad lib. Receptorum pag. 12.*

(2) *Ibiidem.*

bus impenſis Crucem argenteam magnæ utique molis, & ponderis, atque opere eximio cuſam adjunxit, quæ publicis noſtrorum ſupplicationibus præferretur. Quarum ille rerum memoriam, diſſimulato pro modeſtia nomine, expreſſit his verbis, quæ a tergo Aræ maximæ leguntur in marmore inciſa.

D. O. M.
Clemente X.
Pontifice Max.
Sanctorum Albo
Ritu Solemni
Scribente
B. Ludovicum Bertrandum
B. Roſam Limenſem
S. Raymundi
In Tota Eccleſia
B. Alberti Magni
S. Gundiſalvi
Et B. Margaritæ
In Univerſo Ordine
Prædicatorum
Divinum Officium
Celebrari Sanciente

Templum hoc olim
Noſtratum pietate
Magnifice ſtructum
Hujus Cœnobii
Fratrum Solertia
Novis Picturis
Argenti aucta
Supellectile
Ac ſacris Veſtibus
Pretioſis graphice
Auro, & Serico
Vermiculatis
Munifecit
Et Hunc Locum
Invenit Domino
Tabernaculum
Deo Jacob
M. D. C. L. X X I.

IX. Hiſce Julii Mercori in Patriam, ſuumque Cœnobium meritis, innumera, quæ in univerſam litterariam Rempublicam, ipſamque Romanam Eccleſiam contulit, beneficia acceſſerunt. Controverſiis de Divini

ni Numinis auxilio ad bene, beateque vivendum neceſſario diu, multumque agitatis, ac temporaria proviſione compoſitis aliæ non minus graves, ac feriæ de opinionum, ut vocant, probabilitate ſucceſſerant. Huic rei, ne ad perniciem animorum manaret quotidie latius, hortatu præſertim, & juſſu Alexandri VII. Summi Pontificis, qui nonnullas in hanc rem propoſitiones confixerat, ire obviam conſtituerunt piiſſimi aliquot, doctiſſimique Viri. Inter exteros igitur Proſper Fagnanus; ex Noſtratibus Joannes Martinez Hiſpanus, Joannes Baptiſta Gonetus, Vincentius Contenſonius, aliique plures in Galliis, egregie ſcripſerunt; atque in Italia omnium primus Julius Mercorus, cum Mantuæ Sacri Quæſitoris munere fungeretur.(1) Sed viſus eſt hic & intime, & preſſius rem ipſam præ cæteris attigiſſe. Nam uno edito a ſe volumine (2) duo extrema adortus eſt vitia Theologorum, & qui ſcilicet jugum Chriſti Legislatoris nimium emmollirent, & qui plus juſto exaſperarent. Opus eſt iis, qui interiore, exterioreque foro delectantur, apprime neceſſarium. In eo utique libro refellit identidem Antonium Eſcobarium, Joannem Caramuelem, alioſque: verum modeſte adeo, religioſeq; cum iis agit, ut remiſſiores quidem, quas probarant, opiniones, earumque ſtructuram omnem a fundamentis convellat, ſuppreſſis tamen eorum, aut expreſſis cum reverentia nominibus.(3)

(1) *Chron. Magiſtr. General. Ord. c.* 18. *pag.* 117.

(2) *Titul. Baſis totius Theologiæ Moralis, hac eſt praxis opinionum limitata.... Mantuæ apud Oſannas* 1658. *in fol. pp.* 299. *Item Pariſiis apud Jo: de Lannai in* 12. *pp.* 702.

(3) *Echardius tom.* 2. *pag.* 629.

X. Habuit nihilominus obtrectatorem quendam, quem alii Vendrochium, vero nomine Nicolium, alii Alium fuiſſe ferunt, qui ſcripta ad Amicum epiſtola Julii Mercori librum in invidiam adducere omni ſophiſmatum apparatu conatus eſt. Huic Mercorus, cum Ticini Regii commoraretur, alium ſtatim libellum oppoſuit, quo vel minimas ejus cavillationes, & nodos ita diſſolvit, extricavitque, (1) ut ne hiſcere quidem adverſarius deinceps potuerit. Ab Joanne denique Caramuele impetitus cum fuiſſet acrius, eidem plane fecit ſatis libello tertio, quem ibidem compoſuit, omniumque eruditorum Virorum gratulatione vulgavit. (2) Extant præterea in Bibliotheca Cremonenſi ejuſdem Scriptoris inedita volumina duo, quorum primum ſatis luculenter oſtendit, quæ S. Thomæ mens, & ſententia fuerit in iis libris, quos ad Chriſtianos mores rite formandos, hominesque in officio continendos elucubravit; eundemque Doctorem Angelicum a falſis eorum accuſationibus liberat, qui puriſſimam ejus mentem ſive per gravem inſcitiam, ſive per ſummam etiam injuriam, improbitatemque pro lege minus, quam pro libertate ſunt interpretati. Alterum quid ignorantia ſit; quæ vinci poſſit; quæ vero non item, declarat, utrumque ignorantiæ genus certis definiens, juſtiſque finibus, quibus qui abuti voluerit, certiſſime ſciat, niſi reſipuerit, perpetuo ſe iri perditum. His omnibus vel ſcriptis duntaxat,

(1) *Titulus Operis eſt: Solutiones trium Nodorum.... Ticini Regii typis Caroli Porri ann. 1663. in 4. pp. 130.*

(2) *Titulus eſt: Apocriſis pro Doctrina.... Ticini Regii ann. 1664. in 4.*

taxat, vel editis, divulgatiſque voluminibus, incredibile eſt, quantam ſibi laudem pepererit, exiſtimationemque doctrinæ. Laudatores habuit ſapientiſſimos, graviſſimoſque Viros, Auguſtinum Angelum Epiſcopum Umbraticenſem in Brutiis, (1) Picinellum Mediolanenſem, (2) Martinum Eſparzam Societatis Jeſu Presbyterum, (3) Tyrſum Gonzaleſium Generalem ejuſdem Societatis Præpoſitum, alioſque plures. Quod autem eſt rarum, ac peroptandum maxime, non ab amicis tantum eſt commendatus, ſed ab Adverſariis etiam, quod animo cum his minime iniquo pugnarit, habitus ſemper eſt plurimi.

XI. Fuit igitur hic magnus Vir non minus probus, ac pius, quam doctus, & eruditus. Tot operibus conſcribendis, graviſſimiſque muneribus obeundis quamvis adeo diſtineretur, nil tamen habuit antiquius, quam ut ſancta, quibus ſacramento ſe obſtrinxerat, Inſtituta coleret, obſervaretque impenſiſſime. Ejus de charitate, diligentia, æquitate, comitateque ſumma in exercendo Inquiſitoris munere, in quo annos inſumpſit fere undeviginti, jam ſatis ſuperius eſt dictum. Huic tamen procurationi tantum unice tribuit temporis, quantum non officeret, quominus a reliquis privatæ, religioſæq; vitæ occupationibus abduceretur. Conſtitutis itaque vigiliis, precationibus, jejuniis, aliiſque cœnobiticis exercitationibus publicis aut aberat numquam, aut niſi ob urgentes,

(1) *In libro cui titulus: De uſu opinion. probabil. pag.* 150.
(2) *In Atheneo Mediolan.*
(3) *In libro cui titulus: Appendix ad quaeſt. de uſu licito opinion. probabil.*

gentes, graviſſimaſque cauſſas. Sed nil Julio Mercoro potius, quam ut ea promoverentur, atque in dies augeſcerent, quæ ad divinum cultum, majoremque Dei gloriam referri quoquo modo poſſe exiſtimaret. Cujus ecquidem rei præter ſingularem ejus in Deum pietatem, charitatemque perpetuam, (1) nullum luculentius afferre teſtimonium poſſum, quam incredibiles impenſas, quibus, ut alibi dictum eſt, inſigne Cremonenſium Prædicatorum Templum, & Sacrarium ornavit. Tali modo cum annos vixiſſet quinque ſupra ſexaginta, (2) illud nactus eſt morbi genus, quo, cum nulla Medicorum ope levari potuiſſet, poſt diuturnum, moleſtiſſimumque cum morte conflictum, occubuit. Ticino Regio Mediolanum Venerat. Alexandri VII. Summi Pontificis juſſu, & auctoritate miſſus. (3) Nobiliſſimæ illius Urbis Optimates, lectiſſimoſque omnium Ordinum Viros conſuetudine ſua ſic ſibi devinxerat, ut quos ipſe, cum integra eſſet valetudine, adire conſueverat officii cauſſa, aut qui honoris, & benevolentiæ gratia ad eum ventitaverant, non minus frequentes ad decumbentem, quam ad ſoſpitem inviſendum, complectendumque omni amoris, & reverentiæ ſignificatione confluerent. Ille vero amicorum, & ſodalium officiis cum tantum tribueret, quantum homini ad æternitatem properanti liceret, ingraveſcente morbo acerbiſſime conflictatus, & fractus, ſacriſque omnibus ad extremum diem feliciter

(1) *Joſeph Hieronymus Sementius Oratione ſuperius laud.*

(2) *Conſtat ex libro MS. Receptorum pag. 12., & clarius ex Monument. Domeſtic. Familiæ de Mercoris.*

(3) *Ibidem.*

citer obeundum communitus ſpiritum, uti dictum eſt, Deo reddidit VII. Idus Martias anno poſt Chriſtum natum milleſimo ſexcenteſimo tertio, & ſeptuageſimo, ſepultuſque eſt poſt ſolemnes exequias Mediolani in Templo Sanctæ Mariæ Gratiarum, via Vercellenſi.

PETRUS MARIA PASSERINUS.

I. HAbuit hic Vir Joannem Baptiſtam Boſellum, cujus de vita, & moribus locuti ſumus, Avunculum, eodemque, quo Boſellus, Oppido natus eſt, Michaele Patre homine probo, & ingenuo. (1) Avunculi exemplo, cum eſſet annorum quindecim, majoraque, quam ætas ferret, polliceretur, in Cremonenſem Prædicatorum Familiam ſumma omnium voluntate adſcitus eſt, Cœnobii Præfecto Petro Caſarolio Fidentino. (2) Peracto Cremonæ tyrocinio, ſacriſque votis Deo ſuſceptis, feraciſſimo, atque ad omnia compoſito, quo valebat, ingenio, Bononiæ, quo, fuerat miſſus, humanis, diviniſque litteris ita eſt eruditus, ut non multos poſt annos concrediti ei ſint Adoleſcentes, quos è ſuperiore loco inſtitueret. Eſt autem eo munere apud Cremonenſes primum, tum apud Boſchenſes egregie perfunctus. (3) Sed Cremonæ cum Theologiam traderet, eam ſibi doctrinæ famam comparavit, ut Petrus Camporeus Cardinalis ampliſſimus, ac per eos dies Cre-

(1) *Natus eſt anno 1597. XIV. Kal. Julias. Ex lib. Recept. pag. 10. e pag. 28.*
(2) *Ibidem ad annum 1612. die 29. Februar.*
(3) *Echardius tom. 2. pag. 674.*

Cremonenſis Antiſtes eum annis quatuor, & triginta minorem jam dignum habuerit, cujus conſilio de gravioribus Eccleſiæ negotiis uteretur. (1) Fuiſſe autem non Theologum modo excellentem, ſed oratorem ad bene, ornateque dicendum, ſi occaſio tuliſſet, paratiſſimum, perilluſtre illud eſt teſtimonium. Cum per illud idem tempus (2) ob graſſantem in his partibus luem ſancta concionandi ſtatis temporibus conſuetudo jam ab annis quatuor defeciſſet, conciones habuit Paſſerinus ad Cives Cremonenſes integro eſurialium dierum curriculo, ingenti auditorum plauſu, ac profectu. (3) Nulla eſt fere virtus oratoria, quæ non in eo emineret. Genus dicendi grave, nervoſum, nitidum: eruditio ſolida, & exquiſita: vox ipſa, & actio plena roboris, & dignitatis: ut mirum, ſit concionibus habendis non fuiſſe toto reliquæ vitæ tempore occupatum.

II. Sacræ Theologiæ Magiſter declaratus, cum præter ſapientiam, eruditionemque non vulgarem, prudentiæ quoque, vitæque religioſiſſimæ laudem ſibi jam peperiſſet, hujus Familiæ clavo admotus eſt, ac Joanni Franciſco Galvano ſuffectus. (4) Erat animo hic Vir a Præfecturis utique alieno cum ob alias cauſſas, tum præcipue, quod propoſuerat, unam ſe, perpetuamque Studiis litterarum, quarum cupidiſſimus erat, operam daturum. Faciendum tamen haud eſſe judicavit, ut Provinciæ Moderatoris imperio, quo id oneris in-

(1) *Memor. MS. Conv. Cremonen. c. 16. pag. 103. & ſeq.*

(2) *Anno 1630. ut conſtat ex Catalogo Concionatorum hujus Conventus ad eundem annum.* (3) *Ibidem.*

(4) *Catalogus Priorum hujus Conv. ad annum 1640.*

ſe recipere jubebatur, non pareret. Inito gubernio, cum ad domeſticam diſciplinam promovendam, remque omnem familiarem curandam tantum ſtudii, operæque conferret, quantum non indiligens Paterfamilias deberet, nihilo tamen ſecius horas aliquas ſurripere a reliquis occupationibus ſtuduit, quas libris conſcribendis tribueret. Scripſit itaque volumen unum in libros novem aptiſſime diſtributum, in quibus italico idiomate, & ordine quam maxime nitido texuit Cœnobii, cui præerat, hiſtoriam. (1) Ac primum omnium, quo loco apud Cremonenſes, & tempore Majores noſtri prima Ordinis fundamenta jecerint: qua ratione, ſubinde, & a quibus impetrarint, ut in eam Urbis regionem, & ſitum, quo nunc circumſcribitur, domicilium ſuum transferrent: quibus, & quorum impenſis illud ſucceſſione temporis exſtruxerint, auxerint, ornarint: & quod haud ita facile fuit, ſic rerum omnium ad familiam hanc ſuſtentandam pertinentium origines, cautiones, & progreſſus expoſuit, ut nulla ſit penſio annua, nulla fœneratio, prædium, aut poſſeſſio nulla, neque urbana res, neque ruſtica, neque quidquam aut numerata pecunia acquiſitum, aut nobis teſtamento relictum, quod non in eo Volumine, ſuo unumquodque tempore ſit notatum. Uti autem ſeriem familiarum deſcripſit accuratam earum, quæ aliqua in nos beneficia contulerunt, ita conventiones omnes, & pacta ſubtexuit, quibus polliciti ſunt Patres, ſe incruenta pro iis ſacrificia, perpetuaſq; precationes nunquam intermiſſuros.

(1) *Volumen hoc MS. in fol. aſſervatur in Archiv. Conv. S. Domin. Creman.*

ros. Id vero totum diligentia confecit, perſpicuitateque tanta, ut uno Præſides, & Procuratores obtutu perſpiciant, ſe niſi per ſummam incuriam ſuo non poſſe muneri quoquo modo deeſſe. Hæc Petrus Maria Paſſerinus, dum Cremonæ commorabatur.

III. Per hoc idem fere tempus communi rei publicæ bono ad Supremum Ordinis Magiſtratum evectus eſt Thomas Turcus Cremonenſis, cujus de vita, & rebus præclare geſtis plura jam perſecuti ſumus. Hic cum viros apprime doctos, & probos eximie coleret, & impenſe foveret, Petrum Mariam Paſſerinum, cujus virtutem, ac ſapientiam habebat omnino perſpectam, ad ſe nil cogitantem minus ex Inſubria accerſitum Provinciæ honorariæ, quam vocant, Terræ Sanctæ præfecit, ſibiq; Socium pro rebus Italicis deſignavit. (1) Eo in munere, cum juris eſſet utriuſque peritiſſimus, nilque haberet eo ſtudio carius, ita cœptus eſt de negotiis quibuſcumque gravioribus in conſilium a Thoma Turco adhiberi, ut univerſæ fere ampliſſimi illius Regiminis curæ illi uni traditæ, ac demandatæ viderentur. Eidem Generali Magiſtro Italiam, Galliam, Belgium, Hiſpaniamque luſtranti ſemper adfuit in comitatu, eumque in magnis illis itineribus conſilio, & opera ubique juvit. Thoma Turco paullo poſt ſuum in Urbem reditum humanis rebus adempto, ab Innocentio X. Pontifice Maximo, cui ſe Paſſerinus ingenio, & morum gravitate probaverat plurimum, Fidei Quæſitor Bononien-

 ſis

(1) *Echard. tom. 2. pag. 674. & Memor. MS. Conven. c. 15. pag. 107.*

ſis eſt inſtitutus. (1) At vero cum anno inſequente a Joanne Baptiſta Marino Genuenſi Thomæ Turci in Magiſtratu Succeſſore Romam evocatus, delectuſque fuiſſet, qui generalis Procuratoris munere fungeretur, (2) abdicata, quam Bononiæ inierat, poteſtate, in Urbem iterum demigravit.

IV. Graviſſimam hanc procurationem cum ſuſcepiſſet magno rerum uſu, ſingulari prudentia, animique conſtantia, & æquitate Vir ita domi, foriſque ſe præſtitit, ut ingenti paullo poſt exiſtimatione florere cœperit univerſim. In juribus, Familiæ noſtræ tuendis, confirmandiſque perpetuus, diſertus, invictus. Æqui, bonique tenaciſſimus, ſed idem urbanus, & comis admirandum in modum. In jure vero dicundo adeo verſatus, ut ſi quam eſſet Ordinis cauſſam acturus, non prius eam pertractandam ſuſciperet, quam certus eſſet, eam ſibi è ſententia ceſſuram. Cavere propterea ſolebant Juriſconſulti, ne cum Paſſerino contenderent, quod omnino ſe ſcirent nonniſi victos e certamine poſſe diſcedere. Ejus itaque diuturna, annorum ſcilicet ſex & viginti, (3) procuratione, illa nobis obtigit rerum quies, illa felicitas temporum, quam auream plane Ordinis ætatem dixiſſes. (4) Enim vero non unum Paſſerino rem Ordinis publicam procurante emolumentum Dominicanorum Societas tulit: Sed hoc eſt maxime illuſtre.

(1) *Echard. & Memor. ibidem.*
(2) *Chron. Magiſtr. General. Ord. c. 18. pag. 117. ad ann.* 1651.
(3) *Echard. tom. 2. pag.* 674.
(4) *Memor. MS. Conv. pag. 107. c. 15. ubi laudatur Fontana Theatr. Dominic. p. 2. pag. 470. n. 57. Rovetta Biblioth. pag. 187. aliique.*

ſtre. Celebrem Innocentii X. Conſtitutionem, qua quinque Janſenii propoſitiones proſcripſerat, cum Academia Lovanienſis, qua par erat in Sedem Apoſtolicam reverentia excepiſſet, editoque ſolemni Decreto conſtituiſſet, Sanctorum Virorum Auguſtini, & Thomæ Aquinatis Doctrinam de Divinis, ut vocant, auxiliis inviolabili fide ſe velle complecti, eoſdemque propterea in peculiares Magiſtros elegiſſe, hanc piiſſimam Lovanienſium mentem, firmumque propoſitum mirifice commendavit Innocentius; *quod præclariſſimorum*, ajebat, *Eccleſiæ Doctorum Auguſtini, & Thomæ Aquinatis inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata ſequi ſemper, ac impenſe venerari ſe velle aſſererent, quorum profecto Doctorum penes Catholicos maxima, & omnem laudem ſupergreſſa nomina novi præconii commendatione non egent*. (1)

V. Moderabatur interea Paſſerinus in inſigni Romanæ Sapientiæ Academia Cathedram matutinam, quam ſumma cum laude annos duos ſupra viginti rexit, & amplius. (2) Erant autem, qui ad eum auditum convenirent, innumeri excellenti hominis ingenio, ſingulari eruditione, ac mira in rebus explicandis facilitate capti. Domi vero commorantem adibant fere quotidie omnium Ordinum principes Viri, conſilii ab eo petendi, impetrandique cauſſa. Erat propterea omnibus carus, maximoque in pretio, atque honore habebatur. Inter hæc Joanne Baptiſta Marino è vivis ſublato Clemens IX. Roſpilioſus, qui Alexandro VII. Chiſio

V 3 in

(1) *Chron. Magiſtr. General. Ord. c. 18. pag. 117.*
(2) *Echard. tom. 2. pag. 674.*

in Pontificatu ſucceſſerat, Petrum Mariam Paſſerinum, cujus virtute, ac ſapientia valde permovebatur, generalem ad nova uſque Comitia totius Ordinis Vicarium inſtituit. (1) Hac dignitate auctus ad id potiſſimum mentem intendit, animumque, ut Sacri Inſtituti leges, & ritus, quoad ipſe præeſſet, inviolate ab omnibus cuſtodirentur. Quod ut ubique perficeretur, exemplo primum, tum litteris ſtudii, curæque pleniſſimis ad omnes Provincias miſſis curavit diligentiſſime. Dum hæc ab eo geruntur, novi creandi Magiſtri conſtitutum tempus advenit, jamque in Urbem menſe Majo (2) convenere Patres, quibus ſuffragii ferendi jus eſſet. Initis invicem maturis conſultationibus, explorataque Divini Numinis voluntate, non defuere, qui in Petrum Mariam Paſſerinum, quod ob eximias animi dotes eſſet pleriſque commendatiſſimus, multo vehementius, quam in alium quemvis propenderent. (3) Verum cum ejus non ſatis firmam valetudinem, devexamque nimis ætatem ſerio denique animadvertiſſent, veriti, ne novum, novis itineribus, Ordini incommodum eſſent quamprimum allaturi, in Jo: Thomam Roccabertum Nobiliſſimum Hiſpanum, ac Provinciæ Aragonenſi Præfectum ipſius etiam Paſſerini, qui actis comitialibus præerat, conſilio, & hortatu coierunt. (4)

VI. Hiſce rebus ingenti omnium conſenſione peractis

(1) *Anno 1670 ibidem.*
(2) *Chron. Magiſtr. General. Ord. c. 18. pag. 1 8. ad ann. 1670.*
(3) *Colligitur ex notis Marginalibus libri MS. Receptorum ad Ord. pag: 15., & 37.*
(4) *Idem Chron. loco citato.*

actis, decretum ſibi Magiſtratum ſubiit Roccabertus ea fere conditione, ut ſcilicet Paſſerinus, cujus fidei, ac prope infinitæ rerum agendarum peritiæ plurimum confidebat, ab incœpta jamdudum procuratione minime ſe abdicaret. Eam igitur tenuit, exercuitque iterum annos ſeptem. Atque hic tantus Vir tot, tantiſque negotiis, & curis implicitus, quam olim Deo voverat, Dominicani Inſtituti diſciplinam, immutabili quadam vitæ ratione ad extremam uſque ſenectutem ſancte admodum rigideque ſervavit. Nihil unquam in eo non modeſtum, non grave, non compoſitum, non denique religioſum exquiſitiſſime. Poſtea igitur quam annos ipſos octoginta compleſſet, fuiſſetque in poſtrema, quam contraxit, infirmitate ad extremum uſque ſpiritum integra mentis, ſenſuumque firmitate uſus, placidiſſima morte quievit. (1) Vulgato ejus obitu, ingens confeſtim hominum concurſus ad Cœnobium Minervitanum eſt factus. Poſtridie ſolemni funere elatus eſt, ſepultuſque in Templo Minervitano, commiſerantibus hunc caſum omnibus bonis, & eruditis, quaſi immature deceſſiſſet, quem diutiſſime ſuperſtitem voluiſſent.

VII. Conceptum ejus morte mœrorem magna ex parte levarunt plura, quæ in lucem edidit, volumina multæ eruditionis, ſolidæque doctrinæ pleniſſima, quibus etiamnum videtur nobiſcum aliqua ratione verſari. Ejus liber, quem de Electione Canonica inſcripſit,

 (1)

(1) *Anno 1677. menſe Junio. Ita Echardus, aliique Scriptores laudati.*

(1) laudem apud Legumperitos conſecutus eſt tantam, ut quoties de ejuſmodi electionibus agitur, nemo ſit, qui ad eum non ſe conferat, veluti oraculi ſiſcitandi cauſſa. Nihil enim tam novum, & improviſum, tamque arduum, & implexum emergere in iis caſibus poteſt, quod ipſe non proſpexerit penitus, dilucideque non extricarit. De ſtatibus, & officiis extant ejuſdem Volumina tria. Primum continet, cujuſmodi eſſe eos oporteat, qui ad Epiſcopatum promoventur, eoque tam ſancto funguntur munere. Agit ibidem de recta bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratione gerenda, deque hominum inſuper Sacris Inſtitutis addictorum ſtatu, ac votis tribus: (2) Secundum eorumdem privilegia, facultateſque complectitur: (3) Tertium cætera, quæ ad ipſorum diſciplinam, & leges videntur quomodocumque pertinere. (4) Scripſit etiam egregios in primum, ſecundum, & tertium, tum etiam VI. Decretalium librum commentarios, quos qui legerit plane intlliget, nil eſſe in univerſo jure Pontificio, quod ipſum lateret; & quanto Juriſperitis ſint uſui, reique publicæ commodo, & ornamento. (5) De Summorum Pontificum Electione, deque Indulgentiis ſunt ejus præterea libri duo,

---

(1) *Edit. Romæ typ Nicolai Auguſ. Tinaſii anno 1661. in fol. pp. 804. Extat Pariſiis in Regia. E. 1115.*

(2) *Edit. Romæ typis Trinaſii 1663. in fol. pp. 752.*

(3) *Edit. Ibidem 1663. in fol. pp. 808.*

(4) *Edit. Ibidem 1665. in fol. pp. 887. In Regia Pariſien. E 1108. Iterum Lucæ etiam eſt opus. A 1732. typis Leonardi Venturini a quamplurimis mendis quæ in Rom. editionem irrepſerant expurgatum.*

(5) *Tom. 1. edit Ibidem 1667. in fol. pp. 715. Tom. 2. edit. ibidid. 1670. in fol. extant in Regia Pariſien. E. 1112.*

duo, quorum alterum alteri ſi comparaveris, haud facile dignoveris, uter ſit Theologis, Juriſque Conſultis utilior. (1) Brevem quoque, facilem, & accuratam in homines quoſcumque inquirendi methodum confecit, qua nihil commodius, & aptius eſſe poteſt iis, qui utroque foro delectantur. (2) Eos denique compoſuit, vulgavitque in tertiam Theologiæ Thomiſticæ partem commentarios in tria Volumina diſtributos, quibus quantum fuerit in hoc etiam doctrinæ genere verſatus, haud obſcure ſignificatur. (3) His omnibus, quæ cum multa, tum graviſſima ſunt, præter quæ inedita ſervantur in Cremonenſi Dominicanorum Tabulario, orationes addere poſſumus, quas coram Innocentio X., & Alexandro VII. recitavit elegantiſſimas. (4) Extat item Romæ in Ordinis Tabulario ſpiſſum illius opus MS. in 4. quo quidem opere eos refellit, qui gratiæ divinæ *actualis*, quam dicimus, rationem in una *victrici delectatione* conſtituunt. Atque hæc (ſi quæ modo me non fugerunt) de Petro Maria Paſſerino Cœnobii Cremonenſis alumno hiſtorice retuli: quæ etſi ſummatim dicta ſunt, ſatis tamen oſtendunt, eum fuiſſe & Patremfamilias ſolertiſſimum, & magnum Theologum, & Juriſconſultum eximium, & graviſſimum Oratorem, & ſapientiſſimum denique, piiſſimumque Virum.

PHI-

(1) *Liber. 1. edit. ibidem 1670. in fol. In Regia Pariſien. E. 1115. Liber. 2. edit. ibid. 1672 in fol. in Regia Pariſien. E. 1118.*
(2) *Edit. ibidem 1667. in fol. pp. 488 In Regia E. 1118.*
(3) *Edit ibidem 1669. in fol. in Regia E. 1111.*
(4) *Romæ typ. Tinaſſii 1666. in 8. pp. 132.*

PHILIPPUS THOMAS HOVVARDUS.

I. HOvvardianorum genus in Anglia, atque in Orbe fere univerſo clariſſimum. Thomas Nortfolciæ Dux, Arundeliæ, Surriæque Comes, Carolo I. Anglorum Regi a Secretioribus Conſiliis, Magnus Regni Mareſchallus hæreditarius, ac denique ſummus adverſus Scotos Regii Exercitus Imperator Alatheam Talbottam pari nobilitate fœminam duxerat Uxorem, ex qua progenitus eſt Henricus Hovvardus. Hic Elizabetham Stuvvardam Regis conſanguineam cum ſibi in matrimonium junxiſſet, Londini Philippum genuit,(1) cujus de vita, & moribus ſcripturi ſumus. Nactus hic indolem ad artes optimas accommodatiſſimam, inſtitutus in Patria, erudituſque eſt Urbe ampliſſima. Proficiebatque jam mirifice non pietate minus, quam litteris, cum Parentes ejus poſt Carolum I. Catholicum ab Hæreticis capite detruncatum, ne iis, qui a legitimo Rege defecerant, adhærerent, violarentque fidem Catholicorum, Antverpiam ſe receperunt, eumque ſecum cum reliquis liberis deduxerunt. Rerum humanarum pertæſus, ac ſtudio divinarum incenſus nobiliſſimus hic Adoleſcens jam Antverpiæ in aliquam hominum Deo addictorum Societatem ſeceſſiſſet, niſi afflictiſſimos erga Parentes pietas eum a propoſito retardaſſet.(2)

II. Haud

(1) *Anno 1629. menſe Septembri. Ita Bernardus De Jungben in ſuo Belgio Dominicano edit. Bruxellis anno 1719.*
(2) *Bernardus De Jungben in ſuo Belgio Dominicano ad annum 1645.*

II. Haud ita multo poſt cum Avo, quem nominavimus, in Italiam profectus quod in Belgio diſtulerat in poſterum, perfecit. Nam Mediolanum cum perveniſſet, fuiſſetque a Philippo IV. Hiſpaniarum Rege Mediolanenſium Optimatibus, & Miniſtris vehementer admodum commendatus, & Equitum Magiſter inſtitutus, Joanni Hacqueto Dominicano Hiberno Viro doctiſſimo, ſingularique virtute, ac in Ædibus Euſtorgianis primario per id tempus Theologiæ Profeſſori de Prædicatorum Inſtituto capeſſendo conſilium, ac deſiderium ſuum inter colloquendum aperuit. Hunc Joannes Hacquetus cum in ſententia conſtantiſſimum, propoſitique tenacem animadvertiſſet: *Confide*, inquit, *Fili Divino Numini: nam ſi quod cogitaſti, teque facturum decreviſti, probatum eidem fuerit, fiet. Chriſtum interim Servatorem, ejuſque magnam Virginem Matrem omnibus precibus obſecra, ut in re tam gravi, quid facto ſit opus, oſtendant*. Hiſce verbis menti, animoque alte defixis, Placentiam cum Avo quibuſdam de cauſſis ituro diſceſſit, ab eodemque poſt brevem in ea Civitate moram, obtenta Mediolanum redeundi facultate, Cremonam cum Joanne Hacqueto ſuæ voluntatis interprete piam fugam arripuit (1) Abjectis hic pretioſis ornatibus, ac reliquis omnibus domeſticis commodis, honoribuſque valere juſſis, humiles Prædicatorum veſtes, ſuis nil tale cogitantibus, a Vincentio Gallentio Cœnobii præfecto ſuſcepit, Thomæ nomine, quod ſibi propoſitas Thomæ Aquinatis virtu-

tes

(1) *Ibidem tum etiam Marius Guarnaccius Hiſtor. Pontific. Roman. & S. R. E. Cardinalium tom. 1. pag 91. & ſequ.*

tes imitari, quoad poſſet, conſtituerat, ad Philippi nomen adſcito. (1) Vix portum ſubierat, cum ventis idem, ac fluctibus in altum retrahitur. Hoc accepto nuncio ingens exorta in univerſa Familia Hovvardiana furens perturbatio. Ejus Avia Alathea ſui fere impos Bruxellas Legatum adit Pontificium, eique rem totam exponit. Orat, obteſtatur, urget, ut ſua auctoritate Romam commoveat univerſam. Scribit Avus ad Digbæum nobiliſſimum Britannum Romæ per eos dies commorantem, cui paullo poſt Hovvardiani Catharinam Philippi noſtri ſororem in matrimonium collocarunt. Hic ad Franciſcum Barberinum Cardinalem Magnæ Britanniæ Protectorem ſe confert. Hujus interpoſitu ad Cardinales Pamphilium Innocentii X. Summi Pontificis Nepotem, & Antonium Barberinum, qui Dominicanos in ſuam fidem, ac tutelam paullo ante receperat, ei aditus aperitur. Quibus edoctis, & enixe rogatis, ut exacerbatos Hovvardianorum animos, ſi qua ratione poſſent, pacarent, ab Cardinali Pamphilio litteras obtinet ad Epiſcopum Cremonenſem Franciſcum Vicecomitem, quibus nomine Pontificis ei mandat, ut Philippum Thomam Hovvardum Novitium, adhibitis, ubi opus fuerit, cenſuris, implorataque Principis poteſtate, ex Cœnobio Fratrum Prædicatorum in Epiſcopium deduci curet; ibidemque, interdicto cum iiſdem Prædicatoribus colloquio, eum tamdiu detineat, quamdiu Pontifici viſum fuerit. (2)

(1) *Liber MS. Receptorum ad Ord. pag. 16. ad diem 28. Junii 1645.*

(2) *Belgium Dominicanorum Bernardi de Jungben ad annum 1645:, iiſdem fere verbis. Ubi etiam habetur litteras ad Epiſcopum Cremonen. Romæ datas fuiſſe 17. Julii ejuſdem anni 1645.*

III. Ad VII. igitur kalendas Auguſti, dies nimirum poſt octo, & viginti ab ejus in Ordinem ingreſſu, ex Novitiorum Domo in Epiſcopale Palatium translatus eſt.(1) Captivum eo in loco Clariſſimum Adoleſcentem, velut alterum Aquinatem, omni experimentorum genere aggreſſi ſunt multi. Rogant, hortantur, pollicentur, denunciant, ut ab ſuſcepta vitæ ratione, donec ſui juris eſt, ſecedere ne moretur: Sui, ac Parentum Conſanguineorumque ſuorum ſtatum, dignitatemque conſideret: Commeminerit, ſe eſſe ſanguine quam proxime conjunctum Regi. Non deteſtari quidem ſe ſanctam illam, qnam iniit, vivendi conſuetudinem; ſed vereri quam maxime, ne cum ejus gracili, tenuique nimis corporis habitu pugnet, fueritque propterea ad id Inſtituti capeſſendum non tam ſuperno Divini Numinis excitatus impulſu, quam vana prorſus imagine, ac fallaci quadam animi ægritudine inſtigatus. His, aliiſque hujus generis ſollicitationibus eum undecumque circumveniunt, ac tentant. At canitur ſurdo. Cum igitur nihil efficerent, conſtantiſſimumque Juvenem a propoſito dimovere non poſſent, perſcripſit Epiſcopus ad Cardinalem Pamphilium epiſtolam, qua eum commonebat, ſe, alioſque plures, quos veluti in ſubſidium vocarat, doctiſſimos, graviſſimoſque Viros omnem quidem conatum, & induſtriam ad deterrendum ab incœpto Philippum Thomam Hovvardum adhibuiſſe, ſed nil penitus profeciſſe: Eumque ſtabilem adeo, obfirmatumque in ſua ſententia inveniſſe, ut non ſemel ipſe,

(1) *Ibidem*.

ipſe, ſed ſæpius interpoſito etiam juramento affirmarit, ſe nullis neque precibus, neque minis, neque ullis terriculamentis a ſuſcepto Inſtituto abduci quoquo modo paſſurum, in eodemque ea potiſſimum mente, ut Anglos a peſſimo ſchiſmate, quantum per ſe liceret in Eccleſiæ Romanæ ſinum revocaret, ad mortem uſque firmum immotumque perſeveraturum. (1)

IV. Lectis Pontifex his litteris, atque importunis Hovvardianorum efflagitationibus fatigatus rem totam Cardinalibus Fidei propagandæ Præfectis definiendam commiſit. Decreverunt Purpurati Judices, Philippum Thomam ad Ædibus Epiſcopi Cremonenſis Romam evocandum, atque in Cœnobio Sancti Sixti deponendum, ejus conſtantiæ paullo diligentius cognoſcendæ cauſſa. Sed urget Henricus Philippi Frater, premitque Pontificem, ut pro ſua poteſtate veſtes Novitio detrahat, prohibeatque non Prædicatoribus modo, ſed quibuſvis aliis Ordinibus, ne talem Adoleſcentem audeant in poſterum, inexplorata Pontificis, & Conſanguineorum voluntate in eorum Cœtum admittere. Quod cum Innocentius X., invito prorſus, ac renitente Philippo, fieri nec debere, nec poſſe animadvertiſſet, Henrico id flagitanti minime concedendum putavit: illudque ſolumodo permiſit, ut ad Patres Oratorii in Urbe (ſic enim vocantur) transferretur, ibique tyrocinii ſui continuandi, vocationiſque probandæ cauſſa piiſſimo Æque ac ſolertiſſimo Sacerdoti, cui nomen Paullus, traderetur. Menſes hic circiter quinque in exploran-
do

(1) *Item Bernardus De Jurghen loco laudato.*

do Philippi animo cum inſumpſiſſet, ac ſumma eſſe conſtantia Juvenem deprehendiſſet, tale in hanc rem teſtimonium ad ſummum Pontificem detulit, ut Pontifex ipſe in hunc Novitium inquirere, ejuſque mentem paullo acrius excutere per ſe ipſum voluerit ratus; Adoleſcentem inopinata Pontificis majeſtate perculſum facilius poſſe ab inito conſilio, ſuſceptaque novæ vitæ ratione deſciſcere. Aſt Pontificem ipſum fefellit eventus. Nam cum improviſo accerſitus coram tanta ſupremi Antiſtitis auctoritate ſtetiſſet, non repente palleſcere, non hærere; ſed ita difficultates omnes, & ſingulas extricare, penituſque diluere, ut nullum reliquerit de ſincera, ac ſibi divinitus indita voluntate dubitandi locum. (1)

V. Philippum igitur Thomam Hovvardum ut cognovit Innocentius in propoſito longe firmiorem, quam fortaſſe crediderat, paterna benignitate complexus, ab ſe dimiſit, ac Dominico Marino Thomæ Turci Ordinem perluſtrantis, in Urbe Vicario, & poſtmodum Archiepiſcopo Avenionenſi tradidit ad vota ſolemnia Deo ſuſcipienda promovendum, Hovvardianis ſpe omni redhibendi Adoleſcentis depoſita conquieſcentibus. Lætus itaque, ac geſtiens Sacræ Dominicanorum Familiæ Sacramento adjunxit ſe ſe XIV. Kalendas Novembris, milleſimo ſexcenteſimo ſexto, & quadragſimo reparatæ humanæ ſalutis anno, ætatis vero ſuæ ſexto decimo expleto, Cœnobii Cremonenſis nomine. (2)

Hujus

(1) *Ibidem.*
(2) *Liber MS. Receptor., & Profeſſor. pag. 42.*

Hujus enim inter alumnos opera, & auſpicio Thomæ Turci, qui per id tempus Ordinem univerſum moderabatur, III. Kalendas Martias ejuſdem anni fuerat cooptatus. (1) Neapolim poſt hæc in Ædes S. Mariæ, ut vocant, Sanitatis cum fuiſſet miſſus, Inſtitutorem nactus eſt doctiſſimum, Clariſſimumque Virum Ignatium Fiumum, quo uſus Doctore quantum in rebus ad Hæreticos præſertim refellendos accomodatis profecerit, haud multos poſt annos apparuit. Annos quatuor ibi commoratus, eo ipſo tempore, quo poſt demortuum Thomam Turcum, Comitia generalia novo eligendo univerſi Ordinis Moderatori celebrabantur, Neapoli Romam acceſſit. Idem cum in Conventum Patrum veniſſet, orationemque ad eos perelegantem, & fervidam habuiſſet, ut Angli in poſterum, Scoti, & Hiberni adoleſcentes, ſi qui ſe ſe obtuliſſent, ubique in Ordinem reciperentur, ſtudiaque ſuſciperent, quibus peractis ad Fidem Catholicam in iis regionibus propagandam tranſmitterentur, obtinuit. (2) Erat enim mira in Patriam charitate, ardentiſſimoque amplificandæ Religionis ſtudio.

VI. Redones in Gallias poſt dies Comitiales ſtudiorum perficiendorum cauſſa profectus eſt. Quandiu ibi manſerit, res eſt non admodum explorata. Illud certi, & comperti habemus, ſub initium anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi quinti Pariſiis in Belgas demigraſſe Hovvardum eo conſilio, ut Cœnobium a fundamentis

(1) *Idem lib. pag. 16., cujus etiam meminit Franc. Ariſius tom. 3. pag. 308.*
(2) *Bernardus De Junghen loco cit.*

Digitized by Google

mentis ibi excitandum curaret, quod ab Anglis, aliiſque finitimis illorum Regnorum indigenis in Dominicanorum Familiam ſe recipientibus incoleretur. Hac de re cum Ambroſium Druvvejum, & Joannem Baptiſtam Verium (1) duos ex gravioribus Flandricæ Provinciæ Patribus conſuluiſſet, reſponderunt, Bornhemium (quod eſt Oppidum ſatis nobile, ac frequens Aloſtum inter, & Antverpiam ad Schaldim fluvium) aptius præ cæteris videri rei conficiendæ.(2) Alii alia Oppida ad novum domicilium exſtruendum propoſuerunt. Initis tamen rationibus animadverterunt, nonniſi ingentibus id perfici ſumptibus, qui unius hominis vires excederent, poſſe. Animo non concidit Hovvardus. Sed ad eam pecuniæ ſummam colligendam, quæ ad opus omnibus numeris abſolvendum deſideraretur, in Angliam diſcedere, toto negotio Patrum diligentiæ, ac deliberationi permiſſo, nulla mora conſtituit. In Angliam ut appulit, veteranis aliquot illius Regni Dominicanis Operariis, qui tuendæ, propagandæque Catholicæ veritatis ſtudio in ea Inſula clam morabantur, quid ſe facturum in Belgio ſtatuerat, ſignificavit. Quod cum illi admodum probaſſent, ſeque in ſubſidium, quoad per ſe liceret, obtuliſſent, in corrogandis ab religioſa Catholicorum liberalitate eleemoſynis collaborare cœperunt. Hovvardus interea huic operi ſollicite intentus Martinum Ruſſelium generoſa Stirpe adoleſcen-

X

(1) *Idem Scriptor in ſuo Belgio Dominic. pag. 92. & 238., ubi eorum Patrum ſit mentio.*

(2) *Vide præter Belgium Dominic. Cavallerium tom. 2. pag. 250.*

ſcentem, ut Ordini ſe ſe adjungeret, adduxit, atque ad Gandavenſe Novitiorum Collegium tranſmiſit. (1) Anno poſtero cum aliqua coactæ pecuniæ ſumma in Belgium redux, poſteaquam ſolemnibus Ruſſelii votis interfuiſſet, & Gandavo Bornhemium recta ſe contuliſſet, res ibi ſuas optimo eſſe loco cognovit. Nam Ambroſius Druvvejus, apud Joannem Auſtriacum Belgii Gubernatorem, & apud Dynaſtem Bornhemienſem, cui erat apprime carus, ita profecerat, cunctaque ſic compoſuerat, ut ad V. Kalendas Majas anni inſequentis in recens erectum eo loci domicilium ſe ſe Angli recipere commode, opportuneque potuerint, ſibique, rebuſque ſuis Hovvardum præficere. (2)

VII. Habebat hic Sororem natu minorem Antoniam nomine, quæ cum aliis Anglis Virginibus nobili genere ortis Sacro Dominici Inſtituto devovere ſe ſe vehementer optabat: Scripſit itaque ad Joannem Baptiſtam Marinum Generalem per id tempus Magiſtrum litteras, quibus eum hac de re commonitum faciebat, rogabatque, ne ſibi opportunam permittere facultatem gravaretur Monaſterii ea de cauſſa exſtruendi: quam cum ampliſſimam impetraſſet, Vilvordiæ (quæ eſt Civitas non procul ab Urbe Bruxellenſi poſita) Monaſterium eodem anno (3) inchoavit. Carolus II., qui poſt Carolum I. ſecuri, uti dictum eſt ſupra, percuſſum, fuerat a Principatu depulſus, ſeditione compreſſa, atque

(1) *Anno 1656. teſte Bernardo De Jonghen.*
(2) *Anno 1658. apud eundem Scriptorem.*
(3) *Anno 1660. Ex Belgio Dominic.*

que Angliæ Regno reſtitutus Catharinam Joannis IV. Luſitaniæ Regis filiam matrimonio ſibi conjunxit. (1) Hæc Philippum Thomam Hovvardum, cujus non tam generis claritate, quam eximiis animi dotibus valde permovebatur, in magnum Sacelli ſui regii Præfectum elegit. Sed idem haud multo poſt Daubanio avunculo ſuo, ac magno Reginæ Eleemoſynario vita functo ſuffectus eſt. (2) Bredæ in Brabantia, ubi celebris inter Britannos & Hollandos confecta pax, conventui Legatorum interfuit. (3) Annos poſt circiter duos Antoniam Sororem, & reliquas Deo ſacras Virgines Vilvordia, quod eſſet oppidum occaſione belli minime tutum, Bruxellas deduxit, ac in domo, quam ibi coemerat, quæque etiamnum ab iiſdem incolitur, collocavit. (4)

VIII. Magnam interea cum ab Rege gratiam iniiſſet, ac Fidei Catholicæ promovendæ, orthodoxis hominibus juvandis, ſacris eorum Confeſſionibus excipiendis, cæteriſque Romanæ Eccleſiæ Myſteriis rite celebrandis, propagandoque in iis quoque partibus Prædicatorum Ordini ſtuderet impenſius, nullumque lapidem non moveret, ut Fides in Anglia, pietaſque refloreſceret Catholicorum, (5) in ſummam venit Hæreticorum invidiam: parumque abfuit, quominus illinc improviſo

(1) *Anno 1661. Ibidem.*
(2) *Anno 1665. Ibidem.*
(3) *Anno 1667. Ibidem.*
(4) *Anno 1669. Ibidem.*
(5) *Ibidem. Videantur etiam Cavallerius tom. 2. pag. 250., & Vincentius Fontana in Monumen. pag. 697. col. 2.*

Digitized by Google

aufugere ſit coactus. Hujus periculi tres fuere potiſſimum cauſſæ. Accuſabatur in primis, quod Edictum Regium, quo conſcientiæ libertas permiſſa in Anglia omnibus fuerat, (1) Reginæ præſertim auctoritate interpoſita, ab Rege extorſiſſet. Crimini deinde dabatur, quod Joannem Daviſium, & Joannem Greenium Canonicos VVindeſorienſes Hæreticos non modo ad Fidem Romanorum profitendam adduxiſſet, ſed Bornhemium in Belgio, ut habitum ſui Ordinis ſuſciperent, miſiſſet. Quod iniquo adeo tulit animo VVindeſorienſium Canonicorum Collegium, ut coram proxime futuro Senatu actionem minarentur eidem intendere. Ea denique ab Adverſariis aſpergebatur infamia, quod Litteras Pontificias, quas Bullas vocant, infinitis propemodum privilegiis, & indulgentiis Roſarium cumulantes Anglicano imprimi idiomate juſſiſſet, quod erat nefas more Patriæ, crimenque Majeſtatis. (2) Excitata igitur ab Hæreticis hac tempeſtate, veritus Philippus Thomas Hovvardus, ne periculoſior in Regno cooriretur perturbatio, quæ ſedari minime poſſet, in Belgium transfretavit, (3) & Sacris inde pretioſis Veſtibus, cunctiſque, quæ ibi comparaverat, ſecum delatis, in Bornhemienſe Cœnobium, ubi ab aulæ ſtrepitu ſemotus divinis vacare rebus liberius poſſet, ſeceſſit.

IX. In humili earum Ædium cubiculo cum ſperaret Hovvardus imperturbata ſe reliquo tempore inter ſuos tran-

(1) *Anno 1672. apud Junghen. Apud Cavallerium 1673.*
(2) *Ibidem.*
(3) *Anno 1674. Apud Junghen, cui conſentit Marius Guarnaccius loco ſupra laudato.*

tranquillitate victurum, inexpectatus ecce Roma Tabellarius accurrit annuncians, Philippum Thomam Hovvardum Dominicanum a Clemente X. Pontifice Maximo in Cardinalium numerum VI. Kalendas Junias relatum. (1) Inopinatus hic nuncius Hovvardi mentem, animumque ſic perculit, ut, cum exultarent omnes, eique ac Ordini univerſo gratularentur, fuſus ille in ſingultus, & lacrymas Curſorem litteraſque Pontificis ſibi ab eodem oblatas admittere non prius voluerit, quam ſolus in cubiculum receſſiſſet, ſeque in re tam gravi Divino Numini Sanctiſſimoque Parenti Dominico commendaſſet. (2) Die poſtero Sacratiſſimam Domini Crucem poſteaquam publice adorandam expoſuiſſet, remque divinam ad opem iterum implorandam pie, ſancteque feciſſet, uno dumtaxat ex Ordine itineris ſocio ſibi adjuncto Hyacintho Coomanſio,(3) Antverpiam profectus eſt. Illuc ut eſt perventum, recta Cœnobium Ordinis ingreſſus, ac de more ad Præfecti pedes, qui rem adhuc ignorabat, in genua provolutus, copiam petiit, impetravitque Epiſcopi inviſendi. Erat hic Ambroſius Capellus Dominicanus ſingulari doctrina, ac probitate, quem Thomas Turcus, cum Ordinem perluſtraret, ſemper habuit in comitatu. (4) Hunc igitur adit Hovvardus, eique quid ſibi nil cogitanti minus acciderit, exponit. Coorta illico inter utrumque de-

(1) *Anno 1675. Ibidem.*
(2) *Bernardus De Junghen loco laudato.*
(3) *Erat ille ex iis Fratribus unus, quos Converſos appellamus, ſive, ut alii vocant, rei domeſticæ adjutores.*
(4) *Vide quæ ſcripſimus de Thoma Turco.*

ſe demiſſe ſentientem religioſæ modeſtiæ æmulatio. Tum amplexantibus ſe mutuo, ac ſuaviſſime deoſculantibus, & in poſterum ſupplicationes decretæ, & in præſentia ſolemnis Hymnus in gratiarum actionem publice perſolutus. Hiſce peractis Antverpiæ immoratus eſt, donec Romano byreto ad eum miſſo, magna populi frequentia, rituque ſolemni fuit in Templo Urbis maximo per eundem Epiſcopum inſignitus. Qui cum interea conveniebant officii cauſſa, hos ille excipiebat ſic, ut neque modeſtiſſimæ indoli detraheret quidquam, neque acceptæ dignitati injurius videretur. Poſt hæc Gandavum diſceſſit, ibique a Noſtris, & ab Urbis Optimatibus perhonorifice acceptus, magnificeque habitus poſt dies aliquot Romam magnis itineribus recta contendit. (1)

X. Expectabatur in dies cum a Romano Pontifice, ejuſque Purpuratis Fratribus, tum ab Urbe univerſa: nam & cujus generis eſſet, & quibus valeret virtutum opibus, & quanta denique in Magnæ Britanniæ Regnis Romanæ Eccleſiæ officia præſtitiſſet, latebat fere neminem. Factus eſt igitur, cum Romam ingreſſus eſt, ingens omnium Ordinum occurſus, maximaque totius Urbis exultatio. (2) Sed cum Romanos omnes Hovvardi promotio perfudit ingenti lætitia, tum Anglos, maxime Scotos, & Hibernos, qui fidem profitebantur Catholicorum. Nam ut ab Anglia diſcedentem magna lacrymarum effuſione proſecuti ſunt, ita cum ad eminentem

(1) *Bernardo De Junghen in ſuo Belgio Dominic.*

(2) *Idem, & Cavallerius tom. 2. pag. 251.*

nentem eam dignitatem evectum reſciverunt, incredibili ſunt gaudio recreati: In eo enim uno veluti Joſephum alterum, qui fratrum princeps ſuorum eſſet futurus, agnoſcebant, eorumque perfugium. (1) Enimvero etſi a Romano Pontifice ad multas, eaſdemque graviſſimas cauſſas adhiberi ſit cœptus, infinitiſque propterea occupationibus diſtineretur, nil tamen habebat antiquius, quam ut Fidei orthodoxæ, ſuique Ordinis incrementum, ſecuritatemque curaret in Patria. Ob hanc itaque cauſſam, Innocentio XI. Odeſcalco Pontifice Maximo Regnante, maximeque probante, librum Anglo idiomate confecit, (2) quo præcipua Eccleſiæ Catholicæ capita, quæque potiſſimum ab Hæreticis oppugnabantur, propoſuit, declaravitque tam ſolide, tamque perſpicue, ut nihil optari poſſe ad rem propoſitam obtinendam videretur utilius. Romæ licet hunc librum impreſſerit; typis tamen Baſilejenſibus, diſſimulatoque Auctoris nomine vulgavit, ne ab Hæreticis, uti vehementer ſuſpicabatur, ejus in Angliam, Scotiam, & Hiberniam introitus interciperetur. Hujus operis in tranſmarinas eas Provincias ad ſex millia voluminum miſſa ita perſtrepere in omnem partem cæperunt, ut quotquot in perditorum eorum hominum manus veniſſent, igni ſtatim ad ignominiam publice traderentur. (3) Ædes ſatis amplas, & commodas Beatiſ-

 ſimis

(1) *Cavallerius, & Guarnaccius locis ſupra laudatis.*

(2) *Aſſervatur hic liber in Bibliotheca noſtra Gibellenſi cum notis Italicis MS. F. Patritii Offlyni Hiberni O. P. ad initium poſitis, quibus teſtatur eum librum eſſe Cardinalis Hovvardi &c. editus eſt anno 1680.*

(3) *Patritius Offlynius Hovvardo æqualis in ſuis ad eum librum notis;*

ſimis Viris Joanni, & Paullo Romæ dicatas a Pontifice impetravit in quibus Conterraneos ſuos collocaret, aleretque ſuis impenſis, donec in Britanniam, ſimul atque fuiſſent rebus ad Romanam Eccleſiam pertinentibus eruditi, evangelium prædicatum tranſmitterentur. (1) Priuſquam vero moreretur, nummorum argenteorum duo, & ſexaginta millia teſtamento relliquit, quibus Collegium Lovanii erigeretur, opportuniſque cenſibus inſtrueretur ad Dominicanos Anglos ea in Urbe nutriendos; eademque voluntate præcepit, ut annuæ penſiones, quas Ædibus Romanis adſcripſerat, ſi quando a Noſtris desererentur, aliiſque incolis traderentur, in Lovanienſe Collegium eſſent illico transferendæ. Id, quod haud multos poſt annos eveniſſe memoriæ proditum eſt. (2)

XI. Hovvardiano generi, quod regium habebatur; cum tantum dignitatis, atque ſplendoris acceſſiſſet, quantum ex ſacra purpura derivari in homines ſolet, altam adeo cum lacte ſuxerat oris, animique modeſtiam, ut neque de ſe, neque de cognatione ſua loqueretur unquam, neque de novo accepto honoris gradu gratulari ſibi quempiam pateretur. Ajebat enim, illud primum, ſi quid eſſet, cum jam ab ſe dimiſſum, abdicatumque fuiſſet, nullo amplius jure ad ſe pertinere; alterum vero longe majus, excellentiuſque eſſe, quam

ut

(1) *Videantur præter Belgium Dominic. Cavallerius tom. 2. pag. 251., & Enciclica Antonini Cloche in Hovvardi obitu ad univerſum Ord. miſſa, & a Mario Guarnaccio tom. 1. pag. 95. relata.*

(2) *Anno 1697. quo Noſtri ab iis Ædibus receſſere, in eorumque locum Patres Romanæ Miſſionis ab Innocentio XII. ſuffecti ſunt.*

ut ſuæ tenuitati deberetur. Itaquè cum ſe, ſuaque omnia in poſtremis haberet, fiebat, ut ſumma exciperet omnes facilitate, mira in omnes charitate effunderetur; omniumque propterea in ſe obtutus, animoſque converteret Romanorum. Nil habuit unquam, quod ſuum putaret; & cum ſibi penſiones, & cenſus obvenirent, non ante acquieſcebat, quam partim in pauperum inopiam levandam, in pios partim, ac religioſos uſus contuliſſet, aut conferre in poſterum conſtituiſſet. Quod cum ex aliis multis oſtendi poſſet exemplis, tum maxime ex illa inſigni quam antea memoravimus in Anglos, Scotos, & Hibernos liberalitate. Sacrum Dominici Inſtitutum, cui ſe ab adoleſcentia devoverat, diligebat impenſiſſime, neque ab ejus legibus quam accuratiſſime cuſtodiendis, quantum ejus dignitas ſineret, abduci ſe patiebatur. Cum Noſtris vero iiſque præſertim, qui ad ejus patriam pertinebant, verſabatur cum ſæpiſſime, tum familiari adeo, facilique conſuetudine, ut par vel infimis Fratribus videretur. (1) Communi eorum cibo utebatur, communi veſtitu, eorumque vigiliis, jejuniis, precationibus, aliiſque Inſtituti exercitationibus intererat ſic, ut niſi Hovvardum de facie cognoviſſent, fuiſſet, qui eum internoſceret a cæteris, nemo. Sed idem explorabat diligentiſſime, ſi quid eis deeſſet, quod ſive ad publicam, ſive ad privatam eorum vitæ rationem eſſet neceſſarium; idque ſi deprehendiſſet, ut ſtatim ſuppeditaretur, curabat. Familia utebatur domeſtica quantum numero tenui, tantundem, ſi

uti-

(1) *Videatur Enciclica Antonini Cloche apud Marium Guarnacium laudata*.

utilitate judicandum eſt, bona. In menſa, quam parari mundam illam quidem, & elegantem, ſed minime affluentem volebat, Anagnoſtes habebat optimos, a quibus ſacra more Cœnobitarum lectio quotidie fieret animi non minus, quam ventris paſcendi cauſſa. (1)

XII. Summæ liberalitati, cæteriſque ejus, de quibus hactenus dictum eſt, animi dotibus, acceſſiſſe ſingularem quandam magnanimitatem alienis commodis ſervientem, non ſuis, hæc ſunt teſtimonia. Antverpiæ cum eſſet Romam inde tranſiturus, deque ſua in Cardinalium Collegium cooptatione cum Hyacintho Coomanſio colloqueretur, *vereor*, inquit, *ne mea ad hunc dignitatis gradum elatio ob nimiam eorum tenuitatem, quæ neceſſaria videntur rei cum majeſtate ſuſtinendæ, Collegio noſtro Bornhemienſi detrimento magis, quam profectui ſit futura.* Cui cum reſpondiſſet Coomanſius, ſperare vehementer ſe, aliquem denique Epiſcopatum haud modicis ſane vectigalibus inſtructum, Catharinæ Anglorum Reginæ impetratu eidem a Pontifice collatum iri: *nequaquam*, inquit, *nam qui ſe Principi ſemel obſtrinxerit, ad nutum, & voluntatem Principis eſt, repugnante etiam propria aliquando conſcientia.* (2) Quam ille ſententiam religioſe adeo, quoad vixit, ſervavit, ut cum Sacerdotia ſatis pinguia ab Hiſpaniarum, & Galliarum Regibus, tum etiam a Cæſare non ſemel ſibi fuiſſent oblata, ea ſemper æque forti, conſtantique animo recuſarit. (3) Suarum igitur rerum mediocri-

(1) *Cavallerius tom. 2. pag. 252. Memor. MS. Conv. S. Domin. Cremon. c. 12. pag. 81. Soveſes in Catalog. Cardinal. Guarnaccius, & Enciclica Antonini Cloche laud.*

(2) *Bernardus De Junghen in ſuo Belgio &c.* (3) *Ibidem.*

diocritate contentus, cum uſum pecuniæ non magnitudine, ſed ratione metiri ſoleret, id ſemper habuit reliqui, quo poſſet, ut ſupra monitum eſt, bene de omnibus, optimeque mereri. Id vero tam liberaliter, & abunde ab eo fiebat, ut mirarentur multi, qui poſſent annui ejus reditus tot ferre, tamque effuſas largitiones. Cæterum cum magna eſſet in egenos charitate, tum maxima angebatur ſollicitudine Patriæ in Eccleſiæ ſinum revocandæ. Quod ſi aſſequi per ſe, ipſa ſanguinis profuſione, potuiſſet, haud dubium, quin id forti lubentique animo feciſſet. Hæc cum interdiu, noctuque ſerio cogitaret, improviſus nuncius affertur, Jacobum Stuvvardum Catholicum loco demortui Fratris Caroli II. ad Angliæ Regnum evectum. (1) Eo audito nuncio Philippus Thomas Hovvardus vehementer adeo eſt lætatus, ut præ gaudio lacrymas cohibere vix poſſet. Rerum enim potiente Jacobo, in eam ſtatim ſe ſenſit erectum firmiſſimam ſpem fore, ut quam primum reviviſceret in eo Imperio Religio Catholicorum. Verum converſa eſt fere ſubito fortuna, ſpeſque omnis abſciſſa. Nam triennio vix, ac ne vix quidem poſt Jacobus Stuvvardus hoc nomine II. Regno pulſus, in ejuſque Sedem Arauſionenſis Princeps hæreticus intruſus. (2)

XIII. Quam graviter, & acerbe fuerit Hovvardus ea rerum Anglicarum commutatione punctus, haud facile dictu eſt. Hoc minime præteribimus, eum huic

malo,

(1) *Anno* 1685.

(2) *Anno* 1688. *Pere D'Orleans Hiſt. des Revolution. D'Angleterre tom.* 3. *in fin.*

malo, licet vivida adhuc eſſet ætate, non diu admodum, fuiſſe ſuperſtitem. Stomacho cum eſſe cœpiſſet minime bono, tum anno a partu Virginis milleſimo ſexcenteſimo quarto, & nonageſimo eum nactus eſt morbum in quem ne Viri quidem peritiſſimi valere quidquam profeſſi ſunt. Animo igitur in Dei prorſus voluntate compoſito, atque in ſpem ſummam æternæ felicitatis erecto, miſit, qui a Summo Pontifice ſibi jam morienti ſalutarem expiationem ritu Catholico precaretur. Quo beneficio recreatus, cæteriſque Eccleſiæ Myſteriis religioſe munitus, Jeſum, ejuſque Virginem Matrem, beatiſſimumque Parentem Dominicum, quem ſingulari, ac prope incredibili pietate venerabatur, intermortuis vocibus identidem appellans placidiſſimo fine quievit XIV. Kalendas Julias annum agens ſexageſimum quartum. (1) Elatus eſt ſolemni funeris pompa, ſepultuſque in Templo Minervitano, cujus fuerat titulo inſignitus; humili tamen, ut ipſe præſcripſerat, loco, in defoſſa ſcilicet humo, nullo erecto titulo, in medio choro, ut quoties inter divinas laudes oculos in terram demitterent Fratres; toties eorum animum Hovvardi pia ſubiret recordatio. (2) Ingens porro ad funus ejus Romanorum concurſus eſt factus Cardinalis diuturniore vita digniſſimi peracerbam jacturam lugentium. Sed orbati tali Parente pene conciderunt pauperes univerſi, maximeque Britanni, qui partibus adhæſerant Romanorum, quique in eo fere uno ſpem omnem ſuam,

ut

(1) *Anno 1654, ut patet ex ſequenti elogio ejus tumulo inſcripto.*
(2) *Ex Encyclica Antonini Cloche ſæpe laudata.*

ut ſupra declaravimus, collocarant. Nullus denique per eos dies Romæ ſermo frequentior, quam de Hovvardi virtutibus fuit. Prædicabant alii charitatem ejus in omnes effuſam, facilitatem alii, comitatemque ingenuam, qua erat omnibus carus, ſtudium alii propagandæ Religionis, divinæque gloriæ inexplebile. Erat in ore multorum, quanta adverſos fortunæ caſus patientia, animique conſtantia, fortitudineque tuliſſet, quanta in proſperis moderatione fuiſſet uſus. At quibus erat intime notus, hi maxime commendabant ejus innocentiam a prima uſque pueritia incorruptam: tum abſtinentiam, monaſticæ diſciplinæ ſeveritatem, orandi ſtudium, & quod nemo ſatis mirari poterat, incredibilem fere in tanta generis, & gradus nobilitate modeſtiam. (1)

XIV. Tribus interfuerat hic magnus Vir eligendorum Summorum Pontificum Comitiis, quorum ſingulis eam dedit operam, ut ſemper optimarum partium fuerit, omnibuſque Collegis ſine factione, animorumque offenſione officia præſtiterit. In eorum quoque fuerat Purpuratorum Patrum numero, qui Concilio, qui Epiſcopis, & Regularibus, qui Fidei propagandæ, qui ſacris denique Ritibus præſunt: Atque in his quoque muneribus obeundis tanta ſe geſſit aſſiduitate, ac diligentia, in cauſſis cognoſcendis accuratione, & peritia, æquitate in judicandis, atque in ſententiis ferendis rectitudine, ac firmitate, ut nemo eſſet, qui non eum ſuſpiceret, ſummoque non haberet in loco. Statura fuit

(1) *Omnia fere ex Bernardo De Jungben, & memorata Antonini Cloche Encyclica.*

fuit ſatis procera, & eleganti, ſerena fronte, colore ſubfuſco, naſo ad majeſtatem quamdam adunco, oculis ad album vergentibus, ore denique ad omnem urbanitatem, gravitatemque compoſito. Legitur in Ædibus Minervitanis inciſum in marmore hujus tanti Viri Elogium ampliſſimum.

D. O. M.
F. PHILIPPO THOMÆ HOVVARDO
De Nortfolcia, & Arundella,
S. R. E. Presbytero Cardinali
Tituli S. Mariæ Super Minervam
Ex Sacra Familia Fratrum Prædicatorum,
S. Mariæ Majoris Archipresbytero,
Magnæ Britanniæ Protectori,
Magno Angliæ Eleemoſynario,
Patriæ, & Pauperum Patri,
Filio Provinciæ Anglicanæ Ejuſdem Ordinis,
Parenti, & Reſtauratori Optimo
Hæredes Inſcripti Mærentes Poſuere,
Annuentibus S. R. E. Cardinalibus Eminentiſs.
Palutio De Alteriis
Franciſco Nerlio
Galeatio Mareſcotto
Fabritio Spada
Supremi Teſtamenti Executoribus
Obiit XIV. Kalendas Jul. Anno Sal. 1694.
Ætatis ſuæ LXIV.

Quo

Quo in Elogio, quod Anglicanæ Provinciæ filius nominetur Hovvardus, neminem movere debet. Nam qui Librum legerit, in quo Series Chronologica contexitur eorum, qui Cremonæ retro actis temporibus Prædicatorum Ordini adſcribebantur, inveniet, eum quidem a Noſtris receptum fuiſſe illius Provinciæ nomine; (1) ſed priuſquam ſacris Deo Votis obſtringeretur, inter Cœnobii Cremonenſis Alumnos ſumma omnium Patrum voluntate cooptatum. (2) Immo vero hujus noſtri Cœnobii nomine Solemnia ipſa Deo Vota Hovvardum ſuſcepiſſe, codex manu ſcriptus in Tabulario Conventus S. Clementis in Urbe aſſervatus aperte confirmat. (3) Quod ſi ab ejus Hæredibus in ea fuit inſcriptione prætermiſſum, haud difficile creditu eſt, id eos minime animadvertiſſe.

JOSEPH

(1) *Liber MS. Receptorum ad Ord pag 16. In quo hæc habentur: Die 28. Julii 1645. F. Thomas Hovvardus Anglus; qui in ſæculo vocabatur Princeps Philippus..... recepit habitum Clericalem in hoc Conventu S. Dominici Cremonæ nomine Provinciæ Angliæ, & Conventus Londinenſis hora 14. præfatæ diei.*

Ita eſt. Ego F. Vincentius Gallentius a Piceleone Mag. & Prior.

(2) *Ibidem leguntur hæc verba: Prædictus F. Thomas Hovvardus acceptatus fuit in Conſilio Patruum, & Capitulo Fratrum unanimiter ad Affiliationem hujus Conventus S. Dominici de Cremona die 27. Februarii 1646.*

Ita eſt. Ego F. Vincentius Gallentius a Picelone Prior. In eodem vero Libro pag. 42. hæc leguntur: F. Thomas Hovvardus, de quo pag. 16., emiſit ſuam ſolemnem Profeſſionem nomine Conventus S. Dominici de Cremona in Conventu S. Clementis Ord. noſtri in Urbe di 19. Octobris 1646.

(3) *Ex eo Cod. MS. hæc fideliter ſunt exſcripta: Die 18. menſis Octobris 1646. fuerunt factæ proteſtationes Fr Thomæ Hovvardo natione Anglo, Novitio, ab Ad R. P. Magiſtro F. Gregorio Ariſpo Hiſpano Socio Reverendiſſimi P F. Dominici de Marinis Vicarii Generalis totius Ordinis Prædicatorum de mandato ejuſdem P. Reverendiſſimi. Die vero ſequenti de-*

Digitized by Google

JOSEPH MARIA ALDRISIUS.

I. JOSEPHUM MARIAM ALDRISIUM cum nomino, jucundiſſima ſubit animum amantiſſimi in Ordine, piiſſimique Parentis mei recordatio. Hic me annos vix ſexdecim natum Sacræ Prædicatorum Familiæ, ſuoque inſigni huic Cœnobio genuit, genitum fovit, ac vere paterna, donec vixit, dilectione, ſollicitudineque eſt complexus. Cremonæ honeſta Aldriſiorum Familia ortus, (1) Hieronymum Balladorium habuit avunculum non vulgari pietate, ac morum integritate Sacerdotem, cujus de vita, & rebus geſtis juſtum edidit (2) Commentarium Franciſcus Ariſius Vir Clariſſimus. Non tam Parentum, qui paullo immature deceſſerant, quam ſuperſtitis Avunculi inſtitutione optima excultus, ſolidam ab eo pietatem, rerum divinarum ſtudium, & humanarum contemptum didicit ſic, ut adoleſcentiam cum vix attigiſſet, jam tum cœperit de ſacra vivendi ratione aliqua ineunda cogitare. Atque ut erat ſingulari in eam precandi formulam, quam Roſarium vocamus, in ejuſque auctorem, propagatoremque Dominicum, religione, conſtituit, ſe in Ordinem ab

---

cima nona ejuſdem menſis Octobris 1646. hora circiter decima ſeptima idem F. Thomas Houvardus natione Anglus fecit Profeſſionem ſolemnem in manus Reverendiſs. Patris Fratris Dominici de Marinis Vicarii Generalis Ordinis in Conventu S. Clementis de Urbe pro Conventu Cremonenſi.

Ego Frater Thomas Houvardus
feci Profeſſionem ut ſupra.

(1) *Anno 1652. Menſe Septembri.*

(2) *Cremonæ typis Ricchinianis 1738.*

Digitized by Google

ab eo inſtitutum quam proxime ſeceſſurum. Itaque haud ita multo poſt, quod divino probatum Numini cognovit, Nicolao Fondulo Dominicanos Cremonenſes moderante, perfecit, in eandemque Familiam adſcitus eſt. (1)

II. Sacris Deo Votis ritu ſolemni devinctus in ſtudiis verſatus eſt philoſophicarum rerum, ac theologicarum, quas etiam Majorum ſuorum juſſu tradendas ſuſcepit more Noſtratum. (2) Difficile dictu eſt, cum Profeſſoris munere fungeretur, quibus artibus uti ſoleret ad diſcipulorum animos capiendos, atque ad litterarum ſimul, pietatiſque ſtudia alliciendos. Nullum certe diem ſibi elabi patiebatur, quo non eos inter docendum, ſuaviſſima aliqua adlocutione ad aſſequendum, quod in virtute eſt optimum, hortaretur. Quibus ipſe viviſſimo cum præiret exemplo, quiſque facile conjicere poterit, quantum proficeret. Novi ego Bononiæ, cum ſtudiis operam meis darem, ſenes nonnullos, qui ad Provinciæ Comitia ibidem indicta convenerant, (3) quique gloriarentur, ex Aldriſii ſchola, ac diſciplina prodiiſſe ſe, neque per eum ſtetiſſe, quominus docti æque, ac probi Viri evadere egregia ejus inſtitutione debuiſſent. Erat in homine, ajebant, doctrinæ cum omnigena virtute conjunctio tanta, ut qui eum auditum adibant non tam magiſtrum, a quo erudirentur, quam nitidum quoddam, ac luculentiſſimum ſpeculum, ad quod

Y mores

(1) *Die 11. Aprilis 1670. Ex libro E. Conſiliorum Conv. S. Domin. Cremonæ pag. 39., & 43.*

(2) *Mediolani in Conventu noſtro S. Mariæ Gratiarum, aliiſque in locis.*

(3) *Anno 1731., Menſe Aprili.*

mores ſuos exquiſite componerent, invenirent. Etſi vero ingenti polleret res omnes exponendi, declarandique perſpicuitate, omnemque in hac parte obeunda collocaret induſtriam, auditores tamen ſuos quotidie monebat; ut diſertiſſimi Domini e Cruce pendentis imaginem haberent libri inſtar, quem velut unicum, & omnium accomodatiſſimum ad res quaſcumque rite intelligendas evolverent; atque conſulerent. Hæc, aliaque id genus Patres illi de Aldriſio narrabant.

III. Emenſo Juventutis noſtræ tali modo erudiendæ curriculo, quamquam eſſet, qui Romana Magiſterii Laurea decoraretur, aptiſſimus, de ſe tamen, ingenioque ſuo adeo demiſſe ſentiebat, ut ea neglecta par infimis, nulliuſque gradus hominibus haberi maluerit, quam ullo titulo, dignitateque eminere. Occuluit itaque ſeſe, quoad ſibi licuit, Aldriſius: at non diu latere, ſibique uni vivere, uti conſtituerat, potuit. Nam ejus doctrina, prudentia, ac morum integritate, gravitateque perſpecta, deſignatus ne id cogitans quidem, delectuſque in primis eſt, qui ſacrarum Virginum confeſſiones exciperet, & conſcientias moderaretur. Difficillimo hoc munere, quod non tam humanum, quam angelicum dixerim, Mediolani primum ad Victablam, tum Genuæ ad Spiritum Sanctum egregie adeo eſt perfunctus, ut eximiæ de ſe opinionis utrobique relictæ memoria adhuc vigeat nuſquam interitura. Mediolani cum eſſem, (1) earumdemque Virginum ſacra mihi procuratio obtigiſſet, audiebam identidem ab antiquioribus,

(1) *Annis* 1757, & 1758.

ribus, tantam Aldriſium ex eo regimine ſapientiæ laudem ſibi peperiſſe, exiſtimationemque virtutum, quantam eorum temporum nemo. Affirmabant, ſe a Majoribus accepiſſe, dulcem adeo, ac blandam, neque minus efficacem nactum eum Virum ſe ſe in animos immittendi vim, ut nihil in arrepta Chiſtianæ perfectionis via tam arduum habeatur, tam difficile, ac laborioſum' quod eo proponente, & explanante facillimum, ſuave, ac peramabile non videretur. Quo fiebat, ut quæ eo moderatore utebantur, ejus conſuetudine, ac piis alloquiis non vehementur afficerentur modo, ſed in id ipſum nullo negotio pertraherentur, quod antea fortaſſe averſabantur; eſſetque propterea earum nulla, quæ non ſe totam ei traderet. Sed illud eſt Aldriſio inter cætera illuſtrius, quod illæ aſſerebant; eum ſcilicet nonnullis ad ſe venientibus, ut penitiores cordis ſui receſſus eidem aperirent, antequam quid vellent, expoſuiſſent, plane, atque e ſententia ſatisfeciſſe. Ex quo intelligi videtur poſſe, eum cogitata hominum, eorumque arcana inſtinctu quodam ſuperiore habuiſſe aliquando perſpecta. Quæ Mediolani, eadem Genuæ de Aldriſio dicuntur. Rogatus, cum utrinque diſceſſit, ſi quid haberet, quod eis veluti teſtamento relinqueret, *nihil*, inquit, *præter Jeſum, & hunc Crucifixum*. (1) Cæterum Libellum unum confecit in partes quinque diſtributum, quo Virginum Deo addictarum Virtutes, & Vitia Capitulatim, omnique accuratione exhibentur: (2) excep-

(1) *Monialium Mediolanenſium ad Victablam traditio eſt.*

(2) *Ejus Libri titulus eſt: L'Immagine della Religioſa, nella quale ſi rappre-*

tuſque fuit univerſim hic Liber, & avidiſſime lectus.

IV. Sed non minorem Aldriſius in moderandis Fratribus, quam in Sororibus Ordinis Noſtri dirigendis conſecutus eſt laudem. Bis præfuit Cœnobio Cremonenſi, Corregienſi ſemel: Atque ita præfuit, ut ſive quidquam præciperet, ſive commoneret, ſive ad legum vel minimarum cuſtodiam cohortaretur, neminem ſtatim non dicto audientem haberet, inveniretque omnes, & ſingulos caventes diligentiſſime, ne quid admitterent, quod ei non probaretur. Omnia eo moderante, morum diſciplinam, ſtudiorum fervorem, pietatis, religioniſque cultum, & ſummam in bono concordiam ſpirabant. Omnia denique, quantum ratio temporum, & perſonarum pateretur, ad veterem Inſtituti noſtri ſeveritatem compoſita. Tanti valet ad filios in officio continendos Patrisfamilias non tam auctoritas, quam optimarum virtutum exemplum. Difficillimis utique temporibus prima obtigit Aldriſio Cremonenſis Domicilii præfectura. (1) In ea enim incidit tempora, quibus inter Leopoldum Cæſarem, & Philippum V. Hiſpaniarum, ejuſque Avum Ludovicum XIV. Galliarum Reges arctiſſimo junctos fœdere grave bellum exarſerat. (2) Hi de Inſubria in Hiſpanorum fide retinenda, ille de occupanda, quod jure hæreditario ad ſe pertinere arbi-

ſentano le qualità della Religioſa perfetta, e li difetti della Religioſa imperfetta diviſa in cinque parti. Venetiis 1713. per Aloyſium Pavinum in 12.

(1) *Ann. 1702. ad 1704. Catalog. Priorum Conv. S. Domin. Cremon.*

(2) *Vide Guidonem Ferrarium lib. 1. De bello Italico ad annum 1701., & 1702.*

arbitraretur, certabant. In agrum interea Cremonenſem excurſiones fieri Gallorum, & Germanorum, compleri armatis omnia, nilque eſſe moleſtiſſimis militum, & armorum incommodis non obnoxium. Non propterea conſternatus Aldriſius, ſed fiduciæ in Dei nutum plenus cum privatim Superos omnes, communem ut perniciem averterent, deprecabatur, tum Familiæ ſuæ univerſæ quotidianas pro rei publicæ incolumitate obſecrationes indixit. Atque ut erat non apud Noſtrates modo, ſed apud exteros quoque ſingulari prudentiæ, gravitatis, aliarumque multarum virtutum opinione Vir, ad Philippum V., qui Cremonæ per id tempus dies aliquot eſt commoratus, a Clero Regulari decreta ei ſolemnis Legatio eſt. Cujus Legationis exitu deſcribendo, quod de eo alibi dictum ſit ſatis, (1) ſuperſedemus.

V. In Oppido Corregienſi dum in ſibi commiſſæ illius Familiæ noſtræ adminiſtrationem incumberet, & una ſimul Romani Senatus conſulto Fidei, ac Religionis puritati ab omni labe, & contagione ſervandæ ſedulo invigilaret, accidit, ut, cum e pulpito, Sacerdos quidam, cujus Nomini, & Inſtituto parcimus, de re, quæ Sancto Thomæ Aquinati minime probatur, ad populum diceret, in eumdem Eccleſiæ Doctorem, neſcio, quo ſpiritu invectus eum conviciis, & maledictis affecerit, ejuſdemque Aſſeclas fœdis gannitibus deridendos publice propinarit. Hominis impudentiam, quæ pias adſtantium aures vehementer offenderat, ut reſci-

 vit

(1) *Vide noſtram Conv. Cremonenſis Hiſtoriam ad annum* 1702.

vit Aldriſius, cauſſa per diligentem inquiſitionem cognita, ſummorum Fidei Quæſitorum Decreto munitus Sacerdotem jubet pro imperio accerſiri. Quid ad ſe delatum; quid in Oppido vulgi ſermonibus teratur; quid ipſe inficiari, niſi per ſummam protervitatem poſſit, iiſdem omnino verbis exponit. Denunciat, rem eſſe inſigni nimis infamia; pro eoque, quo fungitur, munere ad Apoſtolicæ Sedis normam, atque præſcripta tantam, tamque acerbam injuriam inultam ſe pati, diſſimulareque non poſſe. In eumdem propterea locum, quandoquidem alias eſt inde conciones habiturus, quamprimum conſcendat, ex eoque, quas in S. Thomæ contemptum, inque Romanorum Decretorum detrectationem inverecundas evomuit mordacitates, & contumelias, omnes, & ſingulas ſolemni deteſtatione revocet, eumque facti exterius, interiuſque pœniteat. Commeminerit, ſe doctis æque ac indoctis hominibus gravi adeo fuiſſe offendiculo, ut niſi tali modo detrimentum, quod attulit, quam proxime reparet, certo ſciat, nullam ei ſpem eſſe reliquam ſempiternæ felicitatis aſſequendæ. Hæc, aliaque hujus generis Aldriſius: quæ verborum lenitate miſcuit, charitateque tanta, ut, cum inter dicendum diligentiſſime caverit, ne ei quidpiam excideret, quo lædi, aut exaſperari hominis animus poſſet, id ille, quod ſibi imperatum fuerat, non tam juſſus, quam libens, ac volens in proxima, quam habuit, concione ad apicem uſque perfecerit. Id unum viſus eſt animo non ſatis pacato tuliſſe, cum nempe intellexit, non modo ſe in poſterum publica dicendi poteſtate,

verum

verum etiam jure ſuffragii privatum. (1)

VI. Corregienſis procurationis biennium ingenti ſui nominis fama cum expleviſſet, aliaſque ſibi oblatas præfecturas conſtantiſſime recuſaſſet, Cremonam, ubi reliquis curis abjectis perpetuæ divinarum rerum contemplationi vacaret impenſius, ſe ſe veluti in ſeceſſum quemdam recepit. Non potuit hic tamen in cubiculo ſibi a Majoribus deſignato, uti vehementer optare præ modeſtia videbatur, omnino deliteſcere. Nam delectus, qui ſaluberrimum Roſarii Inſtitutum conſtitutis diebus e ſuperiore loco evulgaret, huic muneri pro dignitate obeundo ita ſe dedit, idque per annos undeviginti feliciter adeo exercuit, ut melius nemo, nemo fructuoſius. Quantum in Civitate univerſa erga Chriſtum Servatorem, ejuſque Virginem Matrem Aldriſii hortatibus, piiſſimiſque conciunculis pietas creverit, & quantus fieret ad eas preces recitandas non plebis tantum, ſed præſtantium etiam Virorum concurſus, haud facile dictu eſt. Inerat homini ad dicendum facilitas, atque ad pronunciandum cum dignitate ſuavitas quædam, ut quamvis fucatæ minime eſſet eloquentiæ Vir, ac plerumque loqueretur ex tempore, omnium tamen animos & delectaret plurimum, & ad Dei cultum, pietatemque incitaret. Præcipua Redemptionis humanæ Myſteria, quæ per ſingulas Salutationis Angelicæ decades, interjecta oratione Dominica ſolent ad con-

 tem-

(1) *Rem totam accepimus a P. Carolo Dominico Rubeo, qui per eos dies in Corregienſi Cænobio morabatur, quemque inter cæteros Aldriſius teſtem adhibuit.*

Digitized by Google

templandum proponi, & explanabat uberius, quam alii conſueſſent, & eruditis digreſſionibus ad populum permovendum accomodatis identidem ornabat. Beatiſſimam Virginem, cui hoc precandi genus eſt quam maxime acceptum, & ſacrum, veris, gravibuſque ſententiis, & laudibus ita efferebat, ut quantum eam coleret, diligeretque, atque ut ab aliis diligeretur, ſtuderet, vel ex hoc uno ſignificaret cumulatiſſime. Accedebat ad hæc ſollicitudo ingens, atque indefeſſus labor in ſacris eorum, qui ad eum magno numero confluebant, confeſſionibus excipiendis; animo fluctuantibus opportuno conſilio juvandis; infirmis, ac proxime morituris fauſta precatione reficiendis, atque in aliis id genus piis operibus obeundis, ut igneum quemdam Dei, & proximi amorem emittere undique videretur. (1)

VII. Ad cæteros ejus mores, & virtutes quod attinet longum nimis eſſet commemorare ſingulas. Ab eo certe uſque tempore, quo ſe ſe noſtris adjunxit, ad extremam ætatem vel minimas Ordinis inſtitutiones, & leges cum exquiſite cuſtodivit ipſe, tum ne apud alios dilaberentur, & verbo, & exemplo, quoad ſibi licuit, curavit, voluiſſetque, ſi per ſe fieri potuiſſet, antiquam illam, cujus ſtudio tenebantur primævi Parentes noſtri, reſtitui diſciplinæ ſeveritatem. Memini ego, cum me ſingulari Dei beneficio, & Aldriſii opera in Ordinem jam adſcitum (2) ad Corregienſem Novitiorum Domum

(1) *Franciſcus Ariſius tom. 3. pag. 188. iiſdem fere verbis.*
(2) *Anno 1725. die 24. Novembris.*

mum deduceret Aldriſius ipſe, (1) quot, & quantis in eo itinere ad omnimodam virtutem conſectandam inflammaret argumentis. Recitatis primum ad inoffenſum iter habendum alternis precibus, aliiſque multis interdiu ad Deum, Superoſque omnes orandos adhibitis, toto tempore itineris reliquo Clariſſimorum mihi Virorum narrabat hiſtorias, eorumque maxime, qui cum in Ordine noſtro univerſim, tum in Cœnobio Cremonenſi eximia ſanctitatis, & doctrinæ laude floruerunt. Ad hos quoquo modo imitandos verbis ad aurem ferventiſſimis ita me concitabat, urgebatque, ut (quod flens dico) alius a me utique omnino eſſem, ſi tam ſanctis conſiliis ejus, & monitis profeciſſem. Erat porro Aldriſius in Deum, ejuſque Virginem Matrem, quam loco parentis habebat, pietate ſumma cumprimis, tum in Sanctos omnes, ac præcipue beatiſſimos Viros Dominicum, Thomam Aquinatem, Vincentium Ferrerium, mirabilemque Virginem Catharinam Senenſem veneratione, & cultu ſingulari. Expiandarum vero poſt mortem animarum cruciatibus, & vinculis intime adeo commovebatur, ut in earum levamentum, & libertatem ſæpe viſus ſit noctu gemens, & plorans ad mortuorum ſepulcra provolutus. (2) Ægrotos domi, foriſque frequenter adibat, ac ſolabatur non modo humaniſſimis verbis, ſed opera, & miniſterio, quoad ejus conditio ſineret, recreabat, nullumque fere diem prætermit-

(1) *Anno 1726. Menſe Aprili.*

(2) *Eum vidit non ſemel, ſed ſæpius F. Amadeus Cattaneus, quo ipſe familiariter utebatur.*

termittebat, qua, uti haberent, non exploraret. Sed quanta fuit in proximos charitate, ac beneficentia, tantumdem in ſe exercuit aſperitatis. Jejuniis, vigiliis, diurnis, nocturniſque precationibus, & cantibus, divinarumque rerum quotidianis meditationibus a prima ætate aſſueverat ſic, ut neque gravi ſenectute, neque haud ſatis firma valetudine, neque quavis alia ratione potuerit unquam ab iiſdem abduci. Paullo antequam moreretur, cruribus cum eſſet tumidis, & ulceroſis, ac pedibus inſiſtere, corpuſque trahere vix, ac ne vix quidem poſſet, ab frequentandis nihil eo ſecius exercitationibus publicis non prius abſtinuit, quam fuerit a Joanne Franciſco Painio, qui Cœnobio præerat, juſſus. (1) Carnes aut nunquam comedit, aut nonniſi ea neceſſitate incidente, quam graviores Medici urgentem judicaſſent. Induſiis, & linteis ſemper uſus eſt laneis; eaque nunquam depoſuit, niſi cum certior eſt factus, ſe in graviſſimo ob eam cauſſam valetudinis periculo verſari. Iracundiæ motus, ad quos ipſa naturæ conſtitutione incitabatur identidem, ita coercere ſolebat, ut, ne quemadmodum ſolent, facile excandeſcerent, igniculos ab iis omnes, ac vel ipſum calidum cinerem removeret. Quare ſi hominis lenitatem, & manſuetudinem, qua omnes mitiſſime, placidiſſimeque tractabat, non tam nativæ corporis, animique habitudini, quam virtuti longo uſu, niſuque partæ tribuerimus, nequaquam mentiemur. Atque hæc, aliaque id genus multa partim

(1) *Anno 1730. Eodem Cattaneo teſte, aliiſque qui aderant, & nunc vivunt.*

Digitized by Google

tim nos ipſi novimus, ab iis partim accepimus, qui familiari Aldriſii conſuetudine utebantur.

VIII. Hunc in modum cum annos octo, & ſeptuaginta attigiſſet, omnemque operam, ac diligentiam ſtudiis, ac muneribus ſuis continenter obeundis magna ſemper ſui nominis honeſtate dediſſet, neque niſi raro admodum, ut mihi affirmabat, medicina uſus eſſet, aqua intercute teneri, quæ ſenſim in ejus corpus irrepſerat, cœpit. Hinc crurum, & coxendicum, totiuſque corporis inſuetus torpor, & inertia; hinc infimi, mediique ventris inflatio; difficilior in dies anhelitus, reſque eo tandem deducta, ut Hydropem eam eſſe pronunciarint Periti, quæ humanis remediis curari ullo modo non poſſet. Eo audito nuncio non perturbari hominem vidiſſes, non animo, ut plerique ſolent, concidere, ſed ita conſiſtere, ut placido, ſerenoque vultu non tam ſe brevi moriturum, quam æternum, beatiſſimeque victurum non obſcure ſignificaret. Chriſti Corpore in Viaticum ſibi allato munitus, & ſancta haud ita multo poſt ad confligendum unctione comparatus eam habuit ad adſtantes Fratres inter hæc ſacra Myſteria oratiunculam, qua ita omnes intime commoti ſunt, ut proximam cariſſimi Sodalis jacturam collacrymarentur. Nemo enim erat, qui non eum diligeret, coleretque ob dotes ejus eximias quam maxime. Hiſce peractis, ibique de more interdiu, noctuque ſubſiſtentibus, vigilantibuſque, qui ei præſto eſſent, aliquot Fratribus, eos identidem hortabatur, rogabatque, ut cubitum irent, affirmans ſe tot, tantiſque charitatis officiis eſſe

pror-

proſſus indignum. Tanta ſemper fuit modeſtiſſimus Vir, ne quempiam gravaret, ſollicitudine. In Deum interim, in quo uno ſpem omnem ſuam poſuerat, mente, & corde defixus, quantum ei reſpirationis incommodum permitteret, cœpit hymnis, & pſalmis, omnibuſque ſacrarum precum generibus reliqua vitæ ſuæ momenta Gregoriano Cantu tranſigere. Cumque ad ea Symboli Apoſtolici verba „ Carnis reſurrectionem, vitam æternam, amen „ perveniſſet, (1) eaque intermortuis vocibus, difficillimoque, quem trahebat, anhelitu vix ceciniſſet, oſculo in Chriſti imaginem ſixo ſupremum ſpiritum reddidit XI. Kalendas Novembres anno milleſimo triceſimo, & ſeptingenteſimo ad horam noctis quartam. (2)

IX. Cadaver ejus cum ſtatim e cubiculo in Templum pro conſuetudine fuiſſet translatum, ejuſque obitus ære campano, geminatiſque ictibus nunciatus, frequens adeo mane poſtero populi concurſus viſendi, venerandique cauſſa in ſacras Ædes eſt factus, ut ſatis inde vel ex hoc uno apparuerit, quo in loco ab Urbe univerſa haberetur. Sed tanta ejus feretro circumfuſa multitudo virorum, & mulierum eum deoſculari, contingere, ac veſtes detrahere connitentium, ut niſi noſtri modeſtiæ gratia obſtitiſſent, eum procul dubio quam citiſſime denudaſſent. (3) Funus ejus pari hominum frequentia curatum,

(1) *Aderant Amadeus Cattaneus Converſus, & Antonius Gallantius Civis Cremonenſis, qui id mihi teſtati ſunt.*

(2) *Ex Lib. MS. Patrum, & Fratrum in hoc Cœnobio vita functorum ad annum 1730.*

(3) *Id teſtatur F. Amadeus Cattaneus per eos dies Æditnus.*

tum, juſtaque illi perſoluta. Cum hæc celebrarentur, multos non tam preces pro eo fudiſſe, quam eidem ſe commendaſſe traditio eſt. (1).

X. Statura fuit decenti, magno, & gravi ſupercilio, colore albicante, oculis, ore, totoque vultu, & corpore, ad modeſtiam, dignitatemque quamdam excultis. Perſpicua, & canora voce, quæ quamquam in ſene nonnihil elanguit, vividior tamen in eo inerat; & fortior, quam ætas ferret. In rebus, quæ ad Dei cultum promovendum, ad proximos juvandos, ſeverioremque Ordinis diſciplinam cuſtodiendam pertinerent, animo fuit grandi, & interrito, qui nullis laboribus, ut ſupra monitum eſt, vigiliis nullis, nulloque diſcrimine frangeretur. Ingenium, quod nactus eſt ſatis perſpicax, continenter exercuit. Et quamquam occulere ſe ſe ſtuduerit ſemper; efficere tamen minime potuit, quin ex ejus publicis, privatiſque ſermonibus emicarent identidem ſolidæ admodum ſapientiæ, & eruditionis indicia. Studiis delectabatur antiquitatis; Ejuſque præſertim, quæ ad mores recte formandos aptior videretur. Scribebat latina, & italica lingua, ut ſua ferebant tempora, non impolite: Sed & gallicam calluit ſatis commode, ut ea uti potuerit ad librum, quem ſupra indicavimus conficiendum. Libros inter, quorum lectioni ab adoleſcentia uſque ſe dederat, unum præcipue verſavit, conſuluitque avidiſſime, hoc eſt Chriſtum, & hunc quidem affixum Cruci. Eo uno ita profecit, ut dignus tandem evaſerit, cujus animi moderatio, & ſubmiſſio, religio, & pie-

tas,

(1) *Idem, aliique multi qui adſtabant.*

tas, patientia, & manſuetudo, aliæque virtutes, quibus enituit, litteris conſignentur, & adoleſcentibus noſtris ad imitandum proponantur.

PIUS CAJETANUS CADOLINIUS.

I. PIUS CAJETANUS CADOLINIUS ſeculo decimoſeptimo fere exeunte Cremonæ Joſepho, & Hyppolita honeſtiſſimis, piiſque Conjugibus natus eſt. (1) Diligentiſſimorum in parentum ſinu enutritus, ac liberalibus diſciplinis ab optimis præceptoribus excultus, facili, ac veloci, quo valebat, ingenio, eos brevi progreſſus fecit, qui ſive a puero, ſive ab adoleſcente ſolerti, ac laborioſo expectari, fierique poſſint. Paternam maternamque pietatem, divinarumque rerum amorem vel a teneris unguiculis æmulatus, cum ad eam perveniſſet ætatem, quæ ad certum vitæ genus ineundum haberetur aptiſſima in Ordinem, & Familiam hanc noſtram adſciſci omnibus precibus petiit. Voti compos cum eſſet factus, quo tempore annos numerabat vix ſexdecim, (2) anno poſtero Bononiam miſſus Philoſophiæ, Theologiæque ſtudia pari proſperitate confecit, & ſelectas utriuſque diſciplinæ ſententias tam fauſte propugnavit, quam quod fauſtiſſime.

II. Doctoris Lauream omnium plauſibus, pleniſque ſuf-

(1) *Kalendis Julii 1692. Ex Libro Baptizatorum Viciniæ Majoris hujus Civitat. Cremonen.*

(2) *Ordinem ingreſſus eſt, atque in hanc Familiam cooptatus die 16. Decembris anno 1707., Dominico Maria Zannio Cœnobii præfecto, ut conſtat ex Libro E. Conſiliorum Conv. S. Dominici Cremonæ pag. 280.*

ſuffragiis conſecuto decreta ei Mantuæ adoleſcentum noſtrorum inſtitutio eſt. In extricandis, explanandiſque vel implicatiſſimis rebus cum eſſet facilis inprimis, perſpicuus, & facundus, ſcientiarumque traditionem cum incredibili morum ſuavitate, comitateque ſingulari conjungeret, fiebat, ut auditores non tam Inſtitutoris, quam Matris loco eum haberent; deque ejus voluntate non modò perficienda, ſed præveniénda certarent. Dubitabatur propterea, pluſne diſcipuli a Magiſtro amarentur, an eum amarent. Sed non domeſticis tantum, cum quibus quotidie verſabatur, verum exteris quoque, qui hominem vel de facie noſſent, & peramabilem ſe præbebat, & magno erat in pretio. Nullum certe fuit hominum genus, quod ejus conſuetudine, ubi cum eo ſemel egiſſet, non delectaretur quam maxime. Nemo, qui ejus prudentia, dexteritate, urbanitateque captus animi ſui arcana eidem non aperiret, quod ab eo probatum fuiſſet, non faceret, ejuſque conſilio in rebus dubiis, & arduis non uteretur. Quo in genere plura hic referremus, niſi eſſet de iis ſermo quam proxime rediturus.

III. Expleto Mantuæ, aliiſque in locis adoleſcentum noſtrorum inſtituendorum munere, quo ingenti ſane omnium adprobatione eſt ubique perfunctus, Anconæ primum Felici Mariæ Lazaronio, Bononiæ ſubinde Joſepho Aloyſio de Andujar Fidei Quæſitoribus datus eſt Apoſtolica auctoritate Vicarius. Moderabatur per eos dies Bononienſem Eccleſiam Cardinalis ampliſſimus, ſolertiſſimuſque Virorum cognitor Proſper Lambertinus. Cadolinium cum hic ſemel, iterumque ad ſe venientem

entem obſervantiæ gratia humaniſſime excepiſſet, fuiſ-
ſetque pro ſua in omnes benignitate, facilitateque cum
eo diu aliquantum verſatus, ejus ſic probare colloquium,
& conſuetudinem cœpit, ut eundem ab ſe dimittere
nonniſi egre deinceps poſſet. Quare vel minus ſæpe
accedentem accerſiri jubebat, vel ad eum adibat, cum
eodemque commorabatur in cubiculo ſolus, deque re-
bus variis, & ſeriis agebat familiariſſime. Ex quo fa-
cile quiſque intelligebat, quantam Cadolinius cum
tanto Antiſtite gratiam, exiſtimationemque iniiſſet.
Annos fere quinque eo functus eſt munere: quo cer-
tis de cauſſis, quas hic recenſere non eſt neceſſe,
cum ſe abdicaſſet, Veronam ad ſacras Confeſſiones
lectiſſimarum earum Virginum Ordini noſtro addi-
ctarum excipiendas eſt miſſus. (1) Difficile dictu eſt,
quanta illæ ex ſacro hujus Viri miniſterio delectatio-
ne afficerentur. Tanta valebat efficacitate, ſuavitate-
que ſermonis, ut cum eas alloqueretur, & ingenti
quadam voluptate excitaret, & ad optima quæque
conſectanda vehementer incenderet. Hic erat, uti
ab iiſdem audivi non ſemel, familiarior ejus ſermo,
& cohortatio frequentior: caverent ſtudioſiſſime,
ne quidpiam, quod ab Iuſtituto præſcribitur, vel
minimum violarent: nil non curandum, negligen-
dumve ſua ſponte, ac voluntate arbitrarentur; ac pro
re certiſſima haberent, ſi leviora ſpreviſſent, in gra-
viora, & mortifera nullo ſe negotio caſuras. Quas
illæ tam ſæpe iteratas & privatim, & publice ſanctiſ-
ſimas

(1) *Anno* 1735.

ſimas commonitiones menti, animoque alte adeo defixas habebant, ut in quotidiano convictu nil admittere auderent, quod earum legibus, & ſtatutis pleniſſime non conſentiret.

IV. Exacto Veronæ non ſine earum Virginum lacrymis conſueto biennio, Cremonam venit, atque huic Domui poſt Joannem Thomam Oreliam præficitur. (1) Quam utique præfecturam majore rei familiaris, & domeſticæ diſciplinæ emolumento abſolviſſet, niſi poſt annum unum ab inita adminiſtratione Mediolanum ad alias Virgines Deo Sacras, quas Veteres appellant, dirigendas evocatus Majorum ſuorum imperio fuiſſet. At vero non diu potuit, uti illæ vehementer optaſſent, Mediolani conſiſtere. Nam cum Henricus Aſpertus magna virtutum opinione vir Bononiæ fuiſſet anno poſtero (2) in Comitiis deſignatus, qui univerſam utriuſque Lombardiæ Provinciam moderaretur, Pium Cajetanum Cadolinium, cujus fidem, ſolertiam, dexteritatemque in rebus agendis habebat plane cognitam, in ſocium adſcivit. Eo igitur uſus eſt Henricus non tam comite, & adjutore, quam amico ſuaviſſimo ſic, ut ad finem uſque ampliſſimæ procurationis æquo, & pari jure vixerint conjunctiſſime. Sed non tam Præſidis amicitiam Cadolinius, quam univerſæ Provinciæ benevolentiam ſibi conciliavit in tantum, ut publicæ quam primum rei gerendæ præludere jam tum videretur.

Z V. Poſt

(1) *Anno 1737. ex Catalogo Priorum Conv. S. Domin. Cremonæ ad eum annum.*

(2) *Anno 1739. ex Catalogo Provincialium utriuſque Lombardiæ ad eum annum.*

V. Poſt hæc a ſupremo totius Ordinis Moderatore Thoma Ripollio Genuenſe nobiliſſimarum Virginum Collegium Sancto Sylveſtro dicatum ei traditum eſt in diſciplinam. (1) Quantum his quoque Virginibus probaverit ſe ſe, ſuaque lenitate earum animos pia quadam oblectatione devinxerit, cum ex anteacto ejuſmodi fœminarum regimine conjici poteſt, tum ex eo potiſſimum, quod ipſæ adhuc teſtantur, dubiis de rebus interrogatum brevitate, perſpicuitateque in reſpondendo fuiſſe tanta, ut non minus accurata, quam prompta, aptiſſimaque reſponſione interrogantium mentes, & conſcientias expleret. Id quod ab hujuſmodi fœminis, ſi eſt ingenue fatendum, non ita frequenter auditur. Quamobrem certatim penitiora animorum latibula eidem aperiebant, neque quidquam ab eo ſive imperante, ſive commonente, ſive publice, vel ad aurem docente proferebatur, cui ſtatim illæ non acquieſcerent ſapienter ratæ, ſe tanti Magiſtri ductu in arreptæ vitæ ſtadio tutiſſime progreſſuras.

VI. Huic muneri, onerique ſuſtinendo vix finem fecerat Cadolinius, cum alia Mantuæ, eaque fortaſſe gravior Fratrum noſtrorum ei cura decernitur. (2) Philoſophicas, ut ſupra memoravimus, Theologicaſque diſciplinas magna cum laude tradiderat, nobiliſſimorumque Virorum, & Matronarum favorem, quem ſibi præſentia ſua paraverat, abſens per epiſtolas obſervantiæ, comitatiſque pleniſſimas foverat. Eo igitur ut pervenit, & veteres amicitias coluit, & novas inſtituit.

Et

(1) *Anno* 1741. (2) *Anno* 1743.

Et quamvis in procuranda, augendaque re familiari, continendiſque in officio, qui ad ſe pertinebant, Patremfamilias ageret perquam diligentem, & omnia reliqua tempora privatis, quæ nunquam intermiſerat, ſtudiis tribueret, nihilominus nullum fuit urbani officii genus, quod amicis liberaliſſime ſuis non præſtiterit. Hos inter habebat conjunctiſſimum Nicolaum cognomento Hyppolitum Superbum Gazzoldi Dynaſten, & Poetam eximium; qui Pater Patriæ cum univerſim exiſtimaretur, multiſque propterea eſſet negotiis implicitus, Cadolinii ſolertiæ, probatæ fidei, dexteritatique adeo confidebat, ut non prius quidquam conficeret, quam cum illo ſerio contuliſſet. Philippo Gonzagæ rei tormentariæ præfecto, rectiſſimoque hominum æſtimatori non minore fuit in pretio. Prætereo Ignatium Zanardum, univerſamque Zanardorum Familiam, cui erat adeo acceptus, & intimus, ut non tam amicus, & familiaris, quam unus omnino ex iis videretur. Nam Sottoviæ Comiti, & Poetæ ſane illuſtri cariſſimus fuit. Sed apud Mariam Roſam Trottam Petri Mariæ Gonzagæ quondam uxorem, ejuſq; Filiam Mariannam Viduam Bentivolam, & Elizabetham Gonzagam, nobiliſs., lectiſſimaſque Fœminas eo ſemper fuit in loco, ut ab iis & obſervaretur eximie, & diligeretur impenſe. Eo illæ utebantur humaniſſime, & familiariſſime, & cum eſſent admodum religioſæ, nihil, quod vel leviter vitioſum, aut dubium putarent, ſuſcipiebant, quin eum accerſitum graviter, accurateque conſulerent. Hos Mantuæ, alioſque hujus generis nactus eſt, coluitque

Digitized by Google

Cadolinius amicos ſecum certantes officiis, ut quantum homini, quem plurimi faciebant, deferrent, aliqua ſignificatione teſtarentur. Cujus ecquidem rei argumenta referrem non levia, nec pauca, niſi majora, potioraque haberem.

VII. Indicta ſunt interea Bononiæ Comitia, quibus novus poſt Hieronymum Lambertengum Provinciæ Præfectus eligeretur. Patres, quibus jus erat ſuffragii ferendi, cum illuc conveniſſent, & Cadolinii prudentiam, integritatem, animi candorem, comitatemque perſpexiſſent, quæ non florerent modo, ſed eminerent; fuiſſentque ejus induſtriam, & ſingularem in rebus agendis alacritatem experti, tum ſcilicet, cum Provinciæ Præſidis eſſet in comitatu, hanc eidem adminiſtrandam improviſa fere animorum conſenſione tradiderunt. (1) Clavo igitur moderando ut manum admovit, ingentem, quam de ſe concitaverat, expectationem rei bene gerendæ cumulatiſſime explevit. Diſciplinæ tenaciſſimus, quamvis ejuſdem ſervandæ cauſſa neminem vereretur, majorem tamen, quam potuit, ejus cuſtodiam obtinuit acerbitate, & offenſione nulla. Inerat enim homini lenitas, & ſuavitas tanta, ut omnes ad ea, quæ vellet ſine cunctatione perficienda non tam alliceret, quam jucunde pertraheret. Cui ſi quis imperanti minus prompte, & accurate pareret, commonebat eum quidem iterum, iterumque, & paullo acrius; poteſtatis tamen gladium vagina nunquam educebat, niſi coactus. In nonnullas (non enim eſt celandum)

(1) *Anno 1745. Menſe Aprili.*

dum) conjectus eſt difficultates; in quas tamen cum non ſua, ſed aliorum voluntate incidiſſet, non minore conſtantia, quam proſpero eventu eas ſuperavit. In perluſtrandis ampliſſimæ Provinciæ Cœnobiis, multi ſunt ei honores a principibus Viris adhibiti. Præterea Epiſcopos, Cardinales, & inſigniorum Urbium Magiſtratus, a quibus, cum ad eos accederet, perhonorifice ſemper eſt habitus. Nam Romam primo ſuæ perluſtrationis anno cum perveniſſet Neapolim inde tranſiturus, ſummumque Pontificem Benedictum XIV. Lambertinum adhibendi obſequii cauſſa, ut mos eſt, adiiſſet, haud facile dictu eſt, quanta eum Pontifex amplexatus ſit humanitate, & quam teneris, pro veteri amicitia, benevolentiæ ſignificationibus cumularit. Sed & Auguſtæ Taurinorum ab Rege ipſo Carolo Emmanuele mirum eſt, quam peramanter exceptus fuerit. Eximia quidem humaniſſimus ille Rex eſſe ſolet in omnes, qui ad eum accedunt, benignitate, ut non tam Principis, quam Patris viſcera nutrire in quemlibet videatur; ſed officioſis Cadolinii verbis, urbanitate, atque adſpectu ipſo eſt quam maxime, ſingularemque in modum delectatus.

VIII. Adminiſtrata Cadolinius tali modo Provincia, in ſuum Cremonenſe Cœnobium ſeceſſit, cui etiam anno poſtero iterum præfectus eſt. In hac vero præfectura gerenda, cum jam longo regendi uſu fere conſenuiſſet, nil ei difficile, aut moleſtum, nil arduum, aut inopinatum accidit unquam. Omnia proſpere ei ceſſerunt, omnia e ſententia: Quod non tam fortunæ,

 quam

quam virtuti tribuendum quiſque facile affirmabit, ſi quanta eſſet in judicando de inſtantibus prudentia, & alacritate, quanta in conjiciendo de futuris præſenſione, animadverterit. His ſane virtutibus enituiſſe Cadolinium teſtes ſunt multi cum ſuperſtites, tum locupletiſſimi. Sed, quod raro admodum contingit, non tam externorum, ut ſupra declaravimus, amorem, exiſtimationemque ſibi peperit, quam Indigenarum, & Civium ſuorum. Erat enim ad animos incredibili quodam illicio capiendos non tam factus, quam natus: ſuavis, blandus, modeſtus, officioſus; nil tamen, ut dignitatem imminueret, nihil ut aulicum referret. Quo factum eſt, ut in Patria non minus, quam Mantuæ, aliiſque in Urbibus, de quibus dictum eſt, & amaretur univerſim, & admodum coleretur. Alexandro Littæ, ejuſque in Cathedra Cremonenſi Succeſſori optimo Ignatio Mariæ Fraganeſchio acceptiſſimus, familiariſque fuit. Joſephum Nicolaum Sylvam nobilem in primis, graviſſimumque Virum conſuetudinis ſuæ facilitate, honeſtateque morum ita ſibi devinxit, ut nemo ei eſſet carior. Sed inter clariſſimos, ac nobiliſſimos Cives Julius Cæſar Bonettus Juris in hoc inſigni Collegio Conſultus, Eques, & Comes, maxmique Conſilii Vir quanti Cadolinium faceret, & quam impenſe diligeret, multis cum ante, tum poſt ejus obitum ſignificationibus cumulatiſſime oſtendit. Nam & hominem ſolebat frequenter inviſere, & ejus colloquio, gravibuſque ſententiis, atque conſiliis ſummopere delectari. Eum vero jam vita functum & ſæpe deſideravit ſuperſtitem,

&

& multis, juſtiſque laudibus efferre, ubi occaſio tulerit, conſuevit, ac ſolet.

IX. Poſt expletam hanc præfecturam, quæ fuit illi poſtrema, cum annos adhuc quinque tali honeſtate vixiſſet, atque ob magnam, quam præſeferebat, corporis firmitatem, valetudinemque diutiſſime ſe nobiſcum manſurum polliceretur, in Villam, cui Tencaria nomen ſe contulit, animi ibidem levandi cauſſa aliquantulum moraturus. Poſt dies aliquot ab ſuo in eum locum adventu, XIII. Kalendas Octobres ſub veſperam inexpectato febrili rigore correptus eſt. (1) Quem cum triduo, quod ſibi levis eſſe videretur, ſtans modo, modo decumbens parvi, flocciqne feciſſet, e cubili dum ſurgeret, in grave adeo deliquium incidit, ut univerſo inalgente corpore vires reſumere, colligereque vix poſſet. Hiſce difficillime reſtauratis, animadvertens, quo in periculo verſaretur, ſe ſe denique in Urbem, ubi & commodius, & tutius vitæ ſuæ conſuleret, recepit. (2) Acceſſitis nulla mora interpoſita Viris artis medicæ peritiſſimis, (3) deprehenſum eſt, valida hominem febri laborare, eam comitantibus magna linguæ ariditate, oris amaritie, maximo cibi faſtidio, atque ingenti corporis jactatione, recurrentibus identidem altis, læthalibuſque ſingultibus. Cumque inſigni febris æſtui externus corporis calor minime reſponderet, ſanguinis miſſio confeſtim ex brachio imperata. Poſtridie,

(1) *Anno 1755. die 19. Septembris.*
(2) *Die 23. Septembris.*
(3) *Eos inter fuit præcipue Joſeph Milliavacca Vir apprime doctus, & gravis, & ægroto ſumma neceſſitudine, & affinitate conjunctus.*

aliiſque inſequentibus diebus re modo in melius, modo in pejus vertente, & ſanguis ex pede detractus, & alvus leniente cliſtere non ſemel expiata, & opportuna pro varietate ſymptomatum adhibita remedia. Sed eo tandem eſt ventum, ut III. Kalendas Octobres ad meridiem graviore correptus animi defectione magna vexari cœperit reſpirandi difficultate, pulſu plurimum demiſſo, & inæquali, obſcura oculorum acie, flavo univerſæ cutis colore, frigidiuſculis artubus, & læthali decubitu. Flexo in veſperam die a morbi moleſtia quieſcere aliquantulum viſus eſt, ac toto corpore incaleſcere; frequenti tamen Cardialgia, dexteroque Hypocondrio maxime tumido. Quamobrem mixtura ſtomachica ei decreta, & mane poſtero, (1) cum melius ſe habere ægrotus videretur, cliſtere emmolliente, ac balſamico alvus ſollicitata. Sed irrito prorſus conatu. Poſtea enim quam exiguam admodum bilioſæ materiei copiam reddidiſſet, fuiſſetque jam ſacris omnibus ad capeſſendam Æternitatis viam, uti enixe petierat, inſtructus, multo difficilior poſt prandium, quam antea conſueſſet, fieri ei cœpit reſpiratio, pulſus inæqualior, ac longe demiſſior, turbarique adeo mens, ut verborum, quæ in ejus aurem pie proferebantur, ſenſus non amplius perciperet. Nocte appetente, ſummo, quo premebatur, trahendi anhelitus incommodo, die, quæ morbi patientiſſime tolerati fuit undecima, ex urentiſſima Hepatis inflammatione, noctis horam tertiam inter, & quartam interiit, cum annos ageret tres

(1) *Die 30. Septembris.*

tres dumtaxat, & ſexaginta. Cadaver ejus elatum, rituque conſueto ſepultum eſt, Hominis jacturam ægre ferentibus, ac pene collacrymantibus omnibus bonis, & æquis honeſtiſſimorum virorum æſtimatoribus.

X. Decora fuit admodum facie, ſtatura congruenti, ampla fronte, colore vivido, ſubrufis crinibus, ſanguineo, ac robuſto corporis habitu, quem ullo labore, aut morbo frangi vix poſſe dixiſſes. Quod vero eſt præcipuum, animo candido, moribus integris, totoque adſpectu, & convictu ad omnem urbanitatem non minus, quam ad modeſtiam quamdam, & dignitatem exculto. Sed bene de omni bus, optimeque merendi ſtudium in ejus multis ponitur laudibus. Prætereo innumera, quæ in hujus Cœnobii ornamentum, & rem contulit beneficia nunquam interitura: nam de his alibi dictum eſt ſatis (1) Facere tamen haud poſſum, quin eximiam commemorem Cadolinii charitatem, qua non eos tantum, qui bono in ſe animo eſſent, verum etiam, qui minus æquo, humaniſſime complectebatur. Nemo unquam ad eum acceſſit, quem ſibi aut opera, aut conſilio, aut ſaltem officioſiſſimis verbis devinctum non dimiſerit. Nam ſi vires aliquando ad beneficiendum, & opes deeſſent, animus, & voluntas ejus certe non defuit. In exercitationibus obeundis, quæ ad Inſtituti noſtri rationem pertinent, alacer, expeditus, gravis, nulloque, aut tempeſtatis aut laboris incommodo fatigabatur. Cum omnibus vero ita eſt ſemper verſatus, ut quamvis dignitate emineret, ea nil dim-

(1) *Vide noſtram Cœnobii Cremonenſis Hiſtoriam ad annum 1745., & 1746.*

dimminuta par vel infimis Fratribus videretur. Adeo noverat comitatem, facilitatemque ſuam cum quadam conſuetudinis gravitate conjungere. Quarum ego rerum, & aliarum id genus non alios appello teſtes, quam qui cum eo vixerunt, aut qui res ipſas ab his didicerunt. Horum nemo profecto eſt, qui dubitet, quin fuerit omnibus carus; Thomæ vero Auguſtino Ricchinio Sodali, & Civi Clariſſimo ob veterem, intimamque amicitiam perpetuo cariſſimus. Graviſſimam Amici jacturam cum Romæ Ricchinius per litteras mœrore pleniſſimas intellexiſſet, & immatura ſibi morte præreptum vehementer indoluiſſet, quem diu ſuperſtitem peroptabat, conceptum inde dolorem non alia ratione leniri poſſe exiſtimavit, quam ſi, poſt fuſas pro eo pias precationes, in cubiculo ipſo, in quo diem obiit extremum, aliquod egregii Viri monumentum ſub picta ejus imagine poni curaviſſet. Hæc itaque miſit, quæ operi ibidem albario inſcriberentur.

F. PIO CAJETANO CADOLINIO
Cremonen. Ord. Præd. S. T. M.
Semel Provinciæ VV. Lombardiæ
Bis Hujus Cœnobii Præſidi
B. M.
Prudentia, Candore, Suavitate Morum
Omnibus Caro
F. Thomas Augustinus Ricchinius
M. P.
Vixit Annos LXIII. Obiit Prid. Kal. Oct.
Ann. MDCCLV.

THO-

THOMAS AUGUSTINUS RICCHINIUS.

I. DE Viro ſcribere aggredior, cujus adhuc viventis celebrius eſt nomen, quam ut ulla commendatione litterarum indigeat. Ordiamur tamen aliorum etiam Hiſtoricorum, qui de Viris hujuſmodi ſcripſerunt, morem ſecuti. Cremonæ Thomas Auguſtinus Ricchinius III. Nonas Apriles, quæ dies erat Chriſto reſurgenti ſacra, natus eſt perhoneſto genere. (1) Patrem habuit Petrum Ricchinium hominem ingenuum, ſatis eruditum, ſolertem, atque in procuranda re familiari, inſtituendiſque liberali educatione filiis diligentem non minus, quam probum. Matrem nactus eſt Antoniam Soſſejam lectiſſimam fœminam, cujus parentes Burgundi, cum in Italiam commigraſſent, domiciliumque Cremonæ ſtatuiſſent, medendi, manuque curandi arte mirifice floruerunt. Ingenio ut erat illa acutiſſimo, inſignique pietate, Filium hunc natu maximum enutrivit, educavitque ſic, ut nemo melius. Sortitus eſt ille quidem ab natura gracilem, tenuemque corporis habitudinem, ſed excellens, ac plane ſummum ingenium, tenacemque adeo memoriam, ut annos vix quatuor natus legendi jam eſſet, ſcribendique fere peritus. ipſumque, quo utebatur Inſtitutore, Joannem Baptiſtam Farinam in ſui admirationem pertraheret. Studiis, quibus puerilis ætas erudiri ſolet, mira velocitate confectis, ad humaniores litteras apud Patres Societatis Jeſu perdiſcendas octennis eſt miſſus. In his cum primas

(1) *Anno 1695., ut conſtat ex Libro Baptizatorum Viciniæ Majoris.*

Digitized by Google

primas inter æquales tuliſſet, Rhetoricæ dedit operam, quam ut ſibi compararet, tres annos inſumpſit, totidemque Magiſtros habuit Clariſſimos, Grittam Januenſem, Gheſium Pedemontanum, & Giacchinium Novarienſem, qui eximio adoleſcentis delectabantur ingenio, & quidquid ſcribendo conficeret, probabant, commendabantque adeo, ut eum cæteris anteferrent. Excellebat utique in omni ſcribendi genere, ſed ad Poeſim videbatur non tam excultus, quam natus. Ex quo fiebat, ut & carmina latino, & italico idiomate ſumma felicitate componeret, & quæ ſemel compoſuiſſet, jam digna haberentur, quæ nulla appoſita Præceptorum manu publice recitaret. Quin immo eorum multa veluti pretioſa ſingularis ingenii monumenta cum Inſtitutores ipſi diligentiſſime cuſtodiebant, tum ii quoque, quorum condiſcipulatu, & familiari conſuetudine utebatur: quo in numero fuit maxime Franciſcus Maria Breſſianus Vir apprime doctus, & eruditus, Juris conſultus Egregius, ac inveterata cum Thoma Auguſtino Ricchinio neceſſitudine conjunctus. (1)

II. Ejus Parentes interea, prout ipſi amabant litteras, incredibile eſt prorſus, quanto afficerentur gaudio, cum veloces adeo Thomæ Auguſtini Filii progreſſus, totque eum efferri laudibus intelligerent. Ipſum propterea diligebant unice, ſibique magnopere gratulabantur, quod eum filium procreaſſent, quem ſibi, univerſæque Fa-

milia

(1) *Ea omnia accepimus partim ex Franciſco Ariſio Cremon. Litterat. tom. 3. pag. 312., & ſeq., partim ex Franciſco Maria Breſſiano Carena Ricchinio æquali, ejuſque amiciſſimo.*

miliæ ſperabant, magnæ utilitati, atque ornamento futurum. Accidit inter hæc, ut Julium Vincentium Crottum Dominicanum Cremonenſem, Virum graviſſimum, quem Thomas Auguſtinus frequentiſſime adibat officii cauſſa, de maximis, iiſdemque innumeris Ordinis ſui meritis verba inter colloquendum de induſtria interſerentem audiret identidem, ab eoque hunc in modum ad idem vitæ genus, quod ille profitebatur, ineundum incitaretur in dies ardentius. Poſtea igitur quam Piccimbonum Societatis Jeſu Presbyterum, quo conſcientiæ utebatur interprete, hac potiſſimum de re conſuluiſſet, ſuaque Divino Numini cogitata probari intellexiſſet, inconſultis Parentibus, quos invitos ſuſpicabatur, eundem Crottum rogavit, ut, ſi ejus voluntate fieri poſſet, in Cremonenſem Prædicatorum Familiam cooptaretur. Huic præerat Alexander Aloyſius Piſonus maximæ per ea tempora orator ſpei, ſi diutius vixiſſet. (1) Piſono cum fuiſſet eximius Adoleſcens ab Julio Vincentio Crotto vehementer commendatus, quod enixe petierat, ſumma omnium Patrum conſenſione impetravit. (2) Perculſus, graviterque punctus, ut id reſcivit, inopinata re Pater primo quidem id ægerrime tulit; non quod ab ea vitæ ratione, quam ineundam Filius conſtituerat, abhorreret, ſed quod & ingentem, quam in eo collocarat, rei domeſticæ augendæ, amplificandæque ſpem ſua ille deliberatione feciſſet irritam, & quod id potiſſimum ſe minime conſcio ſtatuiſſet.

(1) *Catalog. Priorum Conv. S. Dominic Cremon. ad ann.* 1710.
(2) *III. Nonas Auguſti ann.* 1710. *ex libro Conſiliorum E. pag.* 290.

iſſet. Nihilo tamen ſecius tranquillato paullatim animo, ad Supremi Numinis voluntatem ſe ſe Vir probus conformavit omnino; apparatiſque omnibus, quæ ad rem perficiendam erant neceſſaria, ad Corregienſe Novitiorum Collegium, quo fuerat juſſus, eum ipſe perduxit.

III. Præterire hoc loco non poſſumus, quod per annuum illud temporis ſpatium contigit, memoratu dignum. Tyronibus eo in Collegio inſtituendis, ac rite probandis præfectus a Majoribus fuerat Petrus Martyr Cangiaſius, qui haud multos poſt annos Reginæ Clementinæ Sobieſchiæ a ſacris Confeſſionibus fuit, ac Regii denique Lepidi e vita migravit, cum ibi Fidei Quæſitoris fungeretur munere. Hic cum adoleſcentes ſibi concreditos ad Corregienſium Capuccinorum Cœnobium deducere deambulatum ſoleret identidem, eorum graviſſimorum Patrum unus, qui ſingulari virtutum opinione florebat, hæc in aurem Cangiaſii, Ricchinium innuens, & Aloyſium De Andujar, ſemel, iterumque eſt locutus: *Curam*, inquit, *Pater, horum duorum Novitiorum habeto quam maximam: futurum eſt enim, ut magno tui Ordinis ornamento ad ſublimes uterque dignitates promoveatur*. (1) Quod plane fuit quoddam illius ſancti Viri Prophetiæ genus. Exacto tyrocinio, a Vincentio Ludovico Gottio Provinciæ per eos dies Præfecto deſignatus eſt inter cæteros, qui Fridericum Toccolum Parmenſem Philoſophiam Bononiæ profeſſurum audiret. Eo Doctore condiſcipulos nactus eſt lectiſſimos Juve-

(1) *Id mihi narrarunt cum alii plures, tum ipſe Cangiaſius paullo antequam moreretur*.

Juvenes, quos ita incitabat ingenio, ſtudioque ſuo, ut quamvis eos inter magna intercederet æmulatio, ſua tamen amabili conſuetudine effecerit, ut ab eo condiſcipulatu ad extrema uſque tempora vixerint omnes conjunctiſſime. Philoſophiam, qua mirum in modum profecerat, ingenti adſtantium plauſu propugnavit, habuitque hujus publicæ concertationis Auſpicem Paullum Hieronymum Gallaratum, qui adoleſcentis perſpicacitate, eruditioneque captus, ejus rebus proſpicere, qua valebat, auctoritate cœpit in poſterum, neque eum ſecus diligere, ac filium.

IV. Poſt emenſum felici adeo ſucceſſu Philoſophiæ curriculum, ad Metaphyſicam, cui perdiſcendæ bienniium integrum impendi ea ætate ſolebat, demigrare cum æqualibus debuiſſet: Aſt cum in tertianam, obfirmatamque febrim incidiſſet, amicorum hortatu, ac Medicorum conſilio, ut cœlum mutaret, adductus eſt; Regiumque Lepidi divinorum cauſſa ſtudiorum eſt miſſus. In his, ut convaluit, eos brevi progreſſus fecit, ut prima recurrente anniverſaria S. Thomæ Aquinatis gratulatione, ſolemnem de Theologicis rebus diſceptationem inierit Nobiliſſimo Viro Octavio Picenardo Eccleſiæ Regienſis Antiſtiti nuncupatam. Poſt hæc imploratis, impetratiſque a Provinciæ Præfecto litteris Mediolanum ſe contulit proximo menſe Septembri ineunte, (1) ibique manſit ad annum uſque milleſimum ſeptingenteſimum decimum nonum. In eam ampliſſimam Civitatem vix dum pervenerat, cum ſe ad novam, ſimilemque

(1) *Anno* 1715.

milemque pugnam Dominico Andrea Cortinio duce communivit, comparavitque ſic, ut & acriter intrepideque conflixerit, & ingenti omnium gratulatione ſuperior inde diſceſſerit. At vero cum Italicæ, Latinæque Poeſeos ſuavitate ſummopere delectaretur, huic quoque amæniſſimo ſtudio dare operam per otium ſolebat, confecitque inter alia poemata Dramata duo, quæ recurrentibus S. Thomæ Solemniis in Templo S. Mariæ Gratiarum harmonice recitarentur. (1) Hæc qui legerit, ſatis intelliget, quo uſque in hoc etiam ſtudii genere vel a prima juventute jam perveniſſet. Hac Thomæ Auguſtini Ricchinii doctrina, præcipue vero conficiendorum carminum facilitate motus Innocentius Frugonius Poeta Clariſſimus, qui Mediolani in Ædibus S. Mariæ, ut vocant, Secretæ per ea tempora commorabatur, in ejus penitus familiaritatem ſe dedit, atque ut in Arcadum Romanorum numerum referretur, auctor fuit. Qua poſtea ex re factum eſt, ut in Patriam Franciſcus Ariſius eorum Paſtorum Coloniam deduxerit, deductamque augeri curaverit, cujus fuit Ricchinius ex primis conditoribus unus *Geſaltis Scandei* adſcito nomine. (2)

V. Sacerdotio initiatus Bononiam ut conſtituto annorum trium curriculo diſcipulatum ſuum abſolveret, profectus eſt. Cum vero a Paullo Hieronymo Gallarato, quem ſupra memoravimus, Baccalaureo deſignatus

(1) *Primi Dramatis tituli*: L'ombre ſvelate.... *Mediolani typis Friderici Blanci in 4. Secundi Dramatis titul.* L'impegno delle Virtù.... *Mediolani ann. 1718. typis prædictis in 4.*

(2) *Franciſcus Ariſius Cremon. Litterat. tom. 3. pag. 17. & ſeq.*

tus jampridem, delectuſque fuiſſet ad eas publice theſes propugnandas, quas noſtri privilegiarias vocant, eaſque ſumma cum laude ſuſtinuiſſet, biennio tantum ibi eſt immoratus, ſibique debitam Profeſſoris Lauream conſecutus. Caſale ad Montem Ferratum, juventutis inſtituendæ cauſſa, ab Hyacintho Felice Mazzuchio, qui per id tempus Provinciæ præerat, miſſus, haud facile dictu eſt, quam brevi in ea liberaliſſima Civitate inclaruerit. Simul, atque in publicum prodire viſus eſt, tanti eſſe cœpit apud optimates, & principes omnium ordinum Viros, ut in eo obſervando, atque honorifice habendo certare jam inter ſe viderentur. Sed cum maximam Civium partem conſuetudine ſibi ſua devinxit, tum præcipue clariſſimum Marchionem Moſſium Venetiis poſt annos aliquot Sardiniæ Regis Legatum, Piccum Paſtronium, Mirolium paullo poſt Alexandrinum Epiſcopum, alioſque nobiliſſimos Viros, quos, quippe qui ſtudio litterarum maxime delectabantur, latinis, italiſque litteris, atque omnigena eruditione ita fecerat ſuos, ut his unus ante omnes fuerit perpetuo cariſſimus. Habebat filiam Virginem Moſſius, quam Deo vovere, id ipſa omnino volente non modo, ſed flagitante, conſtituerat. Ut opportunum ſacrificii tempus advenit, in hujus rei laudem Epinicia confecit, ediditque Ricchinius mira elegantia, ſuavitate, ac lepore contexta. Orationes etiam panegyricas variis ibidem temporibus compoſuit, recitavitque diſertas adeo, atque concinnas, ut audiri, guſtarique poſſet eloquentius, ac jucundius nihil. Neque litterariis unquam

exercitationibus publicis oppugnaturus inter fuit (intererat autem ſæpiſſime) quin vel ante, vel poſt conflictum aliquo italico Epigrammate, aut latino Carmine commendarit vel Mecœnatem, ſi adeſſet, aut certe Juvenem, qui ſtrenue decertaret. Quibus, aliiſque rebus effectum eſt, ut nemo jam eſſet Caſalenſium, qui non eum diligeret, ſummoque non haberet in pretio. (1)

VI. Sed tanta omnium mentes occuparat æquitatis etiam ejus, prudentiæ, atque honeſtatis opinio, ut nullum fere inter eos cooriretur diſſidium, cui componendo, animiſque ſedandis eo uno veluti arbitro non uterentur. Quo in genere illud eſt Ricchinio perilluſtre. Litigarant jam multis ab illinc annis Piccus Paſtronius, de quo dictum eſt, & Piccus Uvilius patrueles ob hæreditatem ſatis amplam, & pinguem, quam Piccus utriuſque Patruus Auguſtæ Taurinorum inteſtato reliquerat: Eratque hæreditas, de qua diſceptabatur, ad aureorum millia circiter quindecim. Inter ſe vero non modo ulla unquam ratione convenerant, ſed eo increverat actionis fervor, ut nulla fere ſpes videretur, fore, ut in concordiam reducerentur, cum jam a ſe mutuo diſſociatis animis receſſiſſent. Uvilius, qui probe norat, quanta eſſet Ricchinius Picco Paſtronio familiaritate conjunctus, rem totam ejus arbitrio, judicioque permiſit: ratus, aptiore ſe uti non poſſe viro ad litem hanc dirimendam. Facta itaque tranſactionis ampliſſima eidem

(1) *Eorum omnium teſtes ſunt multi, qui aderant; a quibus hæc nos ipſi iiſdem fere verbis accepimus.*

eidem optione, poſteaquam litigantium animos ingenua, ſtabilique pace compoſuiſſet, dexteramque more equeſtri ut ſibi mutuo darent, obtinuiſſet, totum negotium communi partium voluntate confecit, univerſamque in ſe Civitatem egregio iſto exemplo convertit. (1) Ad augendam vero ingentem illam nominis celebritatem, quam ſibi pepererat, illud etiam acceſſit laude dignum. Cum Piccus Paſtronius, ut pro collata in ſe opera, acceptoque beneficio gratum, memoremque ſe ſe Ricchinio præberet, haud modicam pecuniæ ſummam eidem dono obtuliſſet, hanc ille poſt gratias habitas immortales magno, conſtantiſſimoque animo recuſavit.

VII. Triennio hunc in modum apud Caſalenſes expleto, ad idem Philoſophiæ tradendæ munus Bononiæ reſumendum deſtinabatur, impetrato ſibi nil tale ſuſpicanti ab ſupremo totius Ordinis Magiſtro Auguſtino Pipia per Joan. Thomam Oreliam Romæ per eos dies commorantem diplomate. Verum cum Cœlum illud haud ſatis ſibi ſalubre jam fuiſſet expertus, ne illuc rediret, facile obtinuit, Brixiamque ad ſacram Ethicen explicandam translatus eſt. In eo magiſterio, ut par eſt, obeundo non minus aſſiduitatis, & diligentiæ, quam in amænioribus litteris, quibus maxime delectabatur, excolendis collocavit. Accidit interea, ut Soror ejus natu minor, cui fuerat in paternis Ædibus Joſepha nomen, Canneti, quod eſt Oppidum illuſtre ad Ollium fluvium, ſacris ſe Deo votis eſſet propediem obſtrictura. Tho-

(1) *Id accidit anno 1720. die Angelico Doctori ſacra.*

mas ergo Auguſtinus, qui Sororem hanc ſuam ſingulari benevolentia complectebatur; mira celeritate, facilitateque ſumma confecit, evulgavitque in ejus laudem Epinicium univerſo litteratorum Ordini probatum ſic; ut a publico eloquentiæ Doctore Brixienſi latinis fuerit verſibus redditum, atque a cæteris ſummopere commendatum. (1) Ab Urbe Brixia Veronam demigrare juſſus eſt ad primam Theologicam cathedram moderandam. Verona ingeniorum eſt, fuitque ſemper Parens feraciſſima, optimarumque artium altrix eximia. In eo igitur ampliſſimæ eruditionis campo Scipionem Maffejum, Alphonſum Montanarium, Ottolinium, Vallarſium, Ballarinios Fratres, alioſque clariſſimos Viros cum florere maxime cognoviſſet, ab iiſdemque fuiſſet, quanti valeret, apprime cognitus, in intimam eorum familiaritatem venit, ſeque in ſuſcepto politiorum litterarum ſtudio confirmavit.

VIII. Veronæ cum eſſet annos vix duos immoratus, majoremque in dies, erudita conſuetudine, ac morum honeſtate, exiſtimationem ſibi conciliaſſet, & gratiam, ecce litteræ afferuntur, quibus a reliqua eximitur docendi cura, in Urbemque a Thoma Ripollio, qui Ordini præerat univerſo, evocatur ad Magiſterii Lauream ſuſcipiendam. Id totum rogatu, & opera Joſephi Aloyſii De Andujar ejus familiariſſimi, qui per illud tempus Benedicto XIII. Urſino a ſtudiis erat ſecretis, Pontificiæque Bibliothecæ Præfectus, fuerat impetratum. Egerat

(1) *Edit. Cremonæ anno* 1724. *Ejus meminit Cinellius* nelle ſue ſcanzie. *Commemoratur etiam a Quadrio* nella Storia *&c.* *tom.* 2. *pag.* 525.

Egerat enim Aloyſius, conſtitueratque cum Ripollio, ut ſimul ac Romam veniſſet Ricchinius, fuiſſetque Magiſterii inſignibus decoratus, ſecum in poſterum in aula Pontificis verſaretur, quo non tam ejus veteri amicitia uti poſſet intimius, quam ut Pontificis lateri adeſſet, cum abeſſe ab eodem ſe contigiſſet. Romam igitur una cum ipſo Aloyſio, qui Bononiam uſque in ejus occurſum venerat, acceſſit menſe Novembri. (1) Ex hoc itaque tempore nullam non operam, officiumque præſtare Amico cœpit, perrexitque ad mortem uſque Pontificis. Anno inſequente (2) cum fuiſſet ille ad deferendam Archiepiſcopo Januenſi Roſam, ut vocant, auream legatus, in ejus fuit Ricchinius comitatu. In ejuſdem ferme anni exitu, vita functo Cardinali Anſideo Peruſinorum Epiſcopo, Eccleſiam illam Benedictus XIII. Pontifex Maximus Aloyſio De Andujar perſpectæ ſibi virtutis, & doctrinæ Viro tradere, ac demandare conſtituit ea mente, animoque, ut eundem ſubinde in almum Cardinalium Collegium referret. Id ſi feciſſet, jam decreverat Pontifex, ſumma accedente Ripollii voluntate, ut Thomas Auguſtinus Ricchinius in Aloyſii locum dignitatemque ſufficeretur. At ſecus res accidit. Nam cum ad Concilium Purpuratorum Patrum eam ob rem convocandum feriamquintam, quæ ſacrorum Cinerum diem proxime inſequitur, deſignaſſet Benedictus, in febrim incidit intermittentem, cujus initio, quod levis eſſe videretur, rationem habendam magnanimus Senex non putavit. Verum bis ab

(1) *Anno* 1728. (2) *Anno* 1729.

eadem, iterumque impetitus, ut erat ſenio confectus, attritiſque admodum viribus; ei cedere coactus eſt, ſanctamque animam placidiſſime efflavit feria tertia ſacros Cineres præcedente, (1) hora tertia ante Solis occaſum.

IX. Ea morte, quæ ingenti omnium luctu Chriſtianam Rempublicam implevit, ingens facta rerum converſio eſt. Atque ut prætermittamus, quæ aulam univerſam ea nocte occuparunt, perturbationes Aulicorum, animorumque tumultus, poſtridie ſub veſperam in magnum Cœnobium Minervitanum ſe ſe uterque recepit. Vix dum eo pervenerat, otium aliquod corpori, animoque daturus, & ecce a toto Cardinalium Collegio delegatur Ricchinius, atque a Thoma Ripollio jubetur, ut quam citiſſime laudationem Benedicti XIII. funebrem paret in Templo Romæ maximo quam proxime recitandam. Ab iis corporis incommodis, quæ ex communi Cœli malitia paullo ante contraxerat, licet nondum ſatis convaluiſſet, eſſetque ob tanti Pontificis jacturam, & adverſum Amici caſum turbatiſſimo, oppreſſoque ſpiritu, nihil eo ſecius demandatum in ſe inopinatum onus recipere non recuſavit; orationemque, quam diximus, minore, quam trium dierum ſpatio compoſuit, edidítque ſimul, (2) ut poſteaquam coram auguſto Eminentiſſimorum Patrum Senatu eam recitaſſet, exemplaria ejuſdem ſingula ſingulis Cardinalibus diſtribui commode, opportuneque poſſent. Libentiſſime auditam, avidiſſimeque lectam qui ſummis non eam laudibus

(1) *Anno* 1730.
(2) *Romæ typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ in* 4.

dibus extulerit, fuit nemo. Qua ex re factum eſt, ut vulgata iterum fuerit Ferrariæ, aliiſq; etiam in locis, (1) atque ab Alexandro Borgia Archiepiſcopo Firmano, Joanne Baptiſta Pittonio, Mario Guarnaccio, aliiſque, qui de vita, & moribus Benedicti XIII. ſcripſerunt, magnopere commendata.

X. Rebus ita Romæ peractis, a Lauro Piccinello Brixienſi, qui per eos dies fuerat Provinciæ utriuſque Lombardiæ Apoſtolica auctoritate Præfectus, in Socium Ricchinius adſciſcitur. In hunc Præſes, quod pro veteri amicitia probatæ illius fidei, ac rerum agendarum dexteritati plurimum confidebat, graviſſimorum negotiorum molem tranſtulit, cum eoque univerſas ampli regiminis curas fere eſt partitus. Altero hujus procurationis anno (2) accidit, ut vita functo Hyacintho Felice Mazzuchio, qui Metaphyſicam Patavii publice tradiderat, inſignis illius Academiæ Reformatores ad Vincentium Mariam Gottium Cardinalem, & Thomam Ripollium ſcriberent, peterentque idoneum ab iis Virum, qui demortui Profeſſoris loco ſuccederet. Itaque reſponderunt hi cum gratiarum actione, propoſueruntque inter cæteros Thomam Auguſtinum Ricchinium, quem Gottius Aloyſio Piſano Reformatori, & amico probavit maxime, commendavitque. Neque deerat Hyacinthus Serryus ejuſdem Academiæ Theologus magnæ utique auctoritatis, & nominis, qui reliquis eum omnibus in idem contendentibus anteferret. Verumtamen inter-

 poſitu,

(1) *Ferrariæ eodem anno* 1730. *typis Pomatelli, tum Auguſtæ Vindelicorum.*
(2) *Anno* 1732. *Menſe Aprili.*

poſitu, & opera Caroli præſertim Ruzzinii haud multo poſt Venetorum Ducis, qui in eo Triumviratu primum locum tenebat, res eo tandem deducta eſt, ut electio diu expectata in Nicolaum Concinam caderet Danielis fratrem.

XI. Exacto decreti ſibi muneris biennio, perluſtrataque cum Lauro Piccinello magna ſui honeſtate Provincia Bononiam acceſſit, ubi novo eligendo ejuſdem Provinciæ Moderatori indicta paullo ante Comitia ſunt habita. (1) Haud multos poſt dies ad Thomam Aquaronium cui ejuſmodi Magiſtratus obvenerat, quique jam Bononia gregem exploraturus diſceſſerat, ſeriem Chronologicam Priorum Provincialium, nec non Vicariorum Generalium utriuſque Lombardiæ a ſe diligenter, accurateque contextam per epiſtolam miſit. (2) Poſt hæc Cremonam venit, ut inſtitutiones illas theologicas, quas erat in Bononienſi noſtrorum Gymnaſio quam proxime traditurus, pararet: nam poſt recuſatam primam illius Academiæ Cathedram, alteram, quæ a Baccalaureis regitur, ſibi collatam intelligebat. Vix dum Cremonæ conſtiterat, cum nuncius affertur, Victorium Amadeum II. inviсtiſſimum Sardiniæ Regem extremum diem obiiſſe. Eo audito nuncio, ſi vehementiſſime commotum Prædicatorum Ordinem, ac maxime Lombardiæ Provinciam negaverimus, certe mentiemur. Nullum enim honoris eſt, beneficiique genus, quo non fuerimus ab eo humaniſſimo Principe cumu-

(1) *Anno* 1732. *Menſe Aprili.*
(2) *Edit. Bononiæ typis Joſephi Mariæ Fabri. anno* 1732.

cumulati. Indicta ſunt itaque a ſupremo Familiæ noſtræ Moderatore Cœnobiis univerſis funera, quibus merita tanto Regi gratia memori, quoad per nos liceret, mente perſolveretur. Hac igitur Thomas Auguſtinus Ricchinius occaſione capta, operæ pretium ſe facturum exiſtimavit, ſi orationem de mortui Regis parentalem latine ſcripſiſſet, eamque inter funerandum publice recitaſſet. Eam itaque quam citiſſime confecit. Decretiſque tempore, & hora, atque ingenti totius Urbis concurſu, ea diſertiſſimus orator laudatione Victorii Amadei II. pietatem, fortitudinem, magnanimitatem, prudentiam, induſtriam, belli, paciſque peritiam, cæteraſque animi dotes ita eſt proſecutus, ut qui eum audierunt e ſuperiore loco dicentem, cum laudati Principis merita venerati ſunt, tum Laudatoris eloquentiam, ſcribendique nitorem aureum ſint admirati. (1) Eruditorum, Amicorumque omnium rogatu oratio illa typis mandata, atque ad Carolum Emmanuelem Victorii Filium, & Hæredem eſt miſſa. Huic vero, ejuſque Aulicis univerſis ita probata eſt, ut ejus auctor dignus omnino ſit habitus, cui gratiæ Regis ipſius nomine per litteras ab Ormejenſi (2) perſcriptas agerentur.

XII. Hæc cum in Patria geſſiſſet, Bononiam, quo fuerat juſſus, rediit menſe Septembri. (3) Diſcipulos ibidem eſt nactus cum multos, tum pleroſque ingenio adeo præſtanti, ut ab his veluti incitatus aliam docendi ratio-

(1) *Habita eſt in Templo S. Dominici Cremonæ die 23. Decembris 1732.*
(2) *Il Marcheſe d'Orméa.* (3) *Anno 1733.*

rationem inierit, ac alibi fortaſſe conſtituiſſet. Illis igitur tradidit diſſertationes varias exquiſita eruditione repletas, quibus Didaſcaliam quandam adjunxit de Theologiæ ſtudio recte inſtituendo, quam doctiſſimi, clariſſimique Viri non modo plurimi fecerunt ſemper, ſed cæteris etiam rebus, quæ in eo gymnaſio explicabantur, antetulerunt. Sub ejus biennii finem, quæ toto retroacto temporis ſpatio privatim dederat ad diſcendum, decrevit, ut ſolemni, indefinitoque certamine propugnarentur: idque nobis, quos fortuna inter minimos ejus auditores eſſe voluit, commiſit. Haud multos poſt menſes ab eo munere expleto delectus eſt, qui Virginum in Ædibus Bononienſibus S. Petro Martyri ſacris commorantium Confeſſiones exciperet. Huic muneri, vel oneri eo potiſſimum conſilio manum admovit, ut Bononiæ biennio ſaltem conſiſtere poſſet, codicis manuſcripti, quem in illius noſtræ Bibliothecæ pluteis invenerat, vulgandi, illuſtrandique cauſſa. Libri in eo quinque continebantur ab inſigni Moneta noſtro confecti, quibus magnus ille Vir Catharos olim, & VValdenſes, alioſque hujus generis homines Eccleſiæ Romanæ infenſiſſimos invictiſſime profligaverat. Verumtamen vix dum piiſſimarum illius Collegii Fœminarum curam ſuſcepit, cum ab iiſdem audiendis, dirigendiſque ita diſtineri, occuparique cœpit, ut jam nil temporis, quod meditato operi perficiundo tribueret, habuerit reliqui. Scripſit nihilominus libellum unum, quo Virginibus univerſis ſacrum Divi Dominici Inſtitutum profitentibus ejuſdem Sanctiſſimi

Parentis

Parentis imitatio proponitur in accuratiſſimas conſiderationes aliquot, & pios affectus diſtributa. Laudem vero, adprobationemque hic liber conſecutus eſt tantam, ut non Bononiæ ſolum publici juris ſit factus, ſed aliis etiam in Urbibus non ſemel, ſed ſæpius.(1)

XIII. Sub hujus ſacræ procurationis exitum, optatæque quietis initium Pio Cajetano Cadolinio, qui ſe poſt annum unum Cremonenſi Præfectura abdicaverat, Thomas Auguſtinus Ricchinius ingenti Patrum conſenſione, ac Civium lætitia ſufficitur. (2) Ægre quidem ad id oneris ſuſcipiendum adductus eſt, cum ob alias cauſſas, quas hic referre non vacat; tum maxime, quod Monetam, de quo dictum eſt; aliaque ſtudia, quibus erat ſummopere intentus, cogitabat unice. Amicorum tamen precibus, & Majorum imperio non potuit, quin denique cederet, omniq; animi ſubmiſſione pareret. Impetratis igitur a Felice Maria Lazaronio Faventiæ per id tempus Fidei Quæſitore nummis aureis ducentis, & quinquaginta, quos Bononiæ depoſitos tenebat, Cremonam venit eo potiſſimum ſtudio animatus, ut Cœnobium ab incommodis ex bello ſuperiore perlatis, reficeret, ac refectum ornaret. Eam igitur pecuniæ ſummam, quam ſecum deportarat, cum partim ære ſibi permiſſo, partim privatis Sodalium ſubſidiis haud mediocriter auxiſſet, opus, quod perficere conſtituerat, eſt exorſus. Hoſpitium, quo advenæ in poſterum commodius

(1) *Bononiæ primum ſuppreſſo nomine anno 1737. in 12. Tum Neapoli, & alibi.*

(2) *Anno 1738. Menſe Aprili.*

modius haberentur, inſtauravit. Chorum, ut vocant, nocturnum in parte Cœnobii ſuperiore ad vitandos per hyemem Cœli rigores exſtruxit. Tabularium eo uſque neglectum, atque in ima Ædium parte ſitum ad ſuperna transferri, ac multa induſtria per clariſſimum virum Giliolum in ordinem redigi curavit. Scalam Cœnobii maximam, de qua alibi eſt dictum, (1) a fundamentis excitari juſſit, magnificeque adeo perfecit, ut nulla Cremonæ iis temporibus eſſet, quæ huic poſſet comparari. Veteri Præfectorum Conclavi ob ampliorem Scalæ maximæ ſtructuram diruto, novum & elegantius, & ſalubrius erexit. Sed & Bibliothecam ornavit, Templum expolivit, aliaque id genus fecit, multis quidem impenſis, ſed nullo fere rei familiaris incommodo, cum omnes, ut dictum eſt, qui ad Familiam hanc pertinebant, in communem utilitatem, & decus, quod per eos licebat, ſumma animorum contentione conferrent.

XIV. Præfecturam hanc nondum Ricchinius abſolverat, cum ecce a Thoma Ripollio, quem ſæpe memoravimus, Romam evocatur, atque in Socium adſciſcitur pro rebus Italiæ procurandis. Inopinato enim per eos dies obierat Dominicus Ponſius Nicienſis, qui magna fuerat cum laude eo functus munere. Perculſus improviſo iſto accerſitu Ricchinius, qui nil cogitaverat minus, ac ſecum ipſe reputans & ultimam Ripollii ſenectutem, & graviſſimos officii labores, innumeraſque moleſtias, parum abfuit, quominus ſe ab onere

(1) *Vide noſtram Cœnobii Cremonenſis Hiſtoriam ad annos* 1738., *&* 1739.

re impoſito modeſta abdicatione ſubduceret. Verum iterato ſupremi Moderatoris accitu Romam denique petiit paullo ante Kalendas Majas, quo plane tempore Comitia a Purpuratis Patribus habebantur novo creando Pontifici Maximo, qui rebus multum, diuque agitatis declaratus eſt tandem ingenti omnium gaudio Benedictus XIV. Proſper Lambertinus. (1) Fuit igitur Thomas Auguſtinus ab Ripollio perhonorifice, ac peramanter acceptus, cum eoque gratiam progreſſu temporis iniit tantam, quantam nemo non dicam conſequi, ſed ne optare quidem fortaſſe potuiſſet. Nam fidem eidem, diligentiam, eruditionem, ſcribendi facilitatem, dexteritatemque in rebus agendis ita probavit ſuam, ut ejus opera a Præſide habita ſemper ſit plurimi. Qua deinde ex re factum eſt, ut deſignatus ab eo præ cæteris fuerit, qui Sanctorum ex Ordine noſtro Virorum, & Mulierum cauſſas promoveret; nova eorum Officia decretis ab Eccleſia diebus publice recitanda componeret; Encyclicas omnes latine ſcriberet, aliaſque epiſtolas, quotquot ſive ad Principes, ſive ad Provincias mitti oporteret, etiamſi ad ejus magiſtratum minime aliquando pertinerent. Atque id quidem egregie præſtitit non modo ſumma Ripollii voluntate, citraque omnem invidiam, ſed omnium cum noſtrorum hominum plauſu, tum exterorum.

XV. Vincentius interea Giacconius, qui Caſanatenſem Theologiæ Cathedram pro Italia moderabatur, ab Urbe diſceſſit non rediturus. Hujus loco ſuffectus eſt Ric-

(1) *Anno* 1740.

Ricchinius retento Proſocii titulo, ac munere. Ne vero novum hunc honoris gradum nomine, non re, occupare videretur, cœpit illico non vigiliis, non laboribus, non ſumptibus parcere, ut præter operam, quam negotiis reliquis dabat, bene etiam de litteris poſſet, optimeque mereri. Nactus jampridem fuerat, atque ex Claſſenſi Ravennatum Camaldulenſium Bibliotheca exſcribi curaverat F. Guidonis Vernani Ariminenſis O. P. ineditum, ac manuſcriptum Codicem, cui titulus eſt: *De poteſtate Summi Pontificis, & de reprobatione Monarchiæ a Dante Aligherio Florentino compoſitæ*. Ut animadvertit Thomas Auguſtinus Dantis opuſculum adverſus Apoſtolicam Sedem Ludovici Bavari ætate conſcriptum Coloniæ Allobrogum prodiiſſe, ejuſque exemplaria quaquaverſus diſtracta excipi, legique avidiſſime, huic veneno, Vernani librum veluti antidotum quoddam oppoſuit, publicique juris fecit, addita, ſuppreſſo Editoris nomine, erudita præfatione; auxitque hoc monumento Scriptorum Ordinis Bibliothecam. (1) Anno poſtero de vita, & ſtudiis Vincentii Ludovici Gottii ex Familia noſtra Cardinalis eximii commentarium edidit, quo nihil utilius, & accuratius eſſe poteſt ad tanti Viri notitiam cum delectatione aſſequendam. (2) Tum eos denique libros, quos Monetæ Summam appellant, doctiſſimis a ſe illuſtratos animadverſionibus, & prologis magno

(1) *Edit. primum Romæ apud Palearinios anno* 1741. *Tum Bononiæ apud Thomam Colli anno* 1746.

(2) *Edit. Romæ typis Maynardi anno* 1742. *in* 8. *Iterum Venetiis in Opuſcul. Scientific. P. Calogera tom.* 28. *pag.* 341. *&c. Tum Florentiæ a Cl. Joh. Lamio inter Memorabilia Illuſtrium Italiæ Virorum tom.* 2.

gno utique ſumptu, typis mandavit, eidemque Generali Magiſtro Thomæ Ripollio in obſequii, gratique animi argumentum inſcripſit. (1) Animadverſiones illæ magno ab eruditis habentur in pretio cum omnes univerſim, tum illæ potiſſimum, quibus Clerici, Barbeyraci, Boſobrii, aliorumque recentiorum Hæreticorum ea refutantur doctrinæ capita, quorum cavillationibus, & tricis deploratam VValdenſium, & Manichæorum cauſſam cum eorum cauſſa conjunctam defendere ſunt conati. (2) Munificentiſſimo autem Seni impenſas omnes pro editione factas rependere omnino volenti, ne id efficeret, obſtitit Ricchinius validiſſime. Libellum alium deinde confecit, quo Beatum Albertum Villæonienſem ad tertium Prædicatorum Ordinem pertinere invictiſſime demonſtravit. (3) Cum vero proceſſus, ut vocant, ordinarios ſuper antiquitate cultus, & fama Sanctitatis, & Mirarulorum Cremonæ, ac Bergomi conſtruendos ſumma fide, diligentiaque curaſſet, eorumque acta ad Sacræ Rituum Congregationis examen, judiciumque deduxiſſet, ut publici eidem honores decernerentur, obtinuit. Hiſce impetratis commentarium de vita, & cultu Beati Viri latine conſcripſit, quo lectores ad propoſitas ejus virtutes imitandas, eundemque impenſius colendum incitarentur. (4) Haud ita multo poſt cum

Bea-

(1) *Edit. Romæ 1743. in fol. laudatur ab Ephemerid. Litterator. Florentin. 1743. tom. 2. p. 4 a. 3. pag. 95. & Roman. 1743. pag. 333.*

(2) *V. de Ephemerid. Litterat. 1745. menſe Februar. pag. 231. Edit. Holland. & Annal. O. P. lib. 2. tom. 1. pag. 468.*

(3) *Bonon. primum edit. tum auct. Mediolan. anno 1746.*

(4) *Romæ typis Hieronymi Mainardi ann. 1748. in 8.*

Beatam, mirabilemque Fœminam Catharinam de Ricciis Florentinam Sanctarum Virginum numero adſcribendam fuiſſet ab Apoſtolica Sede ſancitum, brevem de ejus quoque vita, & caſtiſſimis moribus epitomem compoſuit, univerſumque ejuſdem Officium ritu ſolemni ubique recitandum vulgavit. (1) Quo in genere illud foret vehementer optandum, ut quæ inter divinas precationes, & laudes de aliis etiam beatis Viris, ac Fœminis commemoramus, pari eſſent elegantia, & ſtyli facilitate, gravitateque conſcripta: Sic enim fieret, ut duplicem inde fructum perciperemus, & ſuavitatem ſermonis latini, & quæ hinc videtur quodamodo fluere, intenſiorem in Deum pietatem, atque in Superos religionem.

XVI. Hæc Thomæ Auguſtini Ricchinii, aliaque hujus generis opera Benedictus XIV. Lambertinus acerrimo judicio, ac ſumma eruditione Vir cum perlegiſſet, maximeque probaſſet, ſe tanto uti Viro deinceps velle conſtituit. Cœpit itaque res varias, eaſque graviſſimas ejus fidei, induſtriæque committere: Quas cum ille accurate, ornateque non minus, quam mira celeritate confeciſſet, præconceptam auxit, confirmavitque apud Pontificem ingenii ſui opinionem, exiſtimationemque doctrinæ. Scripſerat Fideliſſimus, ac piiſſimus Luſitaniæ Rex ad Pontificem litteras officii, atque obſervantiæ pleniſſimas, quibus pro ſua in res Eccleſiaſticas veneratione, ac cultu eum deprecabatur, ut Romanum Martyrologium repurgare, repurgatumque vul-

gare

(1) *Vide Addit. Breviar. Ord.*

gare ne gravaretur. Cui cum Pontifex reſpondiſſet, id ſe jampridem verſare animo, & cum libentiſſime, tum ex ſua quoque ſententia facturum, totum fere negotium Thomæ Auguſtino Ricchinio demandavit. Hic cum menſes fere octo in eo conficiendo inſumpſiſſet, illud ita perfecit, ut nil aut a Pontifice optari melius poſſet, aut mitti nobilius ad Regem. Eandem poſthac ſummo Antiſtiti operam præſtitit in rebus aliis, & multis, & variis, quas hic nominatim percenſere non eſt neceſſe: quarum tamen rerum pene omnium prima extant in ejus manuſcriptis codicibus exemplaria. Id unum minime prætereibo, Benedictum XIV. ſolertiſſimum, æquiſſimumque rerum æſtimatorem, quidquid Ricchinius ejus imperatu feciſſet, gratum ſemper, acceptumque habuiſſe, majoremque illi nominis amplitudinem ſuis laudibus conciliaſſe, quam optare ipſe per ſe potuiſſet.

XVII. Inter hæc Thomas Ripollius Prædicatorum Generalis Magiſter ætate, laboribuſque confectus demoritur.(1) In Vicarium interim totius Ordinis creatur Vincentius Maria Ferrettus Anconitanus, qui defuncti Magiſtri Socios retinere apud ſe, confirmareque maluit, quam novos adſciſcere. Juſſerat Pontifex, ut proxima Comitia generalia novo eligendo totius Dominicanorum Familiæ Moderatori Bononiæ haberentur, iiſdemque ut Ferrettus ipſe præeſſet, ampliſſimo diplomate conſtituerat. Tempus igitur illud accedendi cum adveniſſet, noluit ille Roma diſcedere, quin ſecum

(1) *Kalend. Jun. Anno* 1748.

Ricchinium deduceret motus illius fide, conſilio, ac dexteritate: Habebat enim arcana, & occulta omnia cum eo communia, ſpemque omnem ſuam in ipſo collocaverat rei bene gerendæ. Bononiam ut eſt perventum, ac Magiſtri Generalis adfuit eligendi dies, congregatis omnibus, ad quos ſuffragii jus pertinebat, adhibitiſque conſuetis ſupplicationibus, & formulis, in demortui Ripollii locum cooptatus denique eſt Antoninus Bremundius Maſſilienſis, (1) hunc utique Deo volente, multamque in id operam conferente Ricchinio, qui probe norat, in iis Comitiis Bremundio equales perpaucos, digniorem, vero cui ſupremus Ordinis Magiſtratus decerneretur, eſſe neminem. His ita conſtitutis, Romam priuſquam reverteretur novus Magiſter Generalis id egit, ut ſecum haberet Ricchinium, ejuſque opera ſibi egregie perſpecta ad rem Ordinis publicam rite adminiſtrandam uteretur. Jam vero cum menſe Aprili anni poſteri Nicolaus Aloyſius Ridulphius Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter ex hac vita migraſſet, fuiſſetque Auguſtinus Urſus Sacræ Congregationis Indicis a Secretis ad eam dignitatem evectus, in hujus locum Ricchinius III. ejuſdem anni Kalendas Majas a Benedicto XIV. ſuffectus eſt, (2) ac loco Ricchinii Theologus Caſanatenſis dictus fuit Thomas Maria Mamachius. Tantam attulit Aulicis univerſis, totiuſque Urbis principibus Viris delectationem, ac lætiam hæc res

(1) *Anno* 1749.

(2) *Vide Joſephum Catalanum de Secretario Congregation. Indicis ad ann.* 1749.

res, ut eam Pontifex ipſe teſtatam voluerit his verbis: *nobiſcum*, inquit, *de hac utriuſque promotione multo plures ex animo gratulati ſunt, quam cum Eccleſiæ Cardinales creavimus. Qua nos gratulatione cum vehementer delectati ſumus, tum etiam nunc delectamur*. Hiſce vocibus reſpondit omnino mens, animuſque Pontificis. Nam ejus in Ricchinium benevolentia ita crevit in poſterum, ut poſteaquam in eorum numerum virorum, qui examinandis Epiſcopis præſunt, eum retulit, præter nummos argenteos ducentos priori muneri quotannis adjunctos, aliam aliorum centum annuam penſionem eidem contulerit, donec ille vixerit, duraturam.

XVIII Quirinus interea Cardinalis, Eccleſiæ Brixienſis Antiſtes, Congregationiſque ſimul memoratæ Præfectus cum eſſet, neque utrobique eſſe poſſet, oportebat, ut alterutri deeſſet muneri. Non Epiſcopatui certe; igitur Præfecturæ. Ex quo fiebat, ut tota vel graviſſimorum negotiorum moles in unum fere Ricchinium caderet. Purpuratorum vero Patrum, qui ſacris ejuſmodi Conventibus intereſſe ſolebant, cum multo levior eſſet numerus, quam rerum tractandarum gravitas poſtularet, ut augeretur, curavit Ricchinius apud Pontificem, effecitque, ut quatuor eidem adderet Cardinales ampliſſimos, Spinellum, Cavalchinum, Paullucium, & Landum. Sed idem etiam auctor fuit, ut quatuor item deligerentur ex Prælatorum cœtu doctiſſimi, graviſſimique Viri, quorum conſultatione Congregatio univerſa uteretur; fueruntque Caſtellus, Mareſuſcus, Antonellus, & Emaldus. Inter hæc prodie-

rat in vulgus liber Bibliothecæ Janſenianæ titulo inſcriptus: cujus auctor præter varios, eoſdemque Catholicos Scriptores, piiſſimoſque Viros, quos recenſere longum eſſet hoc loco, Bonam, & Noriſium inſigni doctrina, & pietate Cardinales in Janſeniſtarum catalogum referebat. Horum poſterior, eodem prorſus impulſu, in Hiſpano ejuſmodi Hæreticorum Indice fuerat collocatus: neque ut inde rejiceretur, Benedictus XIV. iteratis ad Magnum Hiſpaniarum Inquiſitorem epiſtolis impetrare unquam potuerat. Ad Bibliothecam igitur Janſenianam proſcribendam eſt ventum. Quod licet matura Sapientiſſimi Pontificis, omniumque Theologorum, ad quos pertinebat, deliberatione eſſet factum; id tamen in Ricchinium, velut in unicum proſcriptionis auctorem ingentem concitavit invidiam. Nam qui id ægre tulerunt, Epiſtolam quamdam Doctoris Sorbonici ad Amicum Belgam (ſic enim inſcribebatur) tota Urbe vulgarunt, qua multa per ſummam injuriam in eumdem Ricchinium dicuntur, quæ & plura ſunt, quam ut hic ſingulatim referri poſſint, & iniquiora, quam debeant. Hic vero ut non tam ſe, quam Congregationem ipſam, cui erat a Secretis, ab omni vel ipſa criminis ſuſpicione liberaret, Epiſtolam ſcripſit, ediditque in lucem hoc titulo: *Romani Philaletis ad Theologum Lovanienſem de juſta Bibliothecæ Janſenianæ proſcriptione*. Cui cum fuiſſet ab Adverſario reſponſum paullo licentius, eidem reſcripſit aliis litteris aliquanto fuſioribus; quas tamen Bremundii Magiſtri Generalis hortatu, ne res, ut opinor, in immen-
ſum

ſum protraheretur, ignisque, ut eſt in veteri proverbio, igni adderetur, minime publicavit. Verumtamen ejus agendi ratio cum univerſim probata, tum Adverſariorum litteræ omnes a ſummis Fidei Quæſitoribus interdictæ.

XIX. Curavit idem haud multo poſt, ut ad ſacros Indicis Judices deferretur libellus alius, in quo de Duello honoris Vindice agebatur. Eo libro cum doceretur, licere hominibus, naturæ jure ſpectato, ſingularia iſta certamina, aliæque falſæ propoſitiones inde fluentes continerentur, in id omnium coiere ſententiæ, ut in totum librum animadverteretur. Quod ne fieret, cum a Summo Pontifice obtentum per interpoſitam Principum auctoritatem fuiſſet, in ejus animum id Ricchinius induxit, ut ſin minus librum, at tres ſaltem damnaret propoſitiones pravas ex eodem excerptas, quibus, ne unus hic Scriptor erraſſe in hoc genere videretur, alias duas ex aliis Scriptoribus adderet, permiſceretque eadem prorſus labe contaminatas. Rebus hac prudentiſſima moderatione propoſitis benigne annuit Pontifex, coactoque coram ſe Cardinalium, Conſultorumque concilio, cui Ricchinium in primis intereſſe voluit, huic præcepit, ut Conſtitutionem illam, quæ incipit, *deteſtabilem*, latine conſcriberet. Hæc adverſus memoratas propoſitiones quinque eſt vulgata, atque in omnes Catholici Orbis Provincias diffuſa. Prodiit denique ex typis Mediolanenſibus opus aliud italice ſcriptum, cui titulus: *De principj della Religione rivelata*; atque illud quidem doctrinæ Sanctorum Auguſtini, & Thomæ

Aquinatis multo utique acerbius, quam æquo ferri animo poſſet, injurium. Vitiis, quibus ſcatebat, accurate ab iis, quorum intererat, riteque perpenſis, communi ſententia concluſum, decretumque jam fuerat, ut in librorum vetitorum Indice poneretur. Hanc qualemcumque turpitudinis notam ut abjiceret ab ſe, ſuiſque ſcriptis, curavit Auctor apud Pontificem omni conatu; pollicituſque eſt, ſe quidquid imperatum, indicatumve ſibi fuiſſet, quod minus Romanis Cenſoribus probaretur, caſtigaturum, nilque eorum, quæ Judices decreviſſent, prætermiſſurum, modo a priore publicando judicio abſtinuiſſent. Hac conditione, promiſſioneque data, & accepta, cum ex univerſo ejus opere propoſitiones illæ fuiſſent extractæ, quas erat emendaturus, eum pœnituit ſtatim, ſe tale cœpiſſe conſilium; maluiſſetque totum prohiberi librum, quam eas inde excerpi, abrogarique theſes, ad quas rejiciendas ſi adduci ſe permiſiſſet, jam probe animadvertebat, damnatum iri ſe, ſuique ſyſtematis præcipua capita, quæ illud maxime ſpectabant, ut Beati Auguſtini doctrina de Divini Numinis auxilio in ſuſpicionem adduceretur. Hac igitur re tum apud Landum Cardinalem Sacri Indicis per id tempus Præfectum, tum apud Ricchinium ipſum ſerio agitata, eo tandem adduci debuit Scriptor, ut quamcumque declarationem, revocationemque, quam ſibi propoſuiſſent Judices, admitteret, manuque ſua firmaret. Quæ cum fuiſſet edita, atque ubique diſtributa, magnam attulit Auguſtini, & Thomæ ſtudioſis lætitiam.

XX.

XX. Pontifex interea Lambertinus, fructus uberrimos ex Sacra Indicis Congregatione in Eccleſiam quotidie manantes ſecum animo reputans cœpit de ea ornanda, amplificandaque cogitare, ſuumque hac de re consilium cum Ricchinio conferre. Conſtituit itaque, ſe novam velle rationem inſtituere librorum prohibendorum. Hujus rei Thomæ Auguſtino Ricchinio omnino participi mandavit, ut illarum conderet exemplar litterarum, quibus ratio omnis a ſe meditata contineretur, facta addendi, demendi, moderandi, immutandique, ut e re viſum eidem fuiſſet, libera poteſtate. Eam igitur Ricchinius Pontificiam Conſtitutionem elaboravit, cujus initium ſunt ea verba: *Sollicita, & provida*; in qua cum nihil eſſet, quod proſpicientiſſimi plane Pontificis menti non reſponderet, impreſſa denique, vulgataque fuit, ac reliquis Lambertinianis Diplomatibus adjuncta. (1) Inter cætera, quæ ibi ſaluberrime conſtituuntur, illud eſt Ricchiniano, quo per eos dies fungebatur, perhonorificum muneri. Lege perpetuo duratura ſancitur a Pontifice, ut, qui Sacro Indici fuerit inpoſterum a Secretis, peculiari quadam valeat auctoritate Conſultorum ſex in Ædibus Minervitanis coram ſe cogendorum, quorum conſilio in pertractandis, diſcutiendiſque cauſſis, priuſquam ad pleniorem, & ultimam diſquiſitionem, definitionemque deferantur, utatur. Prætereo cum leges optimas, quibus totum hocce negotium innititur, ibidem capitulatim inſertas, tum laudes æquiſſimas, quæ Thomæ Aquinati,

 ejuſque

(1) *Anno* 1753.

ejuſque incorruptæ doctrinæ tribuuntur: quarum qui ſtudioſus fuerit, ad Pontificias eas litteras delegamus.

XXI. Non minoribus poſt hæc Benedictus XIV. humanitatis, ac benevolentiæ ſignificationibus complexus eſt Ricchinium, ejuſque opera, & conſilio, dum vixit, familiariſſime eſt uſus. Haud ita multo poſt ejuſdem Pontificis juſſu Ricchinius librorum vetitorum Indicem edidit nova methodo accurate digeſtum, atque emendatum, quem idem ſapientiſſimus Pontifex probavit, confirmavitque verbis ampliſſimis. (1) Hic vero non tam denique febri, quam ætate, laboribuſque conſumptus Chriſtianam & litterariam Rempublicam orbam, ac mœrore debilitatam reliquit. Benedicto XIV. Lambertino ſucceſſit interea in Pontificatu Clem. XIII. Rezzonicus. Multos hic inter Candidatos poſteaquam Auguſtinum Urſum Apoſtolici Palatii Magiſtrum ſacra denique Purpura decoraſſet, (2) Ricchinium, cujus inſignem doctrinam, virtutemque ſatis habebat cognitam, ejus loco ſuffecit, eumque adhibere haud ita multos poſt dies, uti deceſſor Lambertinus conſueverat, cœpit. Jam Gregorii Barbadici Cardinalis, & Epiſcopi quondam Patavini cauſſa eo tandem erat deducta, ut publici eidem honores, & cultus fuiſſent ab Apoſtolica Sede decreti. Deligitur itaque a Pontifice Ricchinius, qui Commentarium de vita, & moribus Beati Viri perſcribat in univerſam Eccleſiam evulgandum.

Opus

(1) *Anno* 1758. *ex Typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ in* 4.
(2) *Anno* 1759. *VIII. Kal. Octobres.*

Opus totum elegantiſſimus Scriptor libris omnino tribus complexus eſt eo rerum ordine, eaque ſuavitate, ac nitore ſermonis latini, ut ſupra nihil poſſet. (1) Fuit illud non modo a Proſpero Petronio eruditiſſimo Viro italice redditum, ſed innumeris undique laudibus celebratum. (2) Inter cætera, quibus effertur, encomia, placet hoc loco ſubnectere, quæ in hanc rem Camillus Comes Zamperius Forocornelienſis Poeta clariſſimus cecinit latino carmine:

Ricchini optime, quas modo edidiſti
Plenas nectaris oppido latini
Enarrans decora alta Barbadici,
Dum lego nitidas, proboque chartas
Valde gaudeo, litteriſque cunctis
Aureum, inquio, jam rediiſſe ſeclum.

XXII. Præter multa, quæ variis ab Ricchinio temporibus publici facta ſunt juris, alia extant inedita præſtantis ejus ingenii monumenta, quæ, ſi vulgarentur, non minorem arbitramur Reipublicæ utilitatem, atque ornamentum allatura. Eo in numero eſt in primis Chronologia ſacra ab orbe condito ad noſtra uſque tempora per inſigniores Epochas deducta. (3) Item una cum variis opuſculis ab eo, cum adoleſcentes noſtros inſtitueret, elaboratis Diatriba Theologica adverſus auctorem

torem

(1) *Edit. Romæ ex Typograph. Vatic. apud Fratres Salvionos in 4. ann. 1761.*

(2) *Hujus Commentarii, omniumque ejus operum cum laude meminit Dictionar. Univerſ. Patris Ricchard. Pariſ. 1762. verbo Ricchini tom. 5. pag. 884. & ſeq.*

(3) *Idem Dictionar. Univerſ. loco cit.*

Digitized by Google

torem Vindiciarum Ambroſii Catharini de Miniſtri intentione in Sacramentis perficiendis neceſſaria. Orationum denique, & Carminum volumen unum. Præterea ſuffragia illa innumera, conſultationes, cenſuras, aliaque id genus multa, quæ vel Summorum Pontificum juſſu, vel Sacrarum Congregationum, aut Cardinalium hortatu confecit, quæ ſi in unum colligerentur, ac typis committerentur, in non exiguam utique molem excreſcerent. Nam ſunt Ricchinio perilluſtres ſchedulæ illæ, ſive epiſtolæ non paucæ, quibus doctiſſimus æque, ac humaniſſimus Pontifex Lambertinus ejus de rebus gravioribus mentem ſciſcitari ſolebat identidem. *Nolumus* (manu propria ſcribebat) *quæſtionem hanc definire, quin prius Magiſtri noſtri Ricchinii ſententiam, judiciumque exploraverimus*. (1) Tanta erat hic Vir apud ſolertiſſimum Pontificem opinione doctrinæ.

XXIII. Interea Ricchinius, uti omni ætate, ita poſtremis præſertim hiſce temporibus plurima, magnique momenti beneficia Cœnobio ſuo Cremonenſi contulit liberaliſſime. Nam poſteaquam Templum ſacris Imaginibus affabre pictis ornavit, Bibliothecam hanc, qua nihil unquam habuit carius, & reditibus auxit, & immenſa propemodum lectiſſimorum librorum multitudine locupletavit. Sed mira ſemper fuit in omnes liberalitate. Quodque eſt perrarum, non minora his, a quibus injurias, quam a quibus beneficium accepiſſet, officia præſtitit. Amicos vero ſuos ita ſemper coluit,

ac

(1) *Id accepimus ab iis, qui Lambertino demortuo ſchedulas illas humanitatis, ac benevolentiæ pleniſſimas legerunt.*

Digitized by Google

ac fovit, ut ſive in proſperis, ſive in adverſis fortunæ eventibus eandem illis fidem perpetuo ſervarit: Non enim tempori, ſed hominibus amicus eſſe conſuevit, ac ſolet. Cujus quidem rei cum vetera, tum recentiſſima exempla ſi referre ſingula vellemus, in longum nimis abiremus. Humanitatis autem, comitatiſque ejus nullum afferre majus teſtimonium poſſumus, quam eorum, quibuſcum ſive Romæ, ſive alibi eſt verſatus. Horum plerique, cum etiamnum vivant, difficile dictu eſt, quot, & quantis eum laudibus efferant cum ob alias cauſſas, tum ob eam præcipue, quod res, ut inquiunt, jucundiſſima ſit ejus uti conſuetudine. Eorum vero, qui ad eum adierunt, ſcripſeruntve aut officii, aut quidpiam rogandi cauſſa, nemo eſt, qui non ſe devinctum, captumque fateatur ſummis ejus benignitatis, munificentiæ, facilitatiſque ſignis, & argumentis. Idem, ſi quod amicorum, aut cujuſvis perſonæ negotium procurandum admiſit, tanta ſemper ſollicitudine, diligentiaque curavit, quantam in re ſua peragenda, perficiendaque poſuiſſet. Cum magna, ut ſupra dictum eſt, apud Principes Viros, præcipue vero apud Benedictum XIV. Lambertinum gratia valeret, hanc non tam in ſuum, quam in aliorum commodum, & honeſtatem impendit. Quo in genere, ne ſim longior, id unum afferam, quo Civitas Cremonenſis ſe ſe Ricchinio in perpetuum addictam profitetur. Cum ad eum Cives ſcripſiſſent rogatum, ut ſi ejus interpoſitu fieri potuiſſet, a pœnis quibuſdam publicis ſibi olim ob Joan. XXII. interdictum inflictis eximerentur in poſterum, id a Benedicto

nedicto XIV. Ricchinius, pro ſua in Patriam benevolentia impetravit Litteris ampliſſimis. (1) Hinc gratiæ eidem actæ immortales, & tabulæ pictæ magni utique pretii dono datæ.

XXIV. De ejus conſtantia, animique fortitudine, ac moderatione quid dicam? Eſt, cui perſpectæ, exploratæque non ſint Ricchinii viciſſitudines, nemo. Sed nemo etiam, qui eum viderit, aut adverſis fortunæ caſibus dejici, aut proſperis intumeſcere. Non eum aut calumniæ, aut amarulentorum hominum livor, aut infortunia quæque conſternare; non honores, aut laudes, aut Principum Virorum gratia inflare unquam potuerunt. De ſe, rebuſque ſuis ſubmiſſe adeo ſentire eſt aſſuetus, ac ſentit, ut non modo non probare, quæ ſua ſunt, ſed ſibi cæteros anteferre, ſeque omnium infimum fateri res ei familiariſſima ſit, naturæque ejus inſculpta, Cujus ecquidem rei cum multa afferre poſſem teſtimonia, tum illud recentiſſimum. Cum ad eum ſcripſiſſem, id mihi denique in mentem veniſſe, ut ipſum quoque in ſerie chronologica eorum Virorum, qui Familiam hanc noſtram illuſtrarunt, & Patriam, qualicumque hac mea ſcriptione recenſerem, iratus ita mihi reſpondit: *Laborem omnino ſupervacaneum*, inquit, *nulliuſque ponderis, & momenti ſuſcepiſti, cum adductus es, ut de me, rebuſque meis tenuiſſimis ſcriberes in tua illa, quam conficis, Illuſtrium Virorum noſtrorum Hiſtoria. Horum in numero is ego non ſum, qui merear collocari, niſi ob eam*

forte

(1) *Litteræ illæ Pontificiæ omni fide ſervantur in publico Civit. Cremonen. Tabulario.*

ſorte fortunam, quæ cum mihi faverit ſemper, eo uſque me tulit, quo virium, virtutumque certe mearum inopia nunquam perveniſſem. Qui me ita intime norit, ut mihi ipſe cognitus ſum, id utique haud dubium, & perſuaſum habebit. Qua ex re fiet, ut quidquid denique de me in lucem edideris, aut ad inſitam jam antea menti tuæ opinionem, & partium ſtudium; aut ad fortuitam eventuum, & inanium ſpecierum concurſionem quamdam referendum putetur; quod jure quidem credi, meritoque poteſt. (1) Hæc ille. Cujus ego modeſtiæ, aliarumque Ricchinii virtutum monumenta referre hoc loco poſſem numero plura; ſed nolo eſſe longus. Quæ tamen attuli, ne cui forte veritatis fidem excedere videantur, commeminerit Lector, nos in tam recenti, præſentique memoria a vero aberrare minime potuiſſe. Atque hæc habuimus, quæ de Thoma Auguſtino Ricchinio adhuc in terris agente ſcriberemus. Quod leve, aut inuſitatum videri nolumus. Nam in primis, ne quis nobis objiciat, quod eſt in veteri proverbio: *ante mortem ne laudes hominem quemquam*, hiſtoricos egimus, non laudatores. Tum aliorum etiam Hiſtoricorum, qui viventium res geſtas memoriæ prodiderunt, morem

(1) *Ha intrapreſo V. P. M. R. una fatica ſovverchia, e poco, o nulla intereſſante nello ſcrivere di me, e delle mie debolezze nella elegantiſſima ſua Storia de' noſtri Uomini Illuſtri. Io non merito d'eſſere tra queſti annoverato, ſe non ſe per quella fortuna, che avendomi ſempre aſſiſtito, mi ha ſpinto, e portato là, dove non ſarei mai pervenuto con la ſcarſa mia abilità, e poca virtù. Chi mi conoſce a fondo, come io conoſco me ſteſſo, ne ſarà ben perſuaſo: Onde tutto ciò, ch' Ella ſcriverà di me, o verrà attribuito a di Lei prevenzione, e parzialità, o a combinazione di caſi accidentali, e vane apparenze, come realmente può crederſi.... Roma 27. Aprile 1765.*

rem ſecuti ſumus; & maxime Cornelii Nepotis, qui multa de Attico ſuo, dum hic adhuc viveret, ſcripſit. *Hactenus*, inquit, *Attico vivo, edita a nobis ſunt. Nunc, quoniam fortuna nos ſuperſtites ei eſſe voluit, reliqua perſequemur.* (1) Ricchinium itaque Deus Optimus Maximus diutiſſime ſervet incolumem: Sic enim fiet, ut quæ reliquo vitæ tempore acturus eſt, litteris conſignent alii & accuratius, & elegantius, & ſi quæ vel prætermiſſa, vel minus appoſite, ornateque dicta a nobis fuerint, narratione ſuppleant diligentiore.

APPEN-

(1) *Cornelius Nepos in vita Pomponii Attici nu.* 19.

APPENDIX

Aliorum Virorum huic Familiæ addictorum, quorum Vitas, partim ob defectum monumentorum jejunas, partim vero ob minorem rerum præclare geſtarum laudem cum cæteris minime comparandas prætermiſimus.

I. GUillelmus Cremonenſis re fortaſſe illuſtrior, quam vulgo notus, quo ſit ortus genere, & quo cognomine appellatus, altum eſt apud veteres ſilentium. Id unum conſtat, Noſtris eum hominibus inſpirante Numine adjunctum ſapientiæ, vitæque integritatis opinione floruiſſe tanta, ut admirabilis moribus, & doctrina Vir haberetur. (1) Apud Bononienſes, Inſubres, & Ligures Fidei Quæſitoris functus eſt munere. (2) In Hæreticos eorum temporum potentes in primis, & vafros ſtrenuus, fortis, invictus; deque re bene, optimeque meritus Catholicorum. Annos huic poteſtati magno Religionis incremento præfuit ſeptem. (3) Per id tempus duas a Summo Pontifice Nicolao hujus nominis III. accepit litteras, (4) quarum prima monebatur, Romæ nunciatum, homines Pontificio nomini infenſos, & hæreſeos labe contaminatos in univerſam maxime Inſubriam ſenſim inje-

(1) *Vincentius Maria Fontana in Theatr. Dominic. ad annum* 1276., *quem laudat Ariſius tom.* 1. *pag.* 129.

(2) *Ibidem.*

(3) *Ab anno* 1276 *uſque ad ann.* 1283. *Ita Ariſius tom.* 3. *pag.* 204.

(4) *Eas litteras refert Pegna in fine Directorii Inquiſitorum.*

injeciſſe ſe ſe, Romana ludibrio habere Myſteria, in Catholicos inſoleſcere, quem exitum habitura res ſit, non videri, niſi quis eos adoriatur, & premat manu forti, animo maximo. Ejus propterea doctrinæ probitati, conſilio vehementer confidere ſe; rem totam enixe committere, eique omnem ſuam poteſtatem impertiri, & fauſta precari. In altera eadem fere continebantur. Adhortabatur eum Pontifex, ut Judæis etiam ad Chriſtianorum caſtra deducendis ſedulam, aſſiduamque daret operam: quos ſi dociles, flexibileſque inveniſſet, benigne complecteretur; ſin autem, in officio contineret, in eorumque perfidiam, ubi opus fuiſſet, animadverteret; neque ſineret, nimia eos uti Noſtrorum familiaritate. Quas ego litteras cum animo reputo, plane colligo, ſummis, ac principibus Viris magno Guillelmum in pretio, atque honore fuiſſe, habuiſſeque latinam linguam non modo, ſed hebraicam, aliaſque eidem affines omnino perſpectas. Diu ne vixerit poſt expletam annorum illorum ſeptem Præfecturam, an cum ea, vel paullo poſt vitam finierit, haud ſatis exploratum. Illud tamen, quantum ex iis paucis, quæ de eo prodita ſunt, conjicere poſſumus, certum, ad laborum, virtutumque ſuarum præmia placidiſſima morte migraſſe.

II. Nicolaus in eadem, qua Guillelmus, Cremonæ Civitate natus. (1) Hujus quoque cognomen, & genus nobis ignotum. Dignus mihi tamen videtur, cujus de vita, & moribus nonnihil curſim, breviterque attingatur.

(1) *Vide Ariſium Cremon. Litterat. tom. 3. pag. 204. & ſequent.*

tur. Æqualium, & Civium ſuorum exemplo cum in Cremonenſem Dominicanorum Familiam ſe recepiſſet, ad virtutes, & ſcientias omni contentione, ac diligentia excolendas adjecit animum. Quantos in utroque genere progreſſus fecerit, ex eo facile dignoſci poteſt, quod & magnus per ea tempora Philoſophus habitus ſit, & Theologus pereruditus, & orator probabilis, &, quod eſt omnium maximum, integerrimus, piiſſimuſque Vir. (1) Hujus fama Romam perlata Nicolaum III. Summum Pontificem movit, ut ejus opera in Eccleſiæ præſidium, & rem uteretur. Nicolaum itaque Pontifex dedit Fidei Quæſitorem Mediolanenſibus, Liguribus, & Placentinis. (2) Collegam habuit in eo Magiſtratu Paganum de Vicedominis Placentinum patria, ejuſdemque Inſtituti Socium. Solebant enim ea ætate Pontifices ut unum Provinciis pluribus virum, ita plures uni Provinciæ præficere, ut locorum, rerumque agendarum ratio poſtulabat. Ea poteſtate auctus Urbem Placentiam ſibi in domicilium elegit, coemitque domum ad fidei cauſſas ex formula pertractandas. (3) Eximia fuit in omnes charitate. Sed idem ardenti ſtudio, animique fortitudine in deſidibus corripiendis, cæteriſque in fide, & offiicio continendis. Annos in eo Magiſtratu gerendo exegit quatuordecim. (4) Quo tem poris ſpatio, multis, graviſſimiſque negotiis etſi magnopere occupatus erat, ne tamen ab iis legibus, quibus

 ab

(1 *Franciſcus Ariſius loco laudato.*

(2) *Petrus Maria Campius in Hiſtoria Placentina ad annum* 1277.

(3) *Idem Campius ad eundem annum.*

(4) *Ab anno* 1277. *ad ann.* 1291., *ut cenſent Campius, & Ariſius.*

ab adoleſcentia ſe obſtrinxerat, vel minimum violandis diſtraheretur, religioſiſſime cavit. Creditur, mortalem hanc vitam cum æterna commutaſſe Placentiæ, annorum illorum quatuordecim Cenſuram cum vix expleviſſet. Multas enituiſſe in eo virtutes tradunt, ſed miram præcipue laborum patientiam, ſtudiumque animarum in dies ardentius.

III. Gratiadeus Crottus non tam generis claritate, quam doctrina, & religione conſpicuus, ex nobili Crottorum Familia Cremonæ natus eſt. (1) In Dominicanorum Cremonenſium Societatem adſcitum, poſitiſque novæ vitæ rudimentis ad altiores ſcientias admotum, in his aſſequendis, celeri, quo valebat, ingenio, non tam excurriſſe, quam evolaſſe hæc ſunt teſtimonia. Cenſoriam tuendæ, vindicandæque Catholicæ Fidei poteſtatem cum omni ætate, tum difficillimis præſertim illis temporibus non conferebant Summi Pontifices, niſi perſpecta virtute, ac probata ſapientia Viris. Cum igitur ad delectum eſt ventum, inter multos ex Ordine, qui ad id muneris obeundum idonei videbantur, habitus eſt Gratiadeus, qui Mediolanenſibus, Liguribuſque præeſſet, aptiſſimus. (2) Ampliſſimas has duas Provincias Apoſtolica ſibi auctoritate decretas adminiſtravit ille ſumma fide, accuratione, ſtrenuitate, ac magno Religionis emolumento annos novemdecim, vel, ut alii opinantur, decem ſeptemque: (3) Per hoc tempus

(1) *Vide Ariſium Cremon. Litterat. tom. 3. pag. 205.*
(2) *Ibidem ad annum* 1498.
(3) *Ab anno* 1498., *vel* 1500. *uſque ad annum* 1517. *Vide Ariſium, & quos Ariſius laudat Hiſtoricos loco cit.*

pus hæreticam pravitatem ita inſectatus eſt, ut neminem hæreſi infectum, aut de ea ſuſpectum oppugnaſſe dicatur, quem non etiam expugnaverit. De hoc denique Viro Scriptores ſtatuere certo non poſſunt, utrum majore floruerit opinione doctrinæ, an probitatis. Utriuſque certe laudem cum eſſet conſecutus, multum apud Principes gratia, multum apud omnes auctoritate valebat. Poſt exantlatos igitur pro dignitate rei bene gerendæ labores innumeros, poſt hoſtes Catholici nominis plurimos ſtrenue, fortiterque devictos, poſt ſuperata pericula, Inſtitutique ſui leges ſtudioſiſſime cuſtoditas naturæ conceſſit, (1) ingenti poſt obitum deſiderio ſui relicto.

IV. Philippus Manna Cremonæ nobili genere ortus viſus eſt cum ad omnes ſcientias, tum maxime ad amœniores artes non tam factus, quam natus. Egregia Parentum, & Præceptorum, ut ea ferebant tempora, inſtitutio cum acceſſiſſet, jam nil eſſe, optarique poterat in provectioribus ætate Viris adeo laude dignum, quod adoleſcens ingenuus non polliceretur. Terrenis omnibus commodis, & illecebris mira animi magnitudine valere juſſis, in patrium Dominicanorum Cœnobium, ubi divinis dare operam rebus & tutior, & liberior poſſet, receſſit. Nullum ei propoſitum indictumque a Majoribus ſtudiorum genus, in quo ſe per quam diligenter non exercuerit, profeceritque majorem in modum. (2) Sed bene, ornateque dicendi arte mirifice

(1) *Anno 1517. Ibid.* (2) *Jacobns Echardus tom. 2. pag. 38. ad annum 1517. Item Andreas Rovetta ad eundem annum, qui Monumentis MS. a Vincentio Rivallio collectis eſt uſus.*

eſt delectatus. Sacram quoque Poeticen attigit, ne ejus expers eſſet ſuavitatis: Nam verſibus multa, quæ a Sacris Scriptoribus proſa deſcribuntur, eleganter adeo expoſuit, ut dubitaretur, dum viveret, meliuſne ſoluta, an ſtricta oratione diceret, ſcriberetque. Nonnulla reliquit excellentis ingenii ſui argumenta memoriæ poſterorum: namque in ſecretioribus hujus Bibliothecæ pluteis inedita ſervantur carmina ejus varia in unum volumen collecta; orationes item plures eloquentiſſimæ, aliaque opuſcula, quæ morte intercipiente, perfici ab eo minime potuerunt. (1) Cæterum quantum doctrina, & reliquo mentis, animique cultu præſtabat, tantumdem de ſe rebuſque ſuis omnibus ſentiebat humiliter. Propria voluntate omnino abdicata, obedientiæ fuit cultor adeo accuratus, & anxius, ut non modo nollet quidquam, præter quam quod jubebatur, ſed ne cogitaret quidem. Pietate erga Deum, religione in Superos, eximia in omnes charitate, aliiſque virtutibus floruiſſe Mannam ex eo facile conjicere poſſumus, quod res, & cuncta Ordinis noſtri inſtituta, quibus ſanctitas omnis continetur, uti a Beatiſſimo Conditore Dominico fuerunt tradita, exacte ſervare concupierit ſemper, & pari diligentia curaverit. (2) Qua denique vixerat, eadem ſapientiæ, probitatiſque opinione deceſſit, (3) exiſtimationeque tanta, ut generis claritas inter poſtrema ejus ornamenta cenſeretur.

V. Non

(1) *Præter laudatos Scriptores Vide Ariſium tom. 2. pag. 50. ad eundem annum 1517.*

(2) *Non obſcure colligitur ex commemoratis Scriptoribus.*

(3) *Anno 1517.*

V. Non eſt hoc loco prætereundus Joannes Baptiſta Clarinus Cremonenſis honeſtis parentibus ortus. In Ordinem, & Familiam hanc cooptatus ad omnem religioſæ virtutis perfectionem contendere adeo vehementer cœpit, ut brevi cum ſingulari doctrina non minorem morum ſuavitatem, prudentiam, pietatemque conjunxerit. (1) Ad graviſſimas Ordinis præfecturas adhibitus ita ſe geſſit, ut nemo eum non coleret, ſuſpiceretque, nemo ejus imperium gravate ferret. Semel quidem huic Cœnobio præfuit; (2) ſed ea adminiſtrationis laude, Familiæ commodo, omniumque plauſu, ut aditum ſibi vel ex hac una dignitate ad multo ampliores gradus aperuerit. Inquiſitor cum eſſet in Patria, omniumque primus, cui hæc Civitas cum Diœceſi decreta, commendataque fuiſſet unice, in Comitiis Ferrariæ celebratis Provinciæ utriuſque Lombardiæ communi Patrum conſenſione præfectus eſt, (3) cum ipſe nil tale non modo non appeteret, ſed ne ſuſpicaretur quidem. In ea perluſtranda nullum fuit paſtoralis officii genus, quod in gregis ſibi commiſſi utilitatem non obierit ſumma alacritate, ac mira dexteritate, ſuavitateque imperii non expedierit. Illud in ſuo bienni dominatu præcipuum, maximeque expetendum putavit, ut in ferendis religioſæ vitæ oneribus præire cæteris deberet ſapienter ratus, majorem, ut eſt in veteri proverbio, habere vim exempla, quam verba. Provinciæ admi-

(1) *Memorial. MS. Conv. S. Dom. Cremon. c. 16. pag. 109.*
(2) *Ab anno 1551. uſque ad annum 1553. Ibidem.*
(3) *VI. Kal. Majas anno 1556. Ibidem.*

ſtratione tali modo abſoluta, ut priori intermiſſo ſe reſtitueret muneri, in Patriam omni, qua potuit, celeritate reverſus eſt. Hic biennio fere moratus Mediolanum ad eandem exercendam cenſoriam poteſtatem eſt miſſus.(1) Anno ibi uno vix circumacto eum nactus eſt morbum, quo ab hac mortali vita ſolutus eſt ingenti omnium mœrore, qui hominem diutiſſime ſuperſtitem ob eximias animi dotes, quas jam in eo perſpexerant, voluiſſent. Comitate fuit inſigni, charitate in omnes effuſa, animo candido, impigro, atque ad labores quoſcumque ferendos expeditiſſimo.

VI. Hieronymus Accettus, Antonii filius, Urceanus quidem Patria, ſed Dominicanorum Familia, in quam a prima juventute adſcitus eſt, Cremonenſis. (2) Æqualem habuit, & conterraneum Petrum Martyrem Feſtum perilluſtrem, quem ſæpe commemoravimus, virum: fueruntque ambo ab Julio Ferrario, de quo pariter alibi eſt dictum, in Ordinem, & hoc Cœnobium eodem anno, eademque hora ſuſcepti. (3) Velociſſimo Hieronymus, quo valebat, ingenio, & indole, quam ſortitus erat, ad omen pietatem compoſita, brevi inter noſtros, eruditione, integritateque morum exſplenduit ſic, merito ut ambigeretur, utra re plus eminuerit. Poſt Juvenes multos ad annos quindecim a ſe de more inſtitutos, ac mirifice excultos, quamquam ſibi uni vivere pro ſumma animi demiſſione conſtituiſſet; id ta-

men

(1) *Anno 1559. fere exeunte. Præter Ariſium vide Fontanam Theatr. Dominic. 3. p. pag. 566. titul. 33.*

(2) *Conſtat eſt Libro MS. Receptorum ad Ord. pag. 4. ad annum 1565.*

(3) *III. Kalendas Majas ejuſdem anni 1565. Ibidem.*

men effugere minime potuit, quominus ejus nomine Romam perlato, deſignatus inopinato fuerit, qui Cremonæ poſt Vincentium a Monte Sancto in hæreticam pravitatem inquireret. (1) Huic oneri, cui ſe imparem juramento affirmabat, humeros ſubjicere cum fuiſſet a Romano Pontifice pro imperio juſſus, in eo gerendo ſtrenuus adeo, & accuratus, prudenſque fuit, ut poſt annos ab inito hoc Magiſtratu vix quatuor, (2) Fundorum Epiſcopus, quod eſt Oppidum in agro Campano Cajetam inter, & Terracinam, a Gregorio XIII. fuerit renunciatus. (3) Adverſo tamen fato, antequam ad Eccleſiam ſibi demandatam accederet, præmatura morte interceptus, cum annos quadraginta nondum compleſſet, ad cœleſtem patriam evolavit. (4) Elatus eſt pari domeſticorum, ac exterorum luctu; quippe qui erat ob multiplicem virtutum, quibus ornabatur, ſupellectilem omnibus carus. Tam anguſtis vitæ finibus circumſcriptum, tamque multis, quibus diſtinebatur, negotiis implicitum credi vix poteſt, conficere eum quidquam potuiſſe, quo poſteri erudirentur. Nihilo tamen ſecius tres libros eleganti ſtylo elucubravit, quos Theologiam Scholaſticam, Myſticam, & Symbolicam inſcripſit, haud ſane vulgari adprobatione Doctorum. (5)

VII. Hunc proxime inſequitur Theophilus Ferrarius

 Cre-

(1) *Memorial MS. Conv. c 16. pag 112., & Catalog. Inquiſit. Crem.*
(2) *Ab anno 1584 ad 1588. ibidem.*
(3) *Jo: Michael Cavallerius tom. 2. pag. 36.*
(4) *Anno ipſo 1588. Idem Cavallerius, loco cit.*
(5) *Andreas Rovetta in ſua Bibliothec. Lombard. pag. 128.*

Cremonenſis Gineſii filius. Fuit hic ab Julio Ferrario Patruo in hanc noſtram Societatem adſcitus. (1) Præclaris dotibus corporis, animique cum addidiſſet induſtriam, factus eſt ad omnia Inſtituti munera aptiſſimus. Variis propterea miniſteriis addictus ita ſingulis perfunctus eſt, ut ſpem, quam de ſe maximam concitaverat, non æquarit modo, ſed vicerit. Cæterum ſolitariæ vitæ amantiſſimus raro admodum in hominum conſpectum ſe dabat. Orandi, ſcribendique ſtudio delectabatur quam maxime, in eoque ſolebat omne fere tempus impendere. Scripſit uberrimum, neque minus accuratum de vita, rebuſque præclare, ac mire geſtis S. Hyacinthi commentarium, (2) quem qui legerit, plane cognoſcet, quanto fuerit in eum ſanctum Virum amore, & cultu animatus. Quo vero tempore Ambroſium Sanſedonium Senenſem, & Jacobum Salomonium Venetum in Beatorum numerum relatos læti ſuſpeximus, celebrarique poſſe ſolemni ritu eorum Officia Ordini conceſſum eſt univerſo, eorumdem vitas Ferrarius edidit (3) breves illas quidem, ſed ſucci plenas, eaque complectentes, quibus lectores ad omnem virtutem conſectandam, Superoſque impenſius colendos inflammarentur. Rem domeſticam procurabat, Æditui que majoris munere fungebatur Theophilus, cum Joſeph Breſſianus de Viris, qui Patriam ad ſuam uſque ætatem illuſtraverant, ſcriberet. (4) Quo anno proinde,

quo

(1) *Liber MS Receptorum ad Ord. pag. 4. ad ann. 1569. XVII. Kal. Jul.*
(2) *Edit. Parmæ anno 1592.*
(3) *Edit. Cremonæ anno 1623.*
(4) *Anno ipſo 1625.*

quo loco, quo mortis genere ſupremum diem expleverit, neque a Breſſiano, neque ab alio quopiam accepimus.

VIII. Archangelus Lamius Franciſci filius, Cremonenſis, dignus quoque videtur, qui ſuperiorum numero virorum accenſeatur. Cremonæ noſtris adjunctus, (1) & ſtudiis admotus Philoſophicas, ac Theologicas ſcientias qua felicitate ab Inſtitutoribus arripuerat, eadem, ac majore diſcipulis tradidit; & quod magis eſt, cum ſingulari eruditione par ſtudium pietatis in omni vita conjunxit. (2) Deum, ejuſque Virginem Matrem, quam loco Parentis habebat, charitate, ac veneratione proſecutus eſt tanta, quanta in homine rebus divinis unice addicto, requiri, peroptarique poſſit. Quare cum Deum ipſum ſibi agendorum omnium finem jam uſque a pueritia conſtituiſſet, nihil erat in his, quæ infra eum ſunt poſita, cujus deſiderio tangeretur. Ab eo continenter ſuper omnia diligendo, cogitandoque neque actio ulla exterior, neque domeſtica miniſteria valuere unquam ſic, ut eum abſtraherent. Sed ut erat ipſe in rerum divinarum meditatione perpetuus; ita vehementer optabat, curabatque omni induſtria, ut omnium animi in Dei raperentur amorem, & cultum. Librum propterea confecit italice ſcriptum, quo ſuaviſſimum quoddam animæ cum Sponſo cœleſti colloquium continetur in aliquot capita diſtributum. (3) Exceptus, lectuſque eſt

(1) *Pridie Kalendas Decembris* 1579., *ut patet ex Libro MS. Receptorum ad Ord pag.* 5. *ad eum annum.*

(2 *Joſeph Breſſianus Coron. Viror. Illuſtr. Cremonen. l.* 1. *p.* 1. *pag* 190. *& ſeq.*

(3) *Edit. Cremonæ* 1611., *eſtque ad calcem Tractat. Spiritual. P. Joannis Juſti Lanſpergii.*

eſt univerſim hic liber magna cum laude, voluptateque ab iis omnibus, qui aliquo tenentur beatæ immortalitatis deſiderio. Sed de Lamio ſatis. Nil enim aliud invenire potuimus, quod de eo certum, & exploratum haberemus.

IX. Vincentius Fondulus Cabrini filius a Cabrino in Hiſtoria Cremonenſi notiſſimo originem traxit. (1) Die, quæ fuit Apoſtolico Viro Vincentio Ferrerio ſacra, Dominicanis Cremonenſibus adjectus eſt, Joanne Paullo Nazario eos moderante, hora ſecunda ante ſolis occaſum. (2) Doctrina, & probitate generis claritatem longe ſuperaſſe viſus eſt. Anno tyrocinii abſoluto, in humanis, diviniſque diſciplinis excolendis tanta ingenii facilitate, exercitationeque uti cœpit, ut condiſcipulorum pares admodum paucos habuerit, Præceptores vero ſtudio, & diligentia quam proxime ſit aſſecutus. Adoleſcentum noſtrorum Inſtitutor creatus haud ita facile eſt dictu, quam ſedulam, quamque fructiferam huic muneri obeundo operam impenderet. Nil certe, quod ſuarum eſſet partium, prætermittebat, ut quas ipſe cognitiones acquiſierat, atque in dies undique colligebat, auditorum ſuorum mentibus inſtillaret. Sed, ut erat ad omnem religionem, pietatemque compoſitus, ac mirifice excultus, nil prius habebat, quam ut eos ad virtutem alliceret, id, quod non tam voce, quam exemplo curabat. (3) Studiorum orbem cum tali modo

(1) *Lib. MS. Receptorum ad Ord. pag. 7. ad annum* 1598.
(2) *Ibidem ad eumdem annum.*
(3) *Memorial. MS. Conv. c. 16. pag.* 125.

modo exegiſſet, huic Cœnobio præfectus eſt, magno rei domeſticæ commodo, & religioſæ diſciplinæ incremento. (1) Cremonenſi Præfectura vixdum expleta, ecce Romam accitur a Deſiderio Scalia Cardinali, ejus doctrina, & conſilio utendi cauſſa. (2) Eo in munere Vincentius Fondulus ita ſuam Scaliæ, cæteriſque Auguſtis Patribus probavit operam, ut biennio poſt dignus habitus ſit, qui nullo alio ſumpto aptitudinis ejus experimento ad Ticinenſes Fidei Quæſitor mitteretur. (3) Verum ibi diu non conſtitit. Nam contracto ex aeris inſalubritate morbo, cum poſt annos ab ea ſuſcepta procuratione duos in Patriam recuperandæ ſanitatis cauſſa ſe recepiſſet, non minore Ticinenſium, quos jam ſibi devinxerat, quam Cremonenſium ſuorum mœrore diem obiit extremum, annos cum vix duos numeraret, & quinquaginta. (4)

X. Venio nunc ad operarium apud nos virtutum magnitudine illuſtrem, & immortaliter memorandum. Is eſt Michael Angelus De Grandis Cremonenſis Thomæ filius. A parentibus pietate, & genere honeſtiſſimis liberaliter educatus ad Noſtros acceſſit, ſeque Ordini, quem præ cæteris haud inconſulto Numine probaverat, perpetuo devovit. (5) Conſueto ſtudiorum noſtrorum curſu perquam diligenter exacto, Vir

deni-

(1) *Catalogus Priorum Cremonen. ab anno* 1628. *ad* 1630.
(2) *Memorial. loco laudato.*
(3) *Ibidem, & Ariſius tom.* 3. *pag.* 208. *ad annum* 1632.
(4) *Ibidem.*
(5) *Liber Receptorum ad Ord. pag.* 8. *ad annum* 1606., *& pag.* 27. *ad diem* 5. *Auguſti* 1607.; *Item Memor. Conv. c.* 18. *pag.* 141.

denique evaſit cum aliis nominibus, tum maxime ob ſingularem in rebus politicis, graviſſimiſque negotiis agendis dexteritatem, ſagacitatemque ſummam inſignis. Gratiam propterea apud principes Viros, tum apud Ferdinandum II. auguſtiſſimum Cæſarem iniit tantam, quantam fere eorum temporum nemo. Eo uſus eſt Cæſar & in privatis apud ſe conſultationibus habitis, &, quod eſt maximum, in publicis iiſdemque haud modici momenti legationibus obeundis. Has inter cenſetur Michaeli Angelo perilluſtris, qua eſt apud Sedem Apoſtolicam egregie perfunctus. Romam poſteaquam perveniſſet, fuiſſetque Romanum Pontificem pedum oſculo veneratus, ſuaque nomine Cæſaris negotia, quæ hic referre nil attinet, cum eo conferenda propoſuiſſet, re bene, feliciterque confecta, quo erat animo ab honoribus quibuſcumque, opibuſque pluſquam alieno, oblata ſibi a Pontifice remunerationis gratia beneficia non levia modeſtiſſime, conſtantiſſimeque recuſavit. (1) Evangelicæ paupertatis, & religioſæ abjectionis cultor eximius pedibus itinera conficiebat, etiam cum a Cæſare legatus aliquò mitteretur. (2) In ſe unum aſper, & uſque ad ſcrupulum parcus; idem erga cæteros facilis, officioſus, & ſumme liberalis, ut quanto erat abs re ſua ommiſſior, tanto alios ardentius juvare rebus, quibus poterat, ſtuderet. Qua Michaelis indole probe cognita, cum de eo Cæſar ob officia ſibi præſtita ornando jamdiu cogitaret, poſteaquam non eum

(1) *Memorial. MS. Conv. S. Dominic. Cremon. loco cit. iiſdem fere verbis.*
(2) *Ibidem.*

Digitized by Google

eum modo licet invitum, ſed ipſius etiam Conſobrinum Valerium Romani Imperii Comites Cæſarea auctoritate creaſſet, eodem utrique Diplomate poteſtatem fecit ampliſſimam, ut dignitates, & honores hujuſmodi, aliaque id genus inſignia cæteris impertiri rite, legitimeque poſſent. Quam ego tam eximiam Ferdinandi II. Cæſaris in Michaelem Angelum Grandum munificentiam vix adductus eſſem, ut crederem, niſi in ejus monumentum authographum, quod in hujus Cœnobii Tabulario diligentius, quam olim fuerit, cuſtoditur, incidiſſem. Erat illud quidem membraneo comprehenſum volumine, multoque magis extenſum; ſed modo, qua, & cujus culpa, neſcio, lacerum, & deminutum ſic, ut non ſuperſint, niſi quæ hoc loco ad fidem lectoribus faciendam ſubnectimus, atque ad verbum exſcripſimus, verba.

Michaelem Angelum de Grandis, ob memorata tua inſignia merita, majoribus gratiæ, & benevolentiæ noſtræ Cæſareæ donis ut exornaremus, motu proprio, & certa noſtra ſcientia, animo bene deliberato, ac ſano accedente conſilio, deque Romanæ Cæſareæ noſtræ Imperatoriæ poteſtatis plenitudine Te, & ſimiliter in Tui gratiam Honorabilem Valerium de Grandis Conſobrinum Tuum Noſtros, & Sacri Lateranenſis Palatii, Aulæque Noſtræ, & Imperialis Conſortii Comites fecimus, creavimus, ereximus, & conſtituimus, ac Comitum Palatinorum titulo clementer inſignivimus, ac decoravimus, prout tenore præſentium benigne facimus, creamus, erigimus, & conſtituimus, atque inſignimus, & decoramus. Decernentes, & Cæſareo, ac Imperiali hoc noſtro Edicto firmiter ſtatuentes,

quod

quod Vos, Michael Angele, & Valeri de Grandis ex benigna hac creatione noſtra omnibus, & ſingulis Privilegiis, Gratiis, Juribus, Immunitatibus, Honoribus, Indultis, Exemptionibus, Conſuetudinibus, Titulis, & Libertatibus, uti, frui, & gaudere in perpetuum poſſitis, & valeatis, quibus Alii Noſtri, & Sacri Lateranenſis Palatii, Aulæque noſtræ, & Imperialis Conſiſtorii Comites hactenus potiti, & gaviſi ſunt, ſeu quomodolibet fruuntur, potiuntur, & gaudent conſuetudine, vel de jure. Dantes Tibi prænominato Religioſo Michaeli Angelo de Grandis, nec non ſupradicto Conſobrino Tuo Valerio de Grandis amplam poteſtatem, & plenariam facultatem, qua poſſitis, & valeatis facere, & creare Notarios publicos, ſeu Tabelliones, & Judices Ordinarios, ac univerſis Perſonis, quæ fide dignæ, habiles, & idoneæ fuerint (ſuper quo conſcientias Veſtras oneramus) Notariatus, ſeu Tabellionatus, & Judicatus Ordinarii officium concedere, & dare, eoſque, & eorum quemlibet per pennam, & calamare, prout moris eſt, de prædictis inveſtire. Dumodo tamen ab ipſis Notariis publicis, ſeu Tabellionibus, & Judicibus Ordinariis per Vos, ut præmittitur, creandis, vice, ac nomine noſtro, & Sacri Romani Imperii, & pro ipſo Imperio debitum fidelitatis accipiatis corporale, & proprium Juramentum in hunc modum videlicet: Quod erunt Nobis, & Sacro Romano Imperio, & omnibus Succeſſoribus Noſtris Romanorum Imperatoribus, & Regibus legitime introeuntibus fideles; nec unquam erunt in conſilio, ubi noſtrum periculum tractatur, ſed bonum, & ſalutem noſtram defendent, fideliterque promovebunt, damna noſtra pro ſua poſſibilitate vetabunt, & avertent. Præterea Inſtrumenta tam publica, quam privata, ultimas voluntates, Codicillos, Teſtamenta, quæcumque Judiciorum

rum

rum acta, ac omnia alia, & ſingula, quæ illis, vel cuilibet eorum ex debito dictorum officiorum facienda occurrerint, vel ſcribenda, juſte, pure, fideliter, omni ſimulatione, falſitate, machinatione, & dolo remotis, ſcribent, legent, facient, & dictabunt non attendentes odium, pecuniam, munera.... Quæ ſequebantur integri Authographi verba ferunt, (1) Michaeli Angelo Grando, ejuſque Patrueli Fratri Valerio Marchiones etiam, & Comites creandi poteſtatem tradidiſſe, fuiſſeque dolo ab iis, quæ recitavimus, abſciſſa. Id denique, quod dolendum eſt maxime, concludunt, (2) Michaelem Angelum Grandum, cum Vicentia ejuſdem Cæſaris miſſu Venetias ſe conferret, in itinere (quo fato ignoratur) interiiſſe ſic, ut nil ultra de eo ſit cognitum.

XI. Caſimirus Piazzius, Patre Mauritio Viro honeſtiſſimo Cremonæ natus, non videtur, quam ob cauſſam in hac clarorum Virorum ſerie non ſit collocandus. Raymundo Montecuculo Mutinenſi, qui hoc Cœnobium annos ante duodecim adminiſtraverat, Provinciam moderante, ac Cœnobium ipſum de more perluſtrante, in hanc Familiam adlectus eſt, Vincentio Fondulo Præfecto: (3) Artes, & ſcientias omnes, quæ comparari in Ordine a Noſtris, tradique ſolent, qua felicitate didicit, eadem poſtmodum ob ingenii magnitudinem docuit. Quo in genere quantum eminuerit, non exequemur prolixius, ne rerum alibi expoſi-

(1) *Memor. MS. Conv. c. 18. pag. 141. uſque ad 143.*
(2) *Ibidem, ubi laudantur ſeniores Michaeli Angel. Æquales.*
(3) *Liber MS. M. I Receptorum ad Ord. pag. 13. tergo ad annum 1630. VII. Idus Martias.*

poſitarum ſimilitudine, iterationeque ſatietatem legentibus afferamus. Magiſterii ornatus inſigniis, Placentiæ primum,(1) tum Ferrariæ (2) difficillimo quidem per id maxime tempus Fidei Quæſitoris functus eſt munere; ſed communi adeo Placentinorum, & Ferrarienſium plauſu, ut dubium reliquerit, a quibuſnam majores eidem honores ſint habiti. Ob ſingularem quandam indolis elegantiam, morum integritatem, candorem, facilitatemque ſummam fuit omnibus apprime carus. Ardentiſſimum, quo tenebatur, religionis, ac Fidei tuendæ, vindicandæque ſtudium ad omnem humanitatem, comitatemque adeo temperabat, ut homines vel effrænatis moribus, non tam ſeveritate, quam nativa quadam lenitudine in officio contineret. Et quamquam his curis, aliiſque negotiis ad rem publicam pertinentibus haud modice diſtineretur, leges tamen omnes, conſuetudineſque diſciplinæ domeſticæ ita ſervabat, ut nemo magis.(3) Sed rebus, quæ divini quomodocumque ſunt cultus, nil habebat antiquius. Ornatum, nitorem, dignitatemque domus Dei cum amaret, & cogitaret unice, Templum hoc Cremonenſe, quod delicias appellabat ſuas, ſericis, ut dictum eſt alibi,(4) peripetaſmatibus, qua longe, lateque patet, conveſtiit ſic, ut mirati ſint multi, qui ſolus potuerit tam brevi (nam immature deceſſit) tamque exiguis obventionibus tot agere, tamque graves impenſas.

(1) *Anno 1654. Ariſius tom. 3. pag 209., & Catal. Inquiſit. Placent.*
(2) *Anno 1661. Ibid.*
(3) *Memor. MS. Conv. c. 16. pag. 127., & ſeq.*
(4) *Vide noſtram rerum Cremonenſium Hiſtoriam ad annum 1663.*

ſas. Ex quo quiſque dignoſcat, qua eſſet ergà majorem Dei gloriam cura, ſollicitudineque animatus; quidque ultra feciſſet, niſi invida fuiſſet nobis morte præreptus, cum annos vix tres, & quinquaginta compleſſet. (1)

XII Caſimiro Piazzio quam proxime accedit Cyprianus Minutus Cremonenſis (2) non abſimili ratione dignus, qui hoc loco memoretur. Fuit ſcilicet hic vir ob ingentem virtutis, & doctrinæ opinionem ſemper, & ubique ſpectatus. Diſcendi apud nos, docendique orbe promerita omnium laude confecto, huic Domui, cujus erat alumnus, regendæ admotus eſt. (3) Legum noſtrarum vel minimarum ut erat ipſe acerrimus cultor, ita earumdem cuſtodiam in iis, quibus præerat, non tam imperio, quam exemplo promovit. Parem adhibuit in re familiari procuranda, augendaque, quoad potuit, diligentiam. Et quamquam eſſet cibi parciſſimus, curabat tamen exquiſitiſſime, ne cui ſuorum neceſſaria deeſſent, ſapienter ratus, Patremfamilias obedientiam, officiique labores repetere a filiis vix poſſe, ſi hi viciſſim, quæ ſibi uſui ſunt debita, ab eo minime conſequantur. Poſt hæc, cauſſarum Catholicæ Fidei agendarum peritia cum ſe maxime communiiſſet, tribus ſucceſſione temporis Civitatibus, Regio Lepidi primum, tum Anconæ, ac denique Parmæ continenti annorum octodecim ſpatio ejuſdem Fidei Inquiſitor

 eſt

(1) *Obiit anno 1665. Memor. Conv. loco laudato.*

(2) *In hanc Familiam cooptatus eſt die 30. Junii anno 1639. ut apparet in lib. MS. Receptorum ad Ord. pag. 14.*

(3) *Anno 1660. ex Catalog. Priorum Convent. Cremonen.*

eſt datus. (1) Quam ſtrenue, quam accurate, prudenterque pro rei dignitate hos Magiſtratus obierit, & quantam ſibi ubique benevolentiam, exiſtimationemque conciliarit, nemo abs me quærat. Franciſcum Ariſium de hoc præclaro Viro ſcribentem (2) qui legerit, plane cognoſcet, quanto Cyprianus Minutus, ubicumque eſt verſatus, in honore, & pretio haberetur. Ancona cum Parmam demigraſſet, ibique poſt annum unum ætate, laboribuſque detritus e vita deceſſiſſet, eo Anconitani accepto nuncio ita commoti, contriſtatique ſunt, ut cum Parmenſibus de ejus funere concelebrando pia quadam æmulatione, juſtique mœroris ſignificatione certarint. Magnus utrobique Templi apparatus, ingens totius Urbis concurſus, Sacrificia innumera, muſicus Cantorum, inſtrumentorumque concentus, ac præter elogia, & carmina, orationes parentales in ejus laudem recitatæ, & excuſæ. (3) Omnia, ut verbo dicam, ita utrobique acta, ut neſcires, pluſne Parmenſes præſentem, an Anconitani abſentem lugerent. Obiit fere octogenarius. Ob eximias tamen animi dotes, ſingularemque in hoc Cœnobium, cujus erat amantiſſimus, beneficentiam, cum omnes, qui eum norant, tum Patres præcipue Cremonenſes diuturniorem illi vitam peroptabant.

XIII. Non minoribus hanc Familiam meritis honeſtavit Joachimus Mazzanus Cremonæ honeſto loco natus.

(1) *Regii Lepidi ab anno* 1681. *ad* 1685. *Ancona ab anno* 1685. *ad* 1698. *Parmæ ab anno* 1698. *ad* 1699.

(2) *Cremon. Litterat. tom.* 3. *pag.* 209.

(3) *Parmæ, & Ancona eodem anno* 1699.

natus. In Congregatione noſtra, quam vocant S. Sabinæ, Sacro Dominici Inſtituto nomen dederat, profeceratque ibi plurimum pietate, ac doctrina. (1) Dociliſſima indole, facilique ingenio cum eſſet, ad omnia religioſæ vitæ munera ita formaverat ſe ſe, ut quodcumque Majorum juſſu ſuſciperet, ad illud unice natus, factuſque videretur. Sacris concionibus habendis, Sacramentis miniſtrandis, inſtituendiſque omni diſciplinarum genere adoleſcentibus ad annos multos adhibitus, Vir omnibus omnia factus univerſim appellabatur. (2) Nulla erat propterea ſive memoratæ Congregationis, ſive totius Longobardicæ Provinciæ domus, quæ non talem Operarium habere, retinereque apud ſe cuperet. Sed jure quodam patrio cum videretur ad Cremonenſe Cœnobium præ cæteris pertinere, huic denique adſcriptus eſt, cum Bononiæ Sanctæ Inquiſitionis Vicarii fungeretur munere. (3) Id antea officii feliciter admodum obierat Mutinæ, ac pari celebritate in illuſtri ejus Urbis Academia Theologiam ſimul tradiderat. (4) Summo Fidei Magiſtratui gerendo jam maturus Eugubium primum, tum Regium Lepidi, inde Mutinam, poſtmodum Firmum, ac denique Derthonam nunquam intermiſſa annorum ſerie traductus eſt. (5) Ab hoc Tribunali ad Novocomenſe promotus poſt annos undecim cum fuiſſet, paucis poſt menſibus, die

 ipſa,

(1) *Memor. MS. Conv. c. 16. pag. 129.* (2) *Ibidem.*
(3) *Ariſius Cremon. Litter. tom. 3. pag. 209. & Memor. loc. cit.* (4) *Ibidem.*
(5) *Eugubii anno 1714. uſque ad annum 1718. Regii Lepidi ab ann. 1718., ad 1719. Mutinæ per annum. Firmi tantumdem. Derthonæ ab anno 1722. uſque ad 1733.*

ipſâ, qua anniverſaria S. Petri Martyris gratulatio celebrabatur, Sacrificio ad ejus aram vix peracto, apoplectico ictu percuſſus, occubuit. (1) Peracerbum hunc caſum collacrymati ſunt, ut reſciverunt, quotquot amabili uſi fuerant Joachimi Mazzani conſuetudine. In eo enim uno perſpexerant hominem non ad omnem modo benignitatem, charitatemque compoſitum, ſed religioſum, humilem, pium, omnique cupiditate, cæterisque terrenis affectionibus vacuum. Quare inerat ei animi tranquillitas ſumma cum pari ſecuritate conjuncta, quæ homini cum invictam conſtantiam afferre ſolet, tum dignitatem. Uti aſſueverat in tyrocinio vel levisſimos Moderatorum nutus pro legibus totidem accipere, neque cauſſas quærere, cur juberent, ita ſanctiſſimum hunc morem, quantum ætatis, dignitatiſque gravitas patiebatur, exacte ſervavit uſque ad ultimam ſenectutem. (2) Domicilio denique noſtro Cremonenſi, in quod fuerat viginti circiter ante annos adſcitus, memoriam grati animi, veteriſque benevolentiæ, reliquit ſempiternam. Nam præter Sacrarium lineis tunicis Sacerdotalibus, Caſulis ſericis argento, auroque contextis, aliiſque ſacris veſtibus auctum, aræ Templi maximæ ab Julio Mercoro magnifice extructæ Amiculum addidit marmoreum exquiſitis adeo lapillis ornatum, elaboratumque tam graphice, ut opus reliquum & elegantia imitetur, & pretio. Sedem inſuper pro Chriſti Cor·

(1) *Novocomi die 29. Aprilis ann. 1733.*
(2) *Ex Act.s MS. hujus Conv. tum ex iis potiſſimum, qui cum eo ſunt verſati, quorum ſunt nonnulli ſuperſtites.*

Corpore publicæ adorationi exponendo fieri curavit argenteam, ac tabellas ſimiliter tres, quibus Sacerdotes ad ſacrificandum utuntur, pretioſis, aptiſſimeque diſtributis lapidibus affabre inſtructas. Atque hæc de Joachimo Mazzano habuimus, quæ breviter attingeremus.

XIV. Appendicem hanc claudat Felix Maria Lazaronus, quem nos ipſi Faventiæ de facie novimus, atque in nos beneficum quam maxime experti ſumus. (1) Cremonæ natus, piiſſimeque a Parentibus enutritus, ab ipſa viſus eſt pueritia animo ab levitatibus, & nugis omnibus, quibus ætas illa delectari ſolet, adeo alieno, ut ignota quadam vi, non modo ab iis abhorreret, ſed ad Ordinem, cujus leges, & inſtituta nondum plane cognoſcebat, ſentiret ſe non tam allici, quam impelli. Ad noſtros propterea frequentiſſime ventitabat, cum his verſabatur libentiſſime, fuiſſetque, ut mihi ajebat, ſi ei licuiſſet, cum iis perpetuo commoratus. Annos denique cum vix ſexdecim compleſſet, quod diu vehementer concupierat, atque enixe flagitarat, favente, ac probante Numine impetravit. (2) His initiis cætera conſenſerunt. Nam cum operam litteris dare aſſiduam cœpiſſet, acri, quo valebat, ingenio, & Philoſophus perquam probabilis factus eſt, & Theologus per ea tempora eruditus. Doctoris lauream conſecuto traditi ei ſunt adoleſcentes multi, quos in utroque diſciplinarum genere inſtitueret. Id vero præſtitit Cremonæ primum, tum Bononiæ, ingenti ubique laude, diſcipu-

 lorumque

(1) *Ab anno 1737. uſque ad annum 1744.*
(2) *Die 26. Decemb. anno 1690., ut couſtat ex libro Conſiliorum E. pag. 203.*

lorumque profectu. (1) Sacras deinde litteras cum interpretaretur in Patria, ab Joſepho Maria Taballio generali per eos dies Inquiſitionis in Urbe Commiſſario, quem ingeniorum Phenicem appellabant, Romam fuit in Socium, & adjutorem accitus. (2) Poſt annos ſeptem a ſuo in Urbem adventu, ubi ob adverſam Tabalii valetudinem, ejuſque obitum, totam ad menſes undecim graviſſimorum negotiorum molem ſuſtinere, ac vices Commiſſarii gerere coactus eſt, Anconæ, univerſæque Piceni Provinciæ præficitur ad fidei cauſſas agendas. (3) Piceno annos undeviginti ſtrenue, diligenterque adminiſtrato, Faventiam, cujus juris dicundi poteſtas in totam fere Flaminiam qua querſum patet. eſt miſſus. (4) Huc cum perveniſſet, ampliſſimoque Magiſtratui gerendo manum intrepide admoviſſet, incidiſſetque non ſua, ſed aliorum culpa in multas non leves difficultates, his longo, quo erat edoctus, rerum uſu, prudentia, conſilio, animique magnitudine ſuperatis, dum quæſtioni in quoſdam Ravennatenſes inſtituendæ interdiu, noctuque vehementer incumberet, Epiphoram in crure contraxit. Hæc, cum nulla medicorum ope diſſolvi, avertique inde potuiſſet, univerſam ei ſanguinis maſſam infecit in tantum, ut lethalem in eum febrim induxerit, qua undecima ab ſui decubitus die, ſacris omnibus religioſe ſuſceptis, extinctus eſt, hora ſecunda poſt Solis occaſum, cum annos vix

(1) *Ariſius tom. 3. pag. 209*, *& Memor MS. Conv. c. 16. pag. 128.*
(2) *Anno* 1711. *Ariſius ibidem pag.* 210.
(3) *Anno* 1718 *Ibidem.*
(4) *Anno* 1737. *Ibidem.*

Digitized by Google

vix ſeptuaginta attigiſſet.(1) Elatus eſt poſtridie magna hominum frequentia Viri immortali vita digniſſimi jacturam plorantium. Poſt dies aliquot funus ejus ſolemni pompa celebratum, eique laudes & proſa, & carminibus tributæ, non Faventiæ modo, ſed a Forolivienſibus, Ravennatenſibus, Forocornelienſibus, cæteriſque totius fere Flaminiæ Populis ejus poteſtati ſubjectis.

Fuit corpore ad proceritatem accedente; ſevero quidem vultu, gravi, elatoque ſupercilio, venerando inceſſu, ſed animo candido, liberali, atque ad omnem comitatem, facilemque conſuetudinem non tam exculto, quam nato. Ad virtutes ejus quod attinet, quem in tyrocinio conceperat religioſæ diſciplinæ fervorem, hunc nunquam paſſus eſt refrigeſcere, niſi ſpiritu effiato. Sacris precibus ſive privatim, ſive publice fundendis aſſiduus, in muneribus ſuis obeundis invictus, in omni Ordinis inſtituto ad apicem uſque cuſtodiendo perpetuus. Ore, ſermone, conſilio, ac decoro quodam univerſi corporis poſitu auctoritatem, venerationemque apud omnes ſibi conciliaverat tantam, quanta ſatis eſſet, ut eum boni ſuſpicerent; mali vero vel ipſo adſpectu pertimeſcerent. Quo factum fuerat, ut hi veriti, ne in ejus manus inciderent, in officio ſe continerent, illi nil fere agerent, quod non antea ab eo probatum accepiſſent. Eum propterea frequentiſſime conveniebant cum nobiliſſimi omnium ordinum Viri, qui in Oppido dignitate eminebant, quos inter Nicolaus Lo-

 mel-

(1) *Anno 1743. die 26. Novembris.*

mellinus Faventinorum Antiſtes, tum ex finitimis etiam Civitatibus multi, qui non prius ab eo diſcedebant, quam ſe captos faterentur ſingulari ejus prudentia, conſilio, ac rerum agendarum dexteritate. Jurium, & privilegiorum ſuorum acerrimus vindex. ea ſarta ubique, tectaque ſervare ſtuduit ſic, ut ſeveriſſime in eorum violatores non ſemel, ſed ſæpius animadverterit. Quare ab Adminiſtris Romana auctoritate ſibi decretis & amabatur unice, & colebatur impenſe, quod is eſſet, a quo ita protegerentur, ut illi operam præſtare ſuam tuto, fidentique animo poſſent. (1) Ejus in hanc Familiam de charitate, liberalitateque quid dicam? Roganti Thomæ Auguſtino Ricchinio Cœnobium patrium reficere, refectumque ornare cogitanti teſtimonium aliquod benevolentiæ ſuæ ut præberet, aureos ducentos, & quinquaginta, quos ex annuis obventionibus ſenſim collegerat, dedit. Sacellis beatiſſimo Viro Vincentio Ferrerio, Sanctiſſimoque Jeſu Nomini erigendis, magnificeque illuſtrandis quid non erogavit? Utrumque certe profuſæ Lazaroni munificentiæ magna ex parte debemus. (2) Hæc vero ſunt, (ſi quæ modo me non fugerunt) quæ de Felice Maria Lazarono, aliiſque præclaris hominibus, qui domicilium hoc noſtrum nobilitarunt, ſummatim complexi ſumus. Neque quempiam moveat, ſi quoſdam in hoc Commentario prætermiſerimus a Franciſco Ariſio in ſua Cremona Litterata com-

(1) *Harum rerum nos ipſi teſtes oculati, auritique fuimus cum Faventiæ moraremur.*

(2) *Vide quæ ſcripſimus in Vita Ricchinii nn. 13., & in Hiſtoria Cœnobii Cremonenſis ad annum 1744.*

commemoratos. Hic ſcilicet omnes recenſuit, quotquot ad hanc Urbem referri quoquo modo poſſent, aliqua virtute, aut dignitate præſtantes, etiamſi ad Cœnobium Cremonenſe ſpeciali titulo minime pertinerent. Nobis vero, qui in alienam meſſem manum nequaquam mittere conſtituimus, de inſignioribus tantum hujus Familiæ Alumnis agere, ſcribereque, quæ ad noſtram notitiam pervenerunt, in animo fuit.

FINIS.

CATA-

Digitized by Google

CATALOGUS AA. RR. PP. PRIORUM

Conventus S. Dominici Cremonæ Ord. Prædicatorum, quotquot reperiri potuerunt,

Additis ſuo loco Comitiis Provincialibus ibidem celebratis.

Anno

1226 B. ROLANDUS Cremonenſis, cum aliis Conſodalibus Cremonam venit, obtentaque ab Epiſcopo Homobono Madalberto Eccleſia S. Gullielmi extra muros Civitatis, ibi Ordinis Conventum erigit, cui eum præfuiſſe veriſimile eſt.

1257 P. F. Jacobus Capra Cremonenſis.

1269 P. F. Gruſſardus de Quaparonis.

1283 *Transfertur Conventus è loco S. Gullielmi ad Eccleſiam S. Agnetis intra Civitatem.*

1308 P. F. Leonardus N.

1384 *Capitulum Provinciale hic celebratur.*

1387 P. F. Johannes de Meneſoſis.

1395 P. F. Albertus de Freſcarolo.

1436 P. F. Benvenutus de Mainardis Cremonenſis.

1439 P. F. Andreolus de Amatoribus a Commenduno.

1442 P. F. Leonardus ex Familia de Lauda qui præfuit uſque ad An. 1457.

1457 P. F. Johannes, ſeu Zanettus de Guiazolis Soncinas Lector, qui rexit uſque ad An. 1465.

1465 P. F. Archangelus Lami Cremonenſis.

1467 P. F. Angelus de Scaravatiis a Piceleone.

1469 P. F. Zanettus Soncinas, forſan qui ſupra.

1471

1471 P. F. Chriſtophorus de Boſco.
1474 P. F. Angelus N. fortaſſe qui ſupra.
1484 *Hoc anno juſſu Reverendiſs. P. F. Bartholomæi de Comitiis Magiſtri Generalis traditur Conventus Patribus Congregationis Lombardiæ, eique præficitur Vicarius in capite* P. F. Sebaſtianus Maggi, *donec eligatur Prior*.
1485 Venerabilis P. F. Sebaſtianus Maggi, ſeu Madius Brixienſis. Fuit Vicarius Generalis Congregationis Lombardiæ, & ſanctitatis fama obiit Genuæ, ubi incorruptum adſervatur ejus Corpus in Eccleſia S. Mariæ de Caſtello. Nunc inter Superos colitur.
1489 P. F. Antonius N. Aſtenſis.
1492 Ven. P. F Marcus Pellegrini Veronenſis. Fuit Vicarius Generalis dictæ Congregationis, & claruit opinione virtutum.
1493 *Hoc Anno habita ſunt Cremonæ Comitia Congregationis*.
1494 P. F. Antonius N. Cremonenſis.
1495 P. F. Paulus Barbovius Soncinas. Fuit Baccalaureus Bononiæ, & Scriptor eximius.
Eodem Anno P. F. Andreas Porcelagus Brixienſis. Fuit Vicarius Generalis Congregationis, & Fidei Quæſitor in Patria.
1498 P. F. Marcus de Blancate Diœceſis Brixienſis.
1501 P. F Bernardus Retegno Novocomenſis, Scriptor, & Fidei Quæſitor in Patria.
1502 P. F Ludovicus N. Calaber. Fuerat Vicarius Generalis Congregationis.
1504 P. F. Jacobus N. Papienſis.

1505

Digitized by Google

1505 P. F. Hieronymus Mainoldus Cremonenſis prima vice.

1506 *Comitia Congregationis.*

1507 P. F. Mathias N. a Pontecurono Diœceſis Derthonenſis celeberrimus Verbi Dei præco. Fuit Vicarius Generalis Congregationis.

1508 P. F. Hieronymus N. Vicentinus.

1510 P. F. Angelus N. Soncinas.

1512 P. F. Silveſter Mazzolini Prieras, ſeu de Prierio Pedemontanus. Fuit Inquiſitor Brixiæ, Mediolani, S. Palatii Apoſtolici Magiſter, ac Scriptor celeberrimus.

Eodem anno Comitia Congregationis.

1514 P. F. Hieronymus Mainold. 2. vice.

1516 P. F. Angelus N. Cremonenſis 1. vice.

1518 P. F. Hieronymus Quirini Patritius Venetus. Fuit Patriarcha Venetiarum.

1520 P. F. Hieronymus Papini Laudenſis Magiſt., & Scriptor. Fuit Vicarius Generalis Congregationis, & Fidei Quæſitor Ferrariæ, & Brixiæ.

1522 P. F. Baptiſta N. Mediolanenſis. Fuit Inquiſitor Mantuæ, & An. 1540. Provincialis Lombardiæ.

1524 P. F. Angelus N. Cremonenſis 2. vice.

1525 P. F. Petrus Martyr Ruſcà è Lugano Filius Conventus. Fuit Inquiſitor, & An. 1544. Provincialis Lombardiæ. Fuit etiam a Confeſſionibus Pauli III. & Vicarius Generalis totius Ordinis.

1526 P. F. Paulus Butigella Papienſis. Fuit Inquiſitor Ferrariæ, & Magiſter Generalis Ordinis.

1528

Digitized by Google

1528 P. F. Hieronymus Fornarius Papienſis Mag. & Scriptor. Fuit Provincialis Prov. S. Petri Martyris, & Epiſcopus Belicaſtrenſis in Calabria.

1530 P. F. Thomas N. Cremonenſis.

1531 *Congregatio Lombardiæ in Provinciam redigitur.*

1532 P. F. Nicolaus N. Britinorienſis.

1534 P. F. Xantes Riva Mantuanus. Fuit Inquiſitor Parmæ, Papiæ, & Provincialis Lombardiæ.

1536 P. F. Petrus Martyr Ruſca qui ſupra 2. vice.

1537 P. F. Maximus Figatus Cremonenſis 1. vice. Fuit Provincialis Lombardiæ An. 1542.

1538 P. F. Dominicus N. Bergomas.

1540 P. F. Maximus Figatus qui ſupra.
Eodem anno Comitia Provincialia Cremonæ.

1542 P. F. Petrus Martyr Ruſca 3 vice

1544 P. F. Vincentius Veri Soncinas. Fuit Baccalaureus, ac Regens Bononiæ.

1546 P. F. Paulus Manna Cremonenſis egregius Theologus, & Poeta.

1547 P. F. Hieronymus Politius Cremonenſis. Fuit Inquiſitor Cremonæ, Confeſſarius, & Theologus S. Caroli Borromæi, mox Epiſcopus Trivicanus in Regno Neapolitano.

1549 P. F. Auguſtinus N. a Linguelia, Januenſis.

1551 P. F. Johannes Baptiſta Clarinus Cremonenſis Magiſter. Fuit Inquiſitor Cremonæ, ac Mediolani, & Provincialis Lombardiæ An. 1556.

1553 P. F. Hieronymus Politius Cremonenſis qui ſupra 2. vice.

1556

Digitized by Google

1556 P. F. Julius Ferrari Cremonenſis. Fuit Inquiſit. Cremonæ, Placentiæ, Mediolani, & Provincialis Lombardiæ An. 1575. cui præfuit annis tribus.
1558 P. F. Arcangelus Blancus a Gambaloite Diœceſis Viglevanenſis. Fuit Commiſſarius Generalis S. Officii in Urbe, S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Theani.
1559 P. F. Thomas N. Placentinus Magiſter.
1561 P. F. Hieronymus Politius Cremonenſis 3. vice.
1562 P. F. Clemens N. Januenſis Magiſter. Fuit Baccalaureus Bononiæ.
1564 P. F. Julius Ferrari Cremonenſis qui ſupra 2. vice.
1566 P. F. Dominicus N. a Morbinio in Valle Telina Diœceſis Novocomenſis.
1568 P. F. Julius Ferrari qui ſupra 3. vice.
Eodem anno Comitia Provincialia Cremonæ.
1570 P. F. Vincentius N. Albenſis.
1571 P. F. Abundius Tridi Novocomenſis.
1573 P. F. Paulus Guaragni Cremonenſis ab Azzanello Magiſt. Fuit Provincialis Bohemiæ.
1575 P. F. Severinus N. a Septempeda, vulgo S. Severino in Piceno.
1577 P. F. Jacobus Feſtinus a S. Angelo Laudenſis Magiſter. Fuit Inquiſitor Mantuæ, & ter Provincialis Lombardiæ.
Eodem Anno P. F. Angelus Advocatus Brixienſis.
1578 P. F. Julius Ferrari Cremonenſis qui ſupra 4. vice.
1579 P. F. Antonius N. Parmenſis.
1580 P. F. Joſeph N. Brixienſis.

1582 P. F. Vincentius N. Laudenſis.
1584 P. F. Dominicus Bazzardi a Triviato, vulgo Travagliato Diœceſis Brixienſis. Fuit Inquiſitor Brixiæ.
1586 P. F. Julius Ferrari qui ſupra 5. vice poſtquam renunciavit Inquiſitioni Placentiæ.
1588 P. F. Petrus Martyr Feſta Urceanus Diœceſis Brixienſis, ſed hujus Cœnobii alumnus, Magiſter, & Scriptor. Fuit Inquiſitor Bononiæ, & Provincialis Lombardiæ.
1590 P. F. Hieronymus Capalla Salutienſis Magiſter, & Scriptor. Fuit in Patria Fidei Quæſitor.
1591 P. F. Tinteus, ſeu Tinti Cremenſis. Fuit Inquiſitor Caſalis Montisferrati.
1593 P. F. Thomas Corbacci de Anicio, vulgo Nicco Diœceſis Cremonenſis Lector Theol.
1595 P. F. Dominicus Mariani a S. Martino Principatut Bozulenſis Diœceſis Cremonen.
1597 P. F. Joannes Paulus Nazarius Cremonenſis. Fuit Inquiſitor Mantuæ, & Anconæ, Orator pro Statu Mediolanenſi ad Philippum III. Hiſpan. Regem, & celeberrimus S. Thomæ Commentator.
1599 P. F. Bartholomæus Gajſapi a Buxeto Ducatus Parmenſis.
1600 P. F. Michael N. Brixienſis.
1603 P. F. Alexander Malignini a Polexino Ferrarienſi Mag. Fuit Inquiſitor Placentiæ.
1605 P. F. Jacobus Ferrarius Rhodiginus.

1607

1607 P. F. Daniel Fini a Piceleone Diœceſis Cremonenſis. Fuit Baccalaureus Bononiæ.

1609 P. F. Maximus Guazzoni Bozulenſis Magiſter. Fuit Inquiſitor Mutinæ, Papiæ, & Arimini.

1611 P. F. Petrus Caſaroli de Fidentiola, vulgo Florentiola Diœceſis Placentiæ.

1612 P. F. Lactantius Cerioli Cremonenſis Magiſter. Fuit Provincialis Lombardiæ An. 1622.

1614 P. F. Johannes Baptiſta Boſellus a Sextula in Caſaronia ditionis Mutinenſis beneficus hujus Conventus alumnus. Fuit Inquiſitor Caſali, Januæ, Cremonæ, & Provincialis Lombardiæ A. 1633, eamque rexit Annis tribus.

1616 P. F. Hiacynthus de Summis Cremonenſis, Lector.

1618 P. F. Benedictus N. a Biſtaneo Montisferrati. Poſt quatuor menſes renuntiavit. Fuit Baccalaureus Bononiæ.

Eodem Anno P. F. Raymundus Montecuccoli Mutinenſis Mag. Fuit Provinc. Lombardiæ An. 1628.

1621 P. F. Johannes Baptiſta Turreſinus Cremonenſis, Lector.

1623 P. F. Andreas Zerbius Papienſis Magiſter.

1624 P. F. Sigiſmundus Bettus Laudenſis Magiſt. Fuit Baccalaureus Bononiæ.

1626 P. F. Archangelus Mendozza a Monticellis Mag.

1628 P. F. Vincentius Fondulus Cremonenſis Magiſter. Fuit Inquiſitor Papiæ.

1630 P F. Felix De Ho Cremonenſis, Lector.

1631 P. F. Joſeph Maria Bontenerius Cremonenſis Magiſter.

1633 P. F. Petrus Martyr Fondulus Magiſter. Fuit Inquiſitor Arimini.

1635 P. F. Albertus Cardinalis Januenſis Magiſter.

1636 P. F. Julius Maria Zacharia Cremonenſis Magiſter 1. vice.

1638 P. F. Johannes Franciſcus Galvani Mantuanus Magiſter.

1640 P. F. Petrus Maria Paſſerini a Sextula Diœceſis Mutinenſis, & hujus Cœnobii alumnus. Fuit Inquiſitor Bononiæ, Procurator, & Vicarius Generalis Ordinis, Theologus J. C & Scriptor celeberrimus.

1642 P. F. Julius Mercori Cremonenſis Magiſter, & Scriptor egregius adverſus Probabiliſmum. Fuit Inquiſitor Mantuæ, & Mediolani, atque Orator pro Patria ad Philippum IV. Hiſp. Regem.

1644 P. F. Vincentius Gallentius a Piceleone Magiſt.

1646 P. F. Julius Antonius Pellizzoni Papienſis Magiſter. Fuit Inquiſitor Novocomi.

1648 P. F. Julius Maria Zacharia Magiſter qui ſupra 2. vice.

1650 P. F. Julius Mercori qui ſupra 2. vice, ſed poſt duos menſes renuntiavit.

Eodem Anno P. F. Paulus Rivetta de Moncalvo Montisferrati Magiſter. Fuit publicus Metaphyſicæ Profeſſor, & mox primam Theologiæ Cathedram implevit in Univerſitate Patavina.

1652 P. F. Julius Maria Zacharia qui ſupra 3. vice. Præfuit etiam Cœnobio Gratiarum Mediolani,

Digitized by Google

& obiit Novocomi Viſitator Provinciæ.
1654 P F. Thomas Maria Vailatus de Sorexina Magiſ.
1656 P. F. Sigiſmundus Capra Cremonenſis Magiſt.
1658 P. F. Dominicus Vezzanica Cremonen. Lector.
1660 P. F. Cyprianus Minutus Cremonenſis Magiſter. Fuit Inquiſitor. Regii in Æmilia, Anconæ, & Parmæ.
1662 P. F. Michael Torres Alexandrinus Magiſter, & Scriptor.
1664 P. F. Petrus Martyr Vicecomes Tabienſis Mag.
1666 P. F. Joſeph Maria Maziola Cremonenſis Mag.
1668 P. F. Nicolaus Fondulus Cremonen. Magiſter.
1670 P. F. Johannes Dominicus Bertucci a Cingulo in Piceno Magiſt. Fuit Inquiſitor Caſali, & Genuæ.
1672 P. F. Johannes Baptiſta Platus Mediolanenſis. Fuit Socius Rev. P. M. Generalis Ordinis, & Provincialis Lombardiæ An. 1680.
1674 P. F Petrus Maria Barbovius Cremonenſis Lect.
1676 P. F. Joſeph Maria Lazzari Piſaurenſis Magiſt.
1678 P. F. Hiacynthus Maria Bigoni Cremonenſis Magiſter.
1680 P. F. Angelus Maria Loriolus Mediolanenſis Magiſter.
1682 P. F. Joſeph Maria Mazziola Cremonenſis Magiſter 2. vice.
1684 P. F Johannes Cæcilius Berſelli Mantuanus Lect.
1686 P. F. Thomas Maria Marcellinus Cremonenſis, Lector.
1688 P. F. Pius Alexander Cribellus Mediolanenſis Magiſter.

Magiſter. Fuit Regens Bononiæ.

1690 P. F. Dominicus Maria Baſſi a Caſtronovo Scripiæ Diœceſis Derthonenſis. Fuit Prior Romæ in Conventu Minervitano, Provincialis Lombardiæ An. 1700. Inquiſitor Genuæ, & Cremonæ.

1692 P. F. Vincentius Antonius Colli a Caſtronovo Scripiæ Lector.

1694 P. F. Julius Vincentius Crotti Cremonenſis Magiſter.

1696 P. F. Dominicus Franciſcus Giacometti Mediolanenſis Magiſter. Fuit Baccalaureus Bononiæ.

1698 P. F. Marcus Ferrari a Marano Diœceſis Mutinenſis Magiſter.

1700 P. F. Johannes Andreas Spada Cremonenſis Lect.

1702 P. F. Joſeph Maria Aldriſius Cremonenſis Lector. Fuit a Clero Regulari electus Orator ad Philippum V. tunc Cremonæ degentem.

1704 P. F. Thomas Bonaventura Boldi a Caſtronovo Scripiæ Prov. Magiſter. Fuit Inquiſitor Derthonæ, Novocomi, & Mediolani.

1706 P. F. Dominicus Maria Zani Lect., & Scriptor.

1708 P. F. Joſeph Maria Aldriſi qui ſupra 2. vice, poſt annum renuntiavit.

1709 P. F. Aloyſius Alexander Piſoni Cremonenſis Lector, & maxime ſpei Concionator, ſi diutius vixiſſet.

1711 P. F. Dominicus Maria Baſſi qui ſupra 2. vice, poſt annum ad Inquiſitionem Januenſem aſſumptus eſt.

1712 P. F. Julius Vincentius Crotti, qui ſupra 2. vice.

1714 P. F. Angelus Michael Baſſi a Baſſignana Diœceſis Papienſis Prov. Magiſter.

1716 P. F. Thomas Vincentius Fracchia Valentinus Prov. Magiſt. Fuit Regens Bononiæ, & Prior Provincialis An. 1726.

1718 P. F. Johannes Franciſcus Todeſchini Mantuanus Prov. Magiſter, & Scriptor. Fuit ad plures annos Lector Dogmaticus in Epiſcopio Cremonen. Baccalaureus, ac Prior ibid.

1720 P. F. Angelus Dominicus Maloſſi è Caſali Majori Diœceſis Cremonen. Magiſt. 1. vice.

1722 P. F. Marcellus Orelia a Bennis Diœceſis Montis Regalis in Subalpinis Fil. Conventus, ac Prov. Magiſter. Fuit Regens Bononiæ.

1724 P. F. Raymundus Maria Galea Finarienſis Diœceſis Albigaunenſis Magiſter.

1726 P. F. Angelus Dominicus Moloſſi qui ſupra 2. vice.

1728 P. F. Julius Vincentius Crotti qui ſupra 3. vice.

1730 P. F. Johannes Franciſcus Paini a Sondrio in Valle Telina Magiſter, qui poſt annum renunciavit. Fuit Baccalaureus Bononiæ, & Prior ibi.

1731 P. F. Johannes Thomas Orelia a Bennis Magiſter 1. vice.

1733 P. F. Antoninus Bernardini Firmanus Magiſt.

1735 P. F. Johannes Thomas Oreglia qui ſupra 2. vice.

1737 P. F. Pius Cajetanus Cadolini Cremonenſis Magiſter.

giſter qui poſt annum renuntiavit. Fuit Vicar. Gener. S. Officii Bononiæ, & Socius Provinciæ.

1738 P. F. Thomas Auguſtinus Ricchinius Cremonenſis Prov. Magiſter, & Scriptor. Fuit Socius Provinciæ, Baccalaureus Bononiæ, & Orator ad S. R. E. Cardinales in Funere Benedicti XIII., apud quem egerat annos duos. Fuit etiam Socius Reverendiſſimi Magiſt. Ord., Theol. Caſſanatenſis, & Sacræ Indicis Congregationis Secretarius, nunc Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

1740 P. F. Carolus Dominicus Roſſi Cremon. Pater Provinciæ.

1742 P. F. Angelus Dominicus de Regibus Mediolanenſis Provin. Magiſter. Fuit Regens Bononiæ, ibidem non ſemel, ſed ſæpius Prior, & nunc Provincialis.

1744 P. F. Thomas Carpani Mediolanenſis Provin. Magiſt Fuit Baccalaureus Bononiæ.

1746 P. F. Joſeph Maria Chieſa Novocomenſis Magiſter.

1748 P. F. Pius Cajetanus Cadolinius 2. vice, Prov. Magiſt. Fuit Prior Provincialis utriuſque Lombardiæ.

1750 P. F. Thomas Orelia, qui ſupra 3. vice.

1752 P. F. Thomas Scala Mediolanenſis Magiſter. Fuit confirmatus An. 1754.

1756 P. F. Thomas Mainoldi Cremonenſis Magiſter.

1758 P. F Franciſcus Dominicus Zanenga Cremonen. Magiſt. qui poſt annum renunciavit.

1759 P. F Thomas Carpani, qui ſupra, 2. vice.

1761 P. F. Benedictus Hieronymus Porta Mediolanenſis Provin. Magiſter, qui poſt annum aſſumptus eſt ad Prioratum Bononienſem.

1762 P. F. Petrus Maria Domaneſchi Cremonenſis Provin. Magiſter, qui hunc Commentarium perſcripſit.

1764 P. F. Thomas Nazarius Finardi Cremonenſis Theologiæ Lector.

1766 P. F. Thomas Auguſtinus Vairani Cremonenſis Theologiæ Lector, nunc Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici Socius.

1767 P. F. Thomas Mainoldi Cremonenſis S. Theologiæ Magiſter 2. vice.

INDEX
CHRONOLOGICUS
VIRORUM ILLUSTRIUM
QUORUM VITÆ
Hoc Volumine continentur.

Beatus Rolandus	pag. 134
Beatus Moneta	pag. 147
Bonifacius	pag. 161
Nicolaus Tinctus	pag. 165
Paullus Manna	pag. 169
Hieronymus Politius	pag. 172
Angelus Zampa	pag. 178
Daniel Barbovius	pag. 181
Petrus Martyr Rusca	pag. 186
Ludovicus Stanga	pag. 192
Julius Ferrarius	pag. 199
Lactantius Ramfoldus	pag. 204
Cornelius Pedronus	pag. 208
Petrus Martyr Feſtus	pag. 215
Deſiderius Scalia	pag. 221
Lactantius Ceriolus	pag. 231
Joannes Paullus Nazarius	pag. 236
Thomas Turcus	pag. 254
Joannes Baptiſta Biſellus	pag. 274
Deodatus Scalia	pag. 283

Julius

Julius Mercorus Pag. 290
Petrus Maria Paſſerinus Pag. 304
Philippus Thomas Howardus Pag. 314
Joſeph Maria Aldriſius Pag. 336
Pius Cajetanus Cadolinius Pag. 350
Thomas Auguſtinus Ricchinius Pag. 363

APPENDIX.

Guillelmus Pag. 399
Nicolaus Pag. 400
Gratiadeus Crottus Pag. 402
Philippus Manna Pag. 403
Joannes Baptiſta Clarinus Pag. 405
Hieronymus Accettus Pag. 406
Theophilus Ferrarius Pag. 407
Archangelus Lamius Pag. 409
Vincentius Fondulus Pag. 410
Michael Angelus Grandus Pag. 411
Caſimirus Piazzius Pag. 415
Cyprianus Minutus Pag. 417
Joachimus Mazzanus Pag. 418
Felix Maria Lazaronus Pag. 421

omnes ſunt 40.

Catalogus AA. RR. PP. Priorum &c. Pag. 426

Qui Beati vulgo dicuntur.

2.

B. Rolandus Pag. 134
B. Moneta Pag. 147

Car-

Digitized by Google

Cardinales

2

Deſiderius Scalia Pag. 221
Philippus Thomas Hovvardus Pag. 314

Epiſcopi Conſecrati.

5.

Nicolaus Tinctus Pag. 165
Hieronymus Politius Pag. 172
Daniel Barbovius Pag. 181
Deſiderius Scalia Pag. 221
Deodatus Scalia Pag. 283

Epiſcopi Deſignati tantum.

2

Hieronymus Accettus Pag. 406
Thomas Turcus Pag 254

Magiſtri Generales Ord.

1

Thomas Turcus Pag. 254

Sacr. Indicis Secretarii, & Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici.

1

Thomas Auguſtinus Ricchinius Pag. 363

Procuratores, & Vicarii Generales Ord.

3

Petrus Martyr Ruſca Pag. 186

Thomas

Thomas Turcus Pag. 254
Petrus Maria Paſſerinus Pag. 304

Confeſſarii Summorum Pontificum

2

Petrus Martyr Ruſca Pag. 186
Cornelius Pedronus Pag. 208

Commiſſarii Generales S. Officii

2

Lactantius Ramſoldus Pag. 204
Deſiderius Scalia Pag. 221

Inſigniores Fidei Quæſitores

22

B. *Rolandus* Pag. 134
B. *Moneta* Pag. 147
Guillelmus Pag. 399
Nicolaus Pag. 400
Gratiadeus Crottus Pag. 402
Petrus Martyr Ruſca Pag. 186
Joannes Baptiſta Clarinus Pag. 405
Hieronymus Politius Pag. 172
Angelus Zampa Pag. 178
Julius Ferrarius Pag. 199
Hieronymus Accettus Pag. 406
Petrus Martyr Feſtus Pag. 215
Joannes Paullus Nazarius Pag. 236
Deſiderius Scalia Pag. 221

Vincen.

Digitized by Google

Vincentius Fondulus Pag. 410
Joannes Baptiſta Boſellus Pag 274
Petrus Maria Paſſerinus Pag. 304
Julius Mercorus Pag 290
Caſimirus Piazzius Pag. 415
Cyprianus Minutus Pag. 417
Joachimus Maria Mazzanus. Pag 418
Felix Maria Lazaronus. Pag. 421

Provinciæ Utriuſque Lombardiæ Præfecti

7

Petrus Martyr Ruſca Pag. 186
Joannes Baptiſta Clarinus Pag. 405
Julius Ferrarius Pag. 199
Petrus Martyr Feſtus Pag. 215
Lactantius Ceriolus. Pag. 231
Joannes Baptiſta Boſellus Pag. 274
Pius Cajetanus Cadolinius. Pag. 350

Legati, & Oratores ad Principes.

6

Nicolaus Tinctus Pag. 165
Daniel Barbovius Pag. 181
Jo: Paullus Nazarius Pag. 236
Michael Angelus Grandus Pag. 411
Julius Mercorus Pag. 290
Joſeph Maria Aldriſius Pag. 336

Scrip-

Scriptores

23

Rolandus Pag. 134
Moneta Pag. 147
Bonifacius Pag. 161
Philippus Manna Pag. 403
Paullus Manna Pag. 169
Hieronymus Politius Pag. 172
Angelus Zampa Pag. 178
Ludovicus Stanga Pag. 192
Julius Ferrarius Pag. 199
Lactantius Ramſoldus Pag. 204
Hieronymus Accettus Pag. 406
Theophilus Ferrarius Pag. 407
Archangelus Lamius Pag. 409
Petrus Martyr Feſtus Pag. 215
Deſiderius Scalia Pag. 221
Lactantius Ceriolus Pag. 231
Joannes Paullus Nazarius Pag. 236
Thomas Turcus Pag. 254
Julius Mercorus Pag. 290
Petrus Maria Paſſerinus Pag. 304
Philippus Thomas Howardus Pag. 314
Joſeph Maria Aldriſius Pag. 336
Thomas Auguſtinus Ricchinius Pag. 363

Digitized by Google

Digitized by Google

00566214B

Digitized by Google